Universidad de Deusto
Biblioteca

M AURELI
CASSIODORI
VARIARUM
LIB. XII.
AUG. VIND.
1533

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 18
Plúteo 7

3415

Universidad de Deusto
Biblioteca

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM . LIBRI . XII

ITEM . DE . ANIMA . LIBER . VNVS

Recens inuenti, & in lucem dati
a Mariangelo Accursio.





Ne sit fas impune vlli, hosce libros
per quinquennium imprimere,
edictum est
Clementis Septimi . Pont . Max . &
Caroli . V . Ro . Imperatoris, &
Senatus Veneti,
Priuilegio .

M . D . XXXIII

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALBERTO . PRINCIPI . ILLVSTRISS.
Reuerendiss. Cardinali. S. R. E. Legato nato, Mogunt. & Madeburg. Archiepiſcopo, Halberſtaten. Epiſcopo, prę ſulum Germaniæ primati, Sac. Ro. Imp. Archicancell. Principi Electori, Marchioni Brandemburgenſi, &c.

MARIANGELVS . ACCVRSIVS

RNueni, dum in Comitatu Cæſaris Hiſpaniam peragro, Variarum libros. Nuſquam autem, dum plerasq; omnes noſtri regiones Orbis luſtro, quenquam hactenus inueni, cuius nomine, cq; tuo, magne præſul, eos dignius publicaremus. ſiue tui, ſiue mei ordinis, ſiue huius etiam ætatis homines conſiderentur. Cum enim non his ſolum, quæ iam noſtra pene ſunt, dum inuenerimus, ſed quæ parum meliora etiam fecerimus, nos noſtrumq; nomen inſerere, conſuetudo inoleuerit. & e limine plericq; ea magis amplectantur, atq; introſpicere deſiderent, ſi a digno tradita, non indigno nuncupata eſſe videant. quid a me præſtari iure debuit, qui in ſtudijs ætatem ago? & te illuſtriſſima omnium familia, tot ſacerdotijs, tot honoribus, tot dignitatibus ampliſſimum, ſacris diuorum reliquijs ſtudiorum librorumq; monimenta, tanquam ſacra altera, iunxiſſe nouerim? Atq; illis donaria templumq; munificentiſſimum, iſtis munera bibliothecamq; inſtructiſſimam conſtituiſſe. Vtq; diuturniora forent vtraque, Magnæ illum Germaniæ ſpem alteram Ioannem Albertum Principem Brandemburgenſem ſucceſſorem elegiſti. tam prudenter, tam mehercule amanter, cq; cum & Auguſtum Cæſaremque nuper feceris. Quid enim illis autem innocentius, aut ſanctius in terris? In his autem Variarum voluminibus, cum ſtilum eius ſæculi non faſtidieris, quæ ad annales pertineant, dignitatum formulas, variaq; acta recognoſces. quædamq; certiora multo, cq; vt ab his potuerint memoriæ mandari, qui non interfuere, quiue poſtea fuere. Scripſit enim illa (diuerſorum licet nomine) vnus omnia Caſſiodorus, digeſſitq;, magnaq; ex parte geſſit. Quod cq; paucis datū ſemper quanq; arduum rarumq; fuerit, neminem omnino præterit. Iucundū porro fuerit in primis Principi tam inculpato vitæq; ſyncerioris æſtimare, quæ de anima ex ſacris externorum noſtrorumq; literis collegit. operæprecium vero haud in poſtremis, noua tam multarū rerum nomina, quod Natura fert cum mutatis nouisq; temporibus cōmutatarum atq; adſcitarum edoceri. Vt inficias non eam, inter ſcripta mille iam annorum, nihil fere magis neceſſariū his libris. nihil magis dignum, quod in bibliotheca tua, atq; adeo ipſas inter illas reliquias cuſtodiatur. Pręclare igitur cum Sanctorum Scriptorumq; monimentis agitur. quando ea, quibus paſſim mortes (afflictis per Germaniam rebus) imminebant, ipſe condis aſſerisq;. & hæc quæ latuerant, quęq; interierant, profersq; reparasq;. Ego em̄ nuncupatione ſola nudaq; contentus, nullum inde nomen ambio, nullam auram gratiamue aucupor. Tua ſunto, cuius cauſa quæri, ædi, legi, meruerunt. Auguſtæ Vindelic. CAL . MAII . M . D . XXXIII

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

Senatoris, V. C. & illuſtris, exquæſtoris Palatij, exconſulis ordinarij, exmagiſtri off. præf. præt. præpoſiti, atq; patritij,

VARIARVM . LIBER . PRIMVS

PRAEFATIO

CVM diſertorum mihi gratiam, aut communibus fabulis, aut gratuitis beneficijs, nullis tamen veris meritis collegiſſem, dicta mea, quæ in honoribus poſitus ſæpe pro explicanda negocio-rum qualitate profuderam, in vnum corpus redigere ſuadebant. vt ventura poſteritas, & laborum meorum moleſtias, quas pro generalitatis commodo ſuſtinebam, & ſynceris conſcientiæ inemptam dignoſceret actionem. dicebam dilectionem ipſorum mihi potius fore contrariam. vt quod modo propter deſideria ſupplicantium putabatur acceptum, poſtea legentibus videretur inſipidum. Addebam, debere illos Flacci dicta recolere. qui monet, quid periculi vox præcipitata poſſit incurrere. Reſpondendi celeritatem cunctos videtis exigere, & creditis me impœnitenda proferre. Dictio ſemper agreſtis eſt, quæ aut ſenſibus electis per moram non comitur, aut verborum minime proprietatibus explicatur. Loqui nobis communiter datum eſt. ſolus ornatus eſt, qui diſcernit indoctos. Nonus annus ad ſcribendum relaxatur auctoribus. mihi nec horarum momenta præſtantur. mox vt cœpero, clamoribus imminetur. & feſtinatione nimia ingeritur, ne cautius cœpta peragantur. Alter nos frequentia inuidioſæ interpellationis exaggerat. alter miſeriarum mole caſtigat. alij furioſa contentionum ſeditione circundant. Inter hæc cur requiritis dictationis eloquium, vbi vix copiam poſſimus habere ſermonum? Ipſas quoque noctes inexplicabilis cura circunuolat, ne deſint alimonia ciuitatibus, quæ ſupra omnia populi requirunt, ſtudentes ventri, non auribus. Hinc eſt, q; cogimur animo per cunctas ire prouincias. & iniuncta ſemper inquirere. quia non ſufficit agenda militibus imperare, niſi hæc iudicis aſſiduitas videatur exigere. Nolite quæſo noxie nos amare. Declinanda eſt ſuaſio, quæ plus habet periculi, cq; decoris. Sed illi me potius tali diſceptatione fatigabant, Præfectum te Prætorianæ ſedis omnes nouerunt. cui dignitati occupationes publicæ, velut pediſequæ ſemper aſſiſtunt. Ab hac enim exercituales

Universidad de Deusto
Biblioteca

cituales flagitantur expensæ. ab hac victus quæritur sine temporis consi-
deratione populorum. huic etiam vel solum graue iudiciorum pondus ad-
iectum est. Cui ideo leges visæ sunt immensum onus imponere, dum ad ip-
sam, honoris gratia, maluerunt pene omnia pertinere. Quod enim spatium
possis publico labori surripere, quando in vnum pectus confluit, quicquid
vtilitas generalitatis exposcit? Addimus etiam, ꝙ frequenter Quæsturæ
vicibus ingrauato ociꝰ tempus adimit crebra cogitatio, & velut mediocri-
bus fascibus insudanti, illa tibi de aliꝰs honoribus principes videntur im-
ponere, quæ proprij Iudices nequeunt explicare. Hæc autem facis nulla
vendendo, sed exemplo proprij genitoris, a sperantibus accipis solos spei
labores. sic petentibus præstando gratis sub continentiæ munere cuncta
mercaris. Regum quinetiam glorioſa colloquia pro magna diei parte in
bonum publicum te occupare nouerunt. vt fastidium sit ociosis expecta-
re, quæ continuo labore cognosceris sustinere. Verum hoc magis tibi ad
suffragium laudis potest proficere, si inter tanta & talia valueris legenda
proferre. deinde ꝙ rudes viros, & ad Rempublicam conscia facundia præ-
paratos, labor tuus sine aliqua offensione poterit edocere. & vsum, quem
tu inter altercantium pericula iactatus exerces, illos qui sunt in tranquillita-
te positi, contingit felicius adipisci. Proinde, quod salua fide qua frueris dis-
simulare non poteris, tanta Regum beneficia si pateris ignorari, frustra ma
luisti benigna festinatione concedi. Noli, quæsumus, quasi in obscurum si-
lentiꝰ reuocare, qui te dicente meruerunt illustres dignitates accipere. Tu
enim illos assumpsisti vera laude describere, & quodammodo historico co-
lore depingere. Quos si celebrandos posteris tradas, abstulisti, consuetudi-
ne Maiorum, morientibus decenter interitum. Deinde mores prauos cor-
rigis auctoritate rectoris, excedentis audaciã frangis, timorem legibus red-
dis. Et adhuc dubitas edere, quod tantis vtilitatibus probas posse congrue-
re? Cælas etiam, vt ita dixerim, speculum mentis tuę, vbi te omnis ætas ven-
tura possit inspicere. Contingit enim dissimilem filiũ plerunꝙ generari, ora-
tio dispar moribus vix potest inueniri. Est ergo ista valde certior arbitriꝰ
proles. Nam quod de arcano pectoris gignitur auctoris sui, posteritas vera
cius estimat. Dixisti etiam ad commendationẽ vniuersitatis frequenter Re-
ginis ac Regibus laudes. Duodecim libris Gothorum historiam defloratis
prosperitatibus condidisti. Cũ tibi in illis fuerit secundus euentus, quid am-
bigis, & hæc publico dare, qui iam cognosceris dicendi tyrocinia posuisse?
Victus sum fateor in verecundiam meam. nec obsistere tantis prudentibus
potui, cũ me viderem ex affectione culpari. Nunc ignoscite legentes. & si
qua est incauta præsumptio, suadentibus potius imputate. quia mea iudicia
cũ illo videnꝫ facere, qui me decreuerit accusare. Et ideo quod in Quæsturę
Magisterij, ac Præfecturæ, dignitatibus a me dictatũ in diuersis publicis ac-
tibus potui reperire, bissena librorũ ordinatione composui. Vt quancꝫ di-
uersitate causarũ legentis intentio concitetur, efficacius tamen rapiatur ani
mus, cum tendit ad terminum. Illud autem sustinere alios passi nõ sumus,
quod

quod nos frequenter incurrimus in honoribus dandis impolitas & præci-
pites dictiones. quæ sic poscuntur ad subitum, vt vix vel scribi posse vide-
antur. Cunctarum itaqꝫ dignitatum sexto & septimo libris formulas com-
prehendi. vt & mihi quanuis sero prospicerem, & sequentibus in angusto
tempore subuenirem. Ita, quæ dixi de præteritis, conueniunt & futuris.
quia non de personis, sed de ipsis locis., quæ apta videbantur, explicui.
Librorum vero titulum, operis indicem, causarum præconem, totius ora-
tionis breuissimam vocem, VARIARVM nomine prænotaui. Quia necesse
nobis fuit, stilum non vnum sumere, qui personas varias suscipimus admo-
nere. Aliter enim multa lectione satiatis, aliter mediocri gustatione suspen-
sis, aliter a literarum sapore ieiunis, persuasionis causa loquendum est. vt
interdum genus sit peritiæ vitare, quod doctis placeat. Proinde Maiorum
pulchra definitio est, Sic apte dicere, vt audiẽtibus possis cõcepta vota suа-
dere. Neque enim tria genera dicendi incassum prudens definiuit Antiqui-
tas. Humile, quod communione ipsa serpere videatur. Medium, quod nec
magnitudine tumescit, nec paruitate tenuatur, sed inter vtrunque positum,
propria venustate ditatum, suis finibus continetur. Tertium genus, quod
ad summum apicem disputationis exquisitis sensibus eleuatur. videlicet vt
varietas personarum congruũ sortiretur eloquium. & licet ab vno pectore
proflueret, diuersis tamen alueis emanaret. Quando nullus eloquentis ob-
tinet nomen, nisi qui trina ista virtute succinctus causis emergentibus viri-
liter est paratus. Huc accedit, ꝙ modo Regibus, modo Potestatibus aulicis,
modo loqui videamur humillimis. quibus alia cõtingit sub festinatione pro
fundere, alia vero licuit cogitata proferre. Vt merito Variarum dicatur, qd
tanta diuersitate conficitur. Sed vtinam sicut ista regulis accepisse proba-
mur antiquis, ita eadem promissæ resignent merita dictionis. Quapropter
Humile de nobis verecunde promittimus, Mediocre non improbe
pollicemur, Summum vero, quod propter nobilitatem sui est
in ædito constitutum, nos attigisse non credimus. Ve-
runtamen sileant præsumptiones illicitæ, qui le-
gendi sumus. Incongruo nancꝫ nostras de
nobis disputationes ingerimus, qui
vestra potius iudicia susti-
nemus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANASTASIO. IMPERATORI. THEODE
RICVS. REX

POrtet nos, clementissime Imperator, pacem quærere, qui causas iracundiæ cognoscimur non habere. quando ille moribus obnoxius iam tenetur, qui ad iusta deprehenditur imparatus. Omni quippe Regno desiderabilis debet esse trãquillitas. in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur. Hæc est enim bonarum artium decora mater. Hæc Mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minime quæsisse sentitur. Et ideo, pijssime principum, potentiæ vestræ conuenit & honori, vt concordiam vestram quærere debeamus, cuius adhuc amore proficimus. Vos enim estis regnorum omnium pulcherrimum decus. vos totius Orbis salutare præsidium. quod cæteri dominantes iure suscipiunt, quia in vobis singulare aliquid inesse cognoscunt. & nos maxime, qui diuino auxilio in Republica vestra didicimus, quemadmodum Romanis æquabiliter imperare possimus. Regnum nostrum imitatio vestra est, forma boni propositi, vnici exemplar imperij. qui quantum vos sequimur, tantum gentes alias anteimus. Hortamini me frequenter, vt diligam Senatum, leges principum gratanter amplectar, vt cuncta Italiæ membra componam. Quomodo potestis ab augusta pace diuidere, quem non optatis a vestris moribus discrepare? Additur etiam veneranda Romanæ vrbis affectio. a qua segregari nequeunt, qui se nominis vnitate iunxerunt. Proinde illum & illum legationis officio ad serenissimam pietatem vestram credimus destinandos. Vt synceritas pacis, quæ causis emergentibus cognoscitur fuisse vitiata, detersis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat. Quia pati vos non credimus, inter vtrasque Respublicas, quarum semper vnum corpus sub antiquis principibus fuisse declaratur, aliquid discordię permanere. quas non solum oportet inter se ociosa dilectione coniungi, verumetiam decet, mutuis viribus adiuuari. Romani Regni vnum velle, vna semper opinio sit. Quicquid nos possumus, vestris præconijs applicetur. Quapropter salutationis honorificentiam præferentes, prona mente deposcimus, ne suspendatis a nobis mansuetudinis vestræ glorioßissimam caritatem. quam ego sperare debui, etiam si alijs non videretur posse concedi. Cætera vero per latores præsentium pietati vestræ verbo suggerenda, commisimus. vt nec epistolaris sermo redderetur extensior, nec aliquid pro vtilitatibus nostris prætermisisse videremur.

THEONI

THEONI. V.S. THEODERICVS. REX

COmitis Stephani insinuatione comperimus, Sacræ vestis operam, quam voluimus necessaria festinatione compleri, disrupto magis labore pendere. cui vsum subtrahendo solennem, abominandam potius inferre cognosceris tarditatem. Credimus enim aliquem proueniße neglectum, vt aut crines illi lactei, carneo poculo bis terque satiati, pulcherrima minus ebrietate rubuerint, aut lanæ non auxerint adorandi muricis, preciosissimam qualitatem. Quapropter si perscrutator Hydrontini maris intusa conchilia solenniter condidisset apto tempore, aceruus ille neptunnius, generator florentis semper purpuræ, ornator solij, aquarum copia resolutus imbrem aulicum flammeo liquore laxauerat. Color nimio lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea regnantem discernit, dominum conspicuum facit, & præstat humano generi, ne de aspectu Principis possit errari. Mirum est, substantiam illam morte confectam, cruorem de se post spatia tam longi temporis exudare, qui solet viuis corporibus vulnere sauciatis vix effluere. Nam cum sex pene mensibus marinæ delitiæ a vitali fuerint vigore separatæ, sagacibus naribus nesciunt esse grauissimæ. scilicet ne sanguis ille nobilis aliquid spiraret horroris. Hæc cum infecta semel substantia perseuerat, nescit ante subtrahi, q̃ vestis possit absumi. Quod si conchiliorum qualitas non mutatur, si torcularis illius vna vindemia est, culpa nimirum artificis erit, cui se copia nulla subtraxit. In illis autem rubicundis fontibus cum albentes comas serici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis purissimam castitatem. quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda. Hæc si omnia constiterint, si in nulla parte prætermissa videtur esse solennitas, miramur, tua te pericula minime cogitasse. dum sacrilegus sit reatus negligentiæ, in tali veste peccare. Quid enim agunt tot artifices, tot nautarum cateruæ, tot familiæ rusticorum? Tu quoque Comitiua subuectus tantis iubes, tanta te istius nominis præsumptione defendis, vt cum regale opus crederis agere, in multis videaris tuis ciuibus imperare. Hoc ergo remissio tua negligit, quod te & in prouincia subuexerat, & ad conspectum Principis honorabilem venire faciebat? Quod si te facultatis tuæ adhuc cura non deserit, si salutis propriæ tangit affectus, intra illum diem imminente tibi harum portitore, cum blatta, quam nostro cubiculo dare annis singulis consueuisti, venire festina. Quia iam non compulsorem ad te mittimus, sed vltorem, si aliqua credideris ludificatione tardandum. Verum talis tantaque res, q̃ facili legitur inuenta compendio? Nam cum fame canis auida in Tyrio litore proiecta conchilia impressis mandibulis contudisset, illa naturali ter humorem sanguineum defluentia, ora eius mirabili colore tinxerunt. & vt est mos hominibus, occasiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantes fecerunt Principibus decus nobile dare, quæ substantiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

noſcitur habere mediocrem. Eoa Tyros eſt Hydron Italica, aulicum profecto veſtarium, non antiqua cuſtodiens, ſed iugiter nouella tranſmittens. Vide ergo, ſi quis te patiatur minus implere, quod nos tam neceſſarie cognoſcis expetere.

CASSIODORO. V.I. ATQVE. PATRITIO. THEOD. REX

QVanuis proprio fruatur honore, quod eſt natura laudabile, nec deſint probatæ conſcientiæ faſces, cum generat animo dignitates (omnia ſiquidem bona ſuis ſunt iuncta cum fructibus, nec credi poteſt virtus, quæ ſequeſtratur a præmio) tamen iudicij noſtri culmen excelſum eſt, cum qui a nobis prouehitur præcipuus & plenus meritis æſtimatur. Nam ſi æquabilis credendus eſt, quem iuſtus elegerit. ſi temperantia præditus, quem moderatus aſciuit. omnium profecto capax poteſt eſſe meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum. Quid enim maius quæritur, q̄ ibi inueniſſe laudum teſtimonia, vbi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta? Regnantis quippe ſententia iudicium de ſolis actibus ſumit, nec blandiri dignatur animus domini, poteſtate munitus. Repetantur certe, quæ te noſtris ſenſibus infuderunt. vt tui laboris fructum capias, cum noſtris animis ſingula ſuauiter inhæſiſſe cognoſcas. In ipſo quippe imperij noſtri deuotus exordio, cum adhuc fluctuantibus rebus prouinciarum corda vagarentur, & negligi rudem dominum nouitas ipſa pateretur, Siculorum ſuſpicantium mentes ab obſtinatione præcipiti deuiaſti, culpam remouens illis, nobis neceſſitatem ſubtrahens vltionis. Egit ſalubris perſuaſio, quod vehemens poterat emendare diſtrictio. Lucratus es damna prouinciæ, quæ meruerit ſub deuotione neſcire. vbi ſub præcinctu martio ciuilia iura cuſtodiens, publica priuataque commoda inauarus arbiter æſtimabas. & proprio cenſu neglecto, ſine inuidia lucri, morum diuitias retuliſti, excludens vel quærelis aditum, vel derogationibus locum. Et vnde vix ſolet reportari patientiæ ſilentium, voces tibi militauerunt laudantium. Nouimus enim, teſtante Tullio, Siculorum naturam, q̄ ſit facilis ad querelas, vbi ſolita conſuetudine poſſint Iudices etiam de ſuſpitionibus accuſare. Sed non eo præconiorum fine contenti, Brutiorum & Lucaniæ tibi dedimus mores regendos. ne bonum quod peregrina prouincia meruiſſet, genitalis ſoli fortuna neſciret. At tu conſuetudinem deuotionis impendens, eo nos obligaſti munere, quo tibi putabamus omnia reddidiſſe. inde applicando debitum, vnde credi poterat abſolutum. Egiſti per cuncta Iudicem totius erroris expertem, nec inuidia quempiam deprimens, nec gratia blandiente ſublimans. Quod cum vbique ſit arduum, tamen fit in patria glorioſum. vbi neceſſe eſt, vt aut gratiam parentela prouocet, aut odium longæ contentiones exaſperent. Oblectat igitur nos actus Præfecturæ recolere, totius Italiæ notiſſimum bonum. vbi cuncta prouida ordinatione diſponens, oſtendiſti q̄ leue ſit, ſtipendia ſub iudicis inte-

integritate dependere. Nullus grauiter obtulit, quod ſub æquitate perſoluit. Quia quicquid ex ordine tribuitur, diſpendium non putatur. Fruere nunc bonis tuis, & vtilitatem propriam, quam reſpectu publico contempſiſti, recipe duplicatam. Hæc eſt enim vitæ glorioſa commoditas, dominos eſſe teſtes, ciues habere laudantes. His igitur tot ampliſſimis laudibus incitati, Patritiatus tibi apicem iuſta remuneratione conferimus. vt quod alijs eſt præmium, tibi ſit retributio meritorum. Macte ſumme vir felicitate laudabili, qui ad hanc vocem dominantis animos impuliſti, vt bonorum tuorum potius fateamur eſſe, quod credimus. Sint hæc diuino perpetrata auſpicio. vt cum hæc pro remuneratione tribuimus, ad meliora iterum tuis meritis exigamur.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEODERICVS. REX

OPtamus quidem, Patres Conſcripti, coronam veſtram diuerſorum faſcium flore depingi. Optamus, vt libertatis genus gratam videat turbam Senatus. Conuentus ſiquidem talium eſt dignitas Imperantium. & quicquid in vobis feſtiua gratulatione conſpicitur, noſtris vere laudibus applicatur. Illud tamen maxime deſideranter appetimus, vt collegium veſtrum ornent lumina dignitatum. quando decenter augmenta patriæ reddunt, qui aulica poteſtate creuerunt. Hos viros noſtra perſcrutatur intentio. ijs morum theſauris gaudemus inuentis. in quibus velut figuratis honorum vultibus, clementia noſtræ ſerenitatis exprimitur. Hinc eſt, q̄ Caſſiodoro illuſtri & magnifico viro, præcipua in Repub. claritate notiſſimo, Patritiatus dedimus pro remuneratione ſuggeſtum. vt honore magni nominis declarentur merita ſeruientis. qui non fragili felicitate prouectus, Fortunę ludo ad apicem faſcium repentinis ſucceſſibus euolauit. ſed, vt creſcere virtutes ſolent, ad faſtigium præconij conſcendit gradibus dignitatum. Primus enim, vt ſcitis, adminiſtrationis introitus Comitiuæ Priuatarum mole fundatus eſt. Vbi non tyrociniorum infirmitate titubans, nouitatis vitio vel innocenter errauit. ſed abſtinentiæ firmato veſtigio, imitando vixit exemplo. Qui mox deinde Sacrarum Largitionum honore ſuſcepto, creuit tantum conuerſationis laude, quantum profecerat dignitate. Quid prouincijs redditam diſciplinam? quid diuerſo generi hominum monimenta iuſtitiæ infuſa, referamus? Vixit enim tanta continentia, vt æquitatem & inſtrueret monitis, & doceret exemplis. Facilis enim recti perſuaſor eſt innocens Iudex. ſub cuius prædicabili conuerſatione pudet mores probabiles non habere. Quis enim vereatur ſcelus, cuius in ſuggeſtu gremij complicem videt? Incaſſum perſonam fictæ ſeueritatis inducit, cum auarus pecuniæ ambitum diſſuadet, cum legibus parendum cenſet iniuſtus. Non habet diſtributionis genium, cui auctoritatem libera conſcientia non miniſtrat. Quoniam exceſſus tunc ſunt in formidine, cum creduntur Iudicibus diſplicere. His itaque ſub præcedenti Rege gymnaſijs exercitatus, emeritis laudibus ad palatia noſtra

ſtra peruenit. Meminiſtis enim, & adhuc vobis recentium rerum memoria miniſtratur, qua moderatione prætoriano culmini locatus inſederit, & euectus in excelſum, inde magis deſpexerit vitia proſperorum. Nullo quippe, vt pleriſque moris eſt, elatus fauore Fortunæ, in cothurnum ſe magnæ poteſtatis erexit, ſed æquitate cuncta moderatus, gratiam noſtram in ſe non reddidit odioſam. Maiora ſibi de ſe fecit optari, dum intra modeſtiæ terminos magis cohibuit. Hic eſt enim probatæ conſcientiæ gratiſſimus fructus, vt quanuis ſumma potuerit adipiſci, iudicetur tamen ab hominibus plus mereri. Iunxit bene cum vniuerſorum gaudijs noſtra compendia. ærario munificus, & iuſte ſoluentibus gratioſus. Senſit tunc Reſpublica ex illo cœtu Romuleo innocentiæ virum. Qui licet ſe moderando glorioſum fecerit, hoc tamen maius contulit, ꝙ bonæ actionis exemplum ſequentibus dereliquit. Pudet enim eum peccare, qui laudatis videtur potuiſſe ſuccedere. Fuit itaque, vt ſcitis, militibus verendus, prouincialibus mitis, dandi auidus, accipiendi faſtidioſus, deteſtator criminis, amator æquitatis. Quid nam fuit illi difficile cuſtodire, qui ſe a rebus alienis decreuerat abſtinere? Eſt enim inuicti animi ſignum, famę diligere commodum, & lucra potius odiſſe cauſarum. Verum hæc in illo iure mirentur, qui patris atque aui mores nobiliſſimos neſcierunt. Caſſiodoros ſiquidem præcedentes fama concelebrat. Quod vocabulum & ſi per alios videatur currere, proprium tamen eius conſtat eſſe familiæ. Antiqua proles, laudata proſapies, cum togatis clari, inter viros fortes eximij. Quando & valetudine membrorum, & corporis proceritate, floruerunt. Pater enim candidati ſub Valentiniano principe geſſit Tribuni, & Notarij laudabiliter dignitatem. Honor, qui tunc dabatur egregijs. dum ad imperiale ſecretum tales conſtet eligi, in quibus repræhenſionis vitium nequeat inueniri. Sed vt ſe pares animi ſolent ſemper eligere, patritio Aetio pro iuuanda Repub. magna fuit caritate ſociatus. Quem tunc Rerum dominus propter ſapientiam ſui, & glorioſos in Repub. labores, in omni conſilij parte ſequebatur. Ad Attilam igitur potentem armorum cum ſupradicti filio Carpilione legationis eſt officio non irrite deſtinatus. Vidit intrepidus, quem timebat Imperium. facies illas terribiles & minaces, fretus veritate, deſpexit. nec dubitarat eius altercationibus obuiare, qui furore neſcio quo raptatus, Mundi dominatum videbatur expetere. Inuenit Regem ſuperbum, ſed reliquit placatum. & calumnioſas eius allegationes tanta veritate deſtruxit, vt voluiſſet gratiam quęrere, cui expediebat pacem cum regno ditiſſimo non habere. Erigebat conſtantia ſua partes timentes. nec imbelles ſunt creditι, qui Legatis talibus videbantur armari. Pacem rettulit deſperatam. Cuius legatio quid profecerit, datur intelligi, quæ tantum eſt gratanter excepta, quantum & videbatur optata. Mox honore illuſtratus, mox reddituum dona æquus arbiter offerebat. Sed ille potius natiua moderatione ditiſſimus, dignitatem ſuſcipiens ocioſam, in remunerationis locū expetijt amœniſſima Brutioruin. Negare illi non potuit optatam quietem, qui eum reddiderat ab immani

ab immani hoſte ſecurum, triſtis ab obſequio ſuo reliquit, quem ſibi neceſſarium fuiſſe cognouit. Auus enim Caſſiodorus Illuſtratus honore præcinctus, qui eius generi non poterat abnegari, a Vandalorum incurſione Siciliam Brutioſque armorum defenſione liberauit. vt merito primatum in illis prouincijs haberet, quas a tam ſæuo & repentino hoſte defendit. Debuit itaque virtutibus eius Reſpub. ꝙ illas prouincias tam vicinas Genſericus non inuaſit, quem truculentum Roma ſuſtinuit. Hi autem & in partibus Orientis parentum laude viguerunt. Heliodorus enim, qui in illa Repub. nobis videntibus præfecturam bis nouenis annis geſſit eximie, eorum conſanguinitati probatur adiungi. Genus in vtroque Orbe præclarum, quod gemino Senatui decenter aptatum, tanquam duobus luminibus oculatum, puriſſima claritate radiauit. Quo enim ſe quæ uis nobilitas vltra diſtendit, ꝗ hæc, quæ in vtroque Orbe clara eſſe promeruit? Vixit & ipſe in prouincia honore Iudicis, & ſecuritate priuati, cunctis vel nobilitate potior, omnium ad ſe animos attrahebat. vt qui libertatis iure non poterant ſubdi, viderentur magis continuis beneficijs ſuauiter obligari. Tanta quinetiam patrimonij ſui vbertate gloriatus eſt, vt inter reliqua bona equinis gregibus Principes vinceret, & donando ſæpius inuidiam nominis non haberet. Hinc eſt, ꝙ candidatus noſter Gothorum ſemper armat exercitus, & bono inſtituto melior, quod a parentibus accipit, hereditaria largitate cuſtodit. Quæ ideo per ordinem noſtra dignatio percucurrit, vt vnuſquiſque intelligat, & parentum ſuorum apud nos laudes poſſe reparare, qui viuere præclaris elegerit inſtitutis. Et ideo Patres Conſcripti, quia vobis eſt commodus honor bonorum, & iudicium noſtrum veſter comitatur aſſenſus, proſpero auſpicio ſuſcipiatur eius prouectus, qui ſibi fecit gratiam patere cunctorum. Eſt enim potius viciſſitudo, ꝗ præmium, vt qui nos probabili actione coluerunt, reciproco fauore gratulentur.

FLORIANO. V.S. THEODERICVS. REX

IN immenſum trahi non decet finita litigia. Quæ enim dabitur diſcordantibus pax, ſi nec legitimis ſententijs acquieſcant? Vnus enim inter procellas humanas portus inſtructus eſt. quē ſi homines feruida voluntate prętereunt, in vndoſis iurgijs ſemper errabunt. Et ideo ſpectabilitati tuæ præſentibus affamur oraculis, quatenus ſi ita res ſe habet, vt a præſentibus ſupplicatur, Comitis Annæ iudicio Mazenis fundi controuerſia ſtatutis legitimis eſt deciſa, nec aliqua probatur appellatione ſuſpenſa, quæ ſunt decreta, ſeruentur. Quia ſicut nolumus oppreſſis negare iudicium, ita irrationabilibus querelis non præbemus aſſenſum. Cogi enim debet vt ſit quietus, qui ſuo vitio renuit eſſe pacificus. Nam & medendi peritus inuitum frequenter ſanat ægrotum.

dum

dum voluntas recta in grauibus passionibus non est, sed potius illud appetitur, quod a salutis iudice grauare posse sentitur.

AGAPITO . PRAEFECTO . VRBIS
THEODERICVS . REX

DEcet principem cura, quæ ad Rempublicam spectat augendam. & vere dignum est, Regem ædificijs palatia decorare. Absit enim, vt ornatui cedamus Veterum, qui impares non fuimus beatitudine sæculorum. Quapropter in Rauennate vrbe basilicæ Herculis amplum opus aggressi, cuius nomini Antiquitas congrue tribuit quicquid in aula prædicabili admiratione fundauit, magnitudini tuæ studiosissime delegamus. vt secundum Breue subter annexum, de vrbe nobis marmorarios peritissimos destinetis, qui eximie diuisa coniungant, & venis colludentibus illigata naturalem faciem laudabiliter mentiantur. de arte veniat, quod vincat Naturam. discolorea crusta marmorum gratissima picturarum varietate texantur. Quia illud est semper in pretium, quod ad decorem fuerit exquisitum. His sumptus subuentionesq; præstabis. ne quenquam nostrum grauet imperium, quod ad vtilitatem volumus respicere singulorum.

FELICI. V.C. THEODERICVS. REX

VEnantij tutoris Plutiani aditione cognouimus, in ea te qua non decuerat actione versatum. vt eum quem sumptu proprio iuuare debueras, dispendio proprietatis affligeres. Affinitatem quippe tuam solatia debuerant impensa testari. Quale ergo videtur sanguine coniunctis, quod criminosum probaretur extraneis? Atque ideo præsenti iussione censemus, vt quicquid a Neotherio prodiga voluntate lasciuo, te non tam comparasse, q; surripuisse cognoscis, incorporanda militi nostro sine aliqua dilatione restituas. ne nos huiusmodi factum cogas legibus vindicare, qui nunc videmini omnia mansuetudine temperasse. Perire enim pupillo non patimur, quæ parentibus sub nostra laude dederamus. Grauissimum est enim per calumniam subtrahi, quod collatum est munificentia principali. Reliqua vero, quæ te pro iugalis tuæ asseris portione contempto iustitiæ tramite diuisisse, si tamen appellanda diuisio est, quam sub vnius celebratam constat arbitrio, ad nostrum Comitatum festines occurrere. vt inter vos, quæ iustitiæ conueniunt, ordinemus. Iniquum est enim, vt de vna substantia, quibus competit æqua successio, alij abundanter affluant, alij paupertatis incommodis ingemiscant.

AMABILI

AMABILI . EXECVTORI . THEODER . REX

COrdi nobis est, cunctos in cõmune protegere, sed eos maxime, quos sibi nouimus defuisse. Sic enim æquitatis libra seruabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metum nostrũ pro paruulis, insolentibus opponamus. Fortuna minor principem querit, quia in vituperatiõem nostrã corruunt, quibus se publica vota subducũt. Venantij itaque tutoris Pluciani lachrymabili suggestione comperimus, Neotherium fratrem suum, affectum germanitatis oblitum, bona paruuli hostili furore laceraſſe. Quod nos pro rerum suarũ acerbitate cõmouit. ne largitas nostra, quam velut titulum volumus stare pietatis, vsurpata præsumptionibus videatur illicitis. Quia dubium nõ est, in repetitione minoris maxime submoueri dispendia tarditatis. Ideoq; deuotio tua, nostra iussione firmata, si nihil est, quod rationabiliter a pulsato possit opponi, postulatas res prædicto tutori facias sine dilatione restitui. Aut si quid est, quod pro suis partibus intentio retentoris obijciat, legali positione præcedente, ad nostrum venire deproperet Comitatum. vt allegatiõibus cognitis, pro consuetudine nostræ iudicemus æquitatis.

EVSTORGIO . VIRO . VENERABILI . MEDIOLANENSI
EPISCOPO . THEOD . REX

TVta est conditio subiectorum, vbi viuitur sub æquitate regnantium. nec dubio debet rumore trahi, a quo debetur nõ mutanda constitui. Fidem siquidẽ rerum a ratione colligimus. quæ nunq; desiderantibus absconditur, si suis vestigijs perquiratur. Atque ideo quod beatitudini vestræ gratissimum esse confidimus, præsenti tenore declaramus, Augustanæ ciuitatis Episcopum, proditionis patriæ falsis criminationibus accusatũ. Qui a nobis honori pristino restitutus, ius habeat episcopatus omne quod habuit. Nihil enim in tali honore temeraria cognitione presumendum est, vbi si proposito creditur, etiam tacitus abexcessibus excusatur. Manifesta proinde crimina in talibus vix capiũt fidem. Quicquid autem exinuidia dicitur, veritas non putatur. Volumus enim impugnatores eius legitima pœna percellere. sed quoniam & ipsi clericatus nomine fungebantur, ad sanctitatis vestrę iudicium cuncta transmittimus ordinanda, cuius est & æquitatem moribus talibus imponere, quem nouimus traditionem Ecclesiasticam custodire.

BOETIO . V.I. ATQVE. PATRITIO . THEOD. REX

IIcet vniuersis populis generalis sit impendenda iustitia, quæ sic nominis sui obtinet dignitatem, si æquabili moderatione per potiores currat & humiles, confidentius tamen illam expetunt, qui a palatij militia non recedunt. Ocioso enim gratuite præstatur aliquid munificẽtia principali. consuetudo autem quodam debito red-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditur fideliter obsequenti. Domestici partis equitum et peditum, qui nostrę aulę videntur iugiter excubare (quod ex magnis fieri doloribus solet) aduñata nobis supplicatione conquesti sunt, ab illo Arcario præfectorũ, pro emolumẽtis solennibus, nec integri põderis Solidos percipere, & in numero grauia se dispendia sustinere. Quapropter prudentia vestra lectionibus erudita dogmaticis, scelestam falsitatem a consortio veritatis eijciat, ne cui sit appetibile, aliquid de illa integritate subducere. Hæc enim quæ appellatur Arithmetica, inter ambigua Mundi certissima ratione consistit. Quam cum cœlestibus æqualiter nouimus. euidens ordo, pulchra dispositio, cognitio simplex, immobilis scientia. quæ & superna continet, & terrena custodit. Quid est enim, quod aut mensuram non habeat, aut pondus excedat? Omnia complectitur, cũcta moderatur, et vniuersa hinc pulchritudinem capiunt, quia sub modio ipsius esse noscuntur. Iuuat inspicere, quemadmodũ denarius numerus, more Cœli, & in se reuoluitur, & nunquam deficiens inuenitur. crescit noua conditione, per se redeundo, addita sibi semper ipsa calculatio. vt cum denarius non videatur excedi, ex modicis prevalet maiora complecti. Hoc sæpe repetitũ inflexis manualibus digitis, et erectis, redditur semper extensum. et quãto ad principiũ suum supputatio reducit̃, tanto amplius indubitãter augetur. Quantitate mirabili, arena maris, guttę pluuiarũ, stellæ lucidæ cõcluduntur. Auctori quippe suo omnis creatura sub numero est, & quicquid ad existentiam peruenit, a tali non potest conditione dimoueri. Et quoniam delectat nos secretiora huius disciplinæ cum scientibus loqui, pecuniæ ipsæ quanuis vsu celeberrimo viles esse videantur, animaduertendum est, quanta tamen a veteribus ratione collectæ sunt. Sex enim millia Denariorũ Solidum esse voluerũt. scilicet vt radiantis metalli formata rotũditas ętatem Mundi, quasi Sol aureus, conuenienter includeret. Senarium vero, quem non immerito perfectum docta Antiquitas definiuit, vncię, qui mensurę primus gradus est, appellatione signauit. quoniam duodecies similitudine mensium computatam, in lineę plenitudinem ad anni curricula collegerũt. O inuenta prudentium, O bræ prouisa Maiorum. exquisita res est, quæ & vsui humano necessaria distinguere, & tot arcana naturæ figuraliter contineret. Merito ergo dicitur ligueret, & tot arcana naturæ figuraliter contineret. Merito ergo dicitur libra, quę tanta rerum est consideratione trutinata. Tanta igitur secreta violare, sic certissima velle confundere, nonne veritatis ipsius videtur esse crudelis, ac fœda laceratio? Exerceantur negociationes in mercibus. emantur late, quæ vendantur angustius. constet populis pondus, ac mensura probabilis. quia cuncta turbãtur, si integritas cum fraudibus misceatur. Mutilari certe nõ debet, quod laborantibus datur. sed a quo fidelis actus exigitur, cõpensatio immunita præstetur. Da certe solidum, & aufer inde si prævales, trade libram, & aliquid inde, si potes, imminue. Cũcta ista nominibus ipsis constat esse prouisum, aut integra tribuis, aut non ipsa quæ dicuntur exoluis. Non potestis omnino, non potestis, nomina integritatum dare, & sceleslestas imminutiones efficere. Prouidete itaque, vt & arbiter arcæ habeat iustas

iustas consuetudines suas, & quod benemeritis impendimus, incorrupto munere consequantur.

SERVATO. DVCI. RETIARVM. THEOD. REX

DEcet te honorem, quem geris nomine, moribus exhibere. vt per prouinciam, cui presides, nullam fieri violentiam patiaris, sed totum cogatur ad iustum, vnde nostrum floret imperium. Quapropter Maniarij supplicatione commoti, præsentibus te affamur oraculis. vt si revera mancipia eius Breones irrationabiliter. cognoueris abstulisse, qui militaribus offitijs assueti, ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iustitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella martia semper intendunt, dum nescio quo pacto assidue dimicantibus, difficile est morum custodire mensuram. omni proteruia remota, quæ de præsumptione potest virtutis assumi, postulata facies sine intermissione restitui. Ne per dilationis incommoda, eorum videatur supplex odisse victoriam.

EVGENITI. V. I. MAGISTRO. OFFICIORVM
THEOD. REX

POmpa meritorum est regale iudicium. quia nescimus ista, nisi dignis impendere. Et quanq̃ potestati nostrę, deo fauente, subiaceat omne, quod volumus, voluntatem tamen nostram de ratione metimur. vt illud magis æstimemur elegisse, quod cunctos dignum est approbare. Hinc est, quod te literati dogmatis studia laudabiliter exequentem, pridem ad quæsturæ culmen elegimus, vt honesti laboris tui fieret præmium dignitas literarum. Quid enim aduocationis offitio, si pure impendatur, ornatius? quod peregrinum negociũ ad suas molestias trahit, vt laboribus subueniat alienis. In hoc campo exercitatus cursu meritorum, ad palmam nostri iudicij peruenisti. Nec tamen benignitas nostra vna remuneratione contenta, honorem geminat, augmenta procurat, & eo studio dona reparat, quasi debeat omne quod præstat. Sume igitur Magisteriæ infulas dignitatis, vsurus omnibus priuilegijs, quę tuos habuisse constiterit decessores. Atq̃ ideo tanto iudicio lętare susceptо, qui pro labore honoris tui, honorem alterũ accipere meruisti. Quid em̃ de priore sensimus præmio, secundæ dignitatis declaramus augmento. Nati sunt fasces ex fascibus, & naturam retinentes fętus arborei pullularunt iterum decenter abscisi. Verum te hæc remuneratio satietate non expleat, nec det laboribus tuis ferias, nostri laus inuenta iudicij, desiderabilior quinimmo sit honestas cum peruenit ad præmium. & tunc fiat gratius labores anxios fuisse perpessum, cum te fructum eorum intelligis inuenisse. Honores ergo, quos sumis ex chartis, redde de meritis. Nosti em̃ bene, quo nobis studio placeatur, qui ab ipsius consilij penetralibus venis. Meministi, quoties apud nos laudati sint innocentes, quoties bonis actibus reddidimus vicem. ore tuo iudicia nostra loquebamur. Exemplis talibus incitare. Esto innocẽtię tem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plum,temperantiæ ſacrarium,ara iuſtitiæ. Abſit a iudiciarijs mentibus aliquid profanum. Pio principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

DIgnitas P. C. dum ad incognitum venit,donum eſt. cum ad experum,compenſatio meritorum,quorum alter debitor iudicij, alter obnoxius eſt fauori. Hos enim æſtimatione ſubuehimus, alios gratia promouemus, & ad omnes indulgentię vias noſtra ſe relaxat humanitas. Sed amoris veſtri intuitu commouemur, quoties in veſtrum cœtum deducitur, qui de glorioſis virtutibus æſtimatur. Quicquid em̃ Humani Generis floris eſt,habere curiam decet,et ſicut arx decus eſt vrbium,ita illa ornamentum eſt ordinum cæterorum. Atq; ideo Eugeniten illuſtrem virum literati dogmatis opinione fulgentem,magiſterij honore ſubeximus. vt gereret nomine,quam poſſidebat meritis dignitatem. Quis em̃ tot eius officioſos labores ignoret? quos nõ vilitate mentis exercuit,ſed patrocinij honore ſeruauit. Dedimus itaq; perſonam tantis honoribus parem,vt alterutro decore fulgentes,mutua ſe gratia qualitatis ornarent. Hic eſt,qui noſtro pridem lateri veridicus quæſtor adhæſit. quem liuoris nebula nulla fuſcauit, nec maleuolentiæ ſtudio nocendi artes fellitis ſenſibus exquiſiuit. ſyncero pectoris arcano puritati noſtræ paruit, & ad pietatem iuſſionum innocentiam ſuam præbuit. Animus enim doloſus nõ arbitrium ſequitur imperantis, ſed ſuas potius explicat voluntates. Habetis euidens noſtrum in hac parte iudicium,vt poſt illius apicis culmen,ad alteram conſcẽderet dignitatem. nec paſſi ſumus ocioſum,quem merita non ſinebant eſſe priuatum. ſereni Solis conſuetudinibus æſtimandus. qui licet ſuſceptum diem peragat, alterum tamen eadem gratia claritatis illuminat. Hunc ergo P. C. tot meritis abſolute relucẽtem,fauor veſter excipiat. Debetis enim bene gerentibus. vt eos laudis veſtræ comitetur aſſenſus. Nam ſi equorum curſus hominum clamoribus incitatur,& ſonantium manibus agitur, vt a multis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines ſtimulari poſſe credimus, quos ad laudis auiditatem natos ſingulariter inuenimus?

FAVSTO . PRAEP . THEOD . REX

LIbenter omnibus modis præbemus aſſenſum, quoties vox eſt iuſta poſcentium. quia nec decet eſſe difficile beneficium, quod largitate non patitur detrimentũ. Et ideo præcelſa magnificentia tua,quod a Chathalienſibus inferebatur genere Tertiarum, faciat annis ſingulis in tributaria ſumma perſolui. nec poſt ſuper hac parte patiantur ſupplices aliquam queſtionem. Quid enim intereſt,quo nomine poſſeſſor inferat, dummodo ſine imminutione quod debetur exoluat? Ita & illis ſuſpectum Tertiarum nomen auferimus,& a noſtra manſuetudine importunitates competentium ſubmouemus.

FESTO

FESTO . V. I. ATQVE. PATRITIO . THEOD . REX

GRatum nobis eſt, quoties de magnitudinis tuæ meritis æſtimatio talis procedit, vt & infirmorum auxilium,& abſentium credaris eſſe tuitio. Nam ideo et Senator prior eſſe meruiſti, vt te ſequentibus pro iuſtitiæ contemplatione præſtares. Vnde fit, vt bona nobis de te creſcat opinio,glorioſę actionis exemplo. Nulli enim proprias res a diſcedente committitur, niſi de cuius bene conſcientia iudicatur. Idcirco præſenti iuſſione decreuimus, vt domus patritij Angeli ad Africam diſcedentis,qui regnum petens alterius,noſtris eſt vtilitatibus ſeruiturus,ſaluis legibus tua tuitione valletur. ne violentos cuiusq; impetus ſubtracta domini defenſione patiatur. Peruiæ ſunt enim ſemper iniurijs facultates abſentium, & quodammodo videtur occaſio homines in delictũ trahere, quæ non poteſt animum peruadentis de reſultatione terrere. Ideoq; celſitudo veſtra, quã notum eſt habere vicinam,erigat humiles, eripiat opprimendos. &,quod poteſtatibus rarum eſt, proficias cunctis, qui vniuerſis celſior inueniris.

IVLIANO . COMITI . PATRIMONII . THEOD . REX

ILlud amplius noſtris vtilitatibus applicamus, quod miſericordi humanitate concedimus. Regnantis enim facultas tũc fit ditior, cum remittit. & acquirit nobiles theſauros famæ, neglecta vilitate pecuniæ. Hinc eſt, q̃ conſuetudinis noſtræ humanitate cõmoniti,opem feſſis,manum porrigimus oneratis. vt pietatis noſtræ remedio ſurgant,qui fortunæ ſuę acerbitate corruerant. Dudum ſiquidem conductores Apuli deplorata nobis aditione conqueſti ſunt,frumenta ſibi inimicorum ſurreptionibus cõcremata. poſtulantes ne cogantur ad integram præſtationem,quibus commertiorum ſunt cõmoda diminuta. Quod nos pro ingenita humanitate conſiderandum eſſe iudicamus. vt quorum non poſſumus accuſare deſideria,releuandam potius æſtimemus fortunã. Inde enim conſtitutas penſiones inferri volumus, vnde conſtat ſubiectos commoda conſecutos. Et ideo hanc cauſam ſublimitatẽ tuam iubemus diligenter inquirere. vt quantum eos minus vendidiſſe conſtiterit,de reliquis primę indictionis habita moderatione detrahatis. ita tamen,vt nulla fraus noſtris beneficijs inſeratur. Ne aliqua negligentia reddaris obnoxius,qui ſemper nobis prouida intentione placuiſti. Quia ſicut nos tangunt ſupplicum damna,ita nobis eorum fructuoſa debent eſſe compendia.

VNIVERSIS . GOTHIS . ET . ROMANIS . DERTONAE CONSISTENTIBVS . THEOD . REX

PVblicæ vtilitatis ratione cõmoniti(quæ nos cura ſemper libenter onerauit)Caſtrum iuxta vos poſitum,prẽcipimus communiri. Quia res prẽliorum bene diſponitur,quoties in pace tractatur. Munitio quippe tunc efficitur prævalida, ſi diutina fuerit excogitatione roborata. Omnia ſubita probãtur incauta.& male conſtructio loci tunc quæritur, quando iam pericula formidantur. Adde,q̃ ani-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus ipse nõ potest esse in audaciã pronus, qui diuersa fuerit cura solicitus Hanc merito Expeditionem nominauere Maiores, quia mens deuota prę lijs, non debet alijs cogitationibus occupari. Quapropter amplectenda res est, quæ generalitatis consideratione præcipitur. nec moram fas est incurrere iussionem, quæ deuotos maxime noscitur adiuuare. Et ideo præsenti auctoritate decreuimus, vt domos nobis in prædicto castello alacriter construatis, reddentes animo nostro vicissitudinem rerum. vt sicut nos vestris vtilitatibus profutura censemus, ita tempora nostra ornare vos pulcherrimis fabricis sentiamus. Tunc enim accidit, vt & sumptus competentes nostris iam penatibus congregare velitis, & habitatio vobis non sit ingrata, quam propria potest commendare constructio. Quale est rogo in laboribus proprijs esse, cũ durissimas mansiones hostis cogitur sustinere? Ille imbribus pateat, vos tecta defendant. illum inedia cõsumat, vos copia prouisa reficiat. Sic vobis tutissime constitutis hostis vester ante euentum certaminis fata patietur perditoris. Constat em̃ tempore necessitatis illum probari fortissimum virum, qui se per multa nõ distrahit. Nam quis eum prouidentiam habuisse putet, si tunc cœperit fabricis operam dare, aut penum condere, cum oporteat bella tractare?

DOMITIANO. ET. VVILIAE. THEOD. REX

OPortet vos colere & obseruare iustitiam, qui æquitatem populo dicere suscepistis. quando non licet delinquere, qui alios creditur sub æquitatis regula continere. ne fiat exemplum prauum, qui electus ad laudabile cognoscitur institutum. Et ideo ad interrogationem vestram curauimus præbere responsum. ne per dubitationem possitis errare, nisi (quod absit) velitis excedere. Si Romani prædium (ex quo Deo propitio, Sonti fluenta transmisimus, vbi primum Italiæ nos suscepit imperium) sine delegatoris cuiusquam pictatio, præsumptor barbarus occupauit, eum priori domino submota dilatione restituat. Quod si ante designatũ tempus rem videtur ingressus, aduersus quam præscriptio probatur obuiare tricennij, petitionem iubemus quiescere pulsatoris. Illa enim reduci in mediũ volumus, quæ nostris temporibus præsumpta damnamus. Quia locus calumniandi non relinquitur, cum longi temporis obscuritas præteritur. De percussore tantummodo nõ etiam peremptore fratris, quanq; omnium cõmuni lege damnetur, solumq; sit parricidium, quod totius tragœdiam reatus exuperet. tamen humanitas nostra, quæ sibi & in sceleratis locum pietatis inquirit, præsenti auctoritate definit, vt huiusmodi portenta prouincię finibus abigantur. Nam quibus fuit exosa societas parentum, ciuium non merentur habere consortium, ne puri corporis iucunda serenitas, nebulosis maculis polluatur.

SATVRNINO. ET. VERBVSIO. VV. SS. TH. REX

ILici volumus legale custodiri compendium. Quia nostra clementia rebus proprijs videtur esse contenta. Et sicut nullum grauare cupimus, ita debita nobis perdere non debemus. Indigentiam iuste fugimus, quæ suadet excessus. dum pernitiosa res est, in imperante tenuitas. Modus vbique laudandus est. Nam cur aut vituperabilis negligentia in proprijs defluat, aut aliena cupiditas turpis abradat. Et ideo vobis præsenti iussione præcipimus, vt Adrianæ ciuitatis curialium insinuatione suscepta, quicunq; Gothorum Fiscum detrectat implere, eum ad æquitatem reddibitiõis arctetis. Ne tenuis de proprio cogatur exoluere, quod constat idoneos indebite detinere. Hac scilicet ratione seruata, vt siquis contumacię vitio maluerit nostra iussa tardare, cũ mulcta reddat, quæ debuit etiam non compulsus offerre. quatenus proteruo spiritu indecenter erecta, impunita iustis sęculis non relinquatur audacia.

ALBINO. ET. ALBIENO. VV. II. ATQ. PATRITIIS. TH. REX

ILicet inter glorioſas Reipub. curas, & regalium ſolicitudinum ſalutiferos fructus, pars minima videatur, principem de Spectaculis loqui. tamen pro amore Reipub. Romanæ non pigebit, has quoq; cogitationes intrare. quia vndecunq; prę ſtare poſſumus, dignum noſtris ſenſibus æſtimamus. prę ſertim cũ beatitudo ſit temporum lętitia populorũ. Illud enim, propitiante Deo, labores noſtros aſſerit, quod ſe ocioſam generalitas eſſe cognoſcit. Partis itaq; Praſini inſinuatione comperimus (quoniam hoc introductum eſt, vt populi de colore vocitentur) ſeditiones turbulentæ a quibuſdam ſceleſtiſſimis incitari, & cauſam lætitię publicæ ad furoris certamina prorupiſſe. Quod vtiq; gaudij decoram non poteſt habere qualitatem, ſi pacem non meruerit poſſidere communem. Et ideo dignum eſt clementiam noſtrã has quoq; partes aſpicere, vt vbiq; poſſit morum probitas elucere. Non enim inania verborum populariũ cogitamus, ſed pernitioſæ ſemẽ ſeditionis excludimus. Quapropter illuſtris magnitudo veſtra præſenti iuſſione cõmonita, patrocinijũ partis Praſini, quod glorioſę recordationis pater noſter impendit, dignanter aſſumat. Putari em̃ non debet iniuria, populos regere ac gubernare Romanos. Nam ſi bonorum omniũ cauſa pẽſetur, prõ eorũ vtilitate delecti ſunt, qui honores gloriosiſſimos accipere meruerũt. Conuocatis ergo ſpectatoribus de Helladio & Theodoro, qui lætitiæ publicæ aptior fuerit æſtimatus, populi confuſione ſublata conſtituatur a vobis Praſini Pantomimus, quatenus ſumptum, quẽ pro ſpectaculo ciuitatis impendimus, electis contuliſſe videamur. Hanc partem muſicæ diſciplinæ Mutã nominauere Maiores, ſcilicet quę ore clauſo manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut ſcripturæ textu, poſſit agnoſci.

MAXIMIANO. VI. ET. ANDREAE. VS. THEOD. REX

PRouocandi ſumus affectuoſis ciuiũ ſtudijs ad augmẽta ciuitatis. Quia nemo poteſt diligere, quod habitatores intelligit non amare. Vnicuiq; patria ſua carior eſt, dum ſupra omnia ſaluum forẽ quæritur, vbi ab ipſis cunabulis commoratur. Quapropter votis paribus inuitemur ad dona, quatenus quod ſpõte tribuimus, duplicata gratia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia conferamus. Et ideo nulli graue sit, Romanis fabricis deputatę pecuniæ reddere rationem, cũ pura conscientia desideret se probari. quando fructum laboris sui capit, dum ad nos prospera de se peruenire cognoscit. Quo circa præsenti decernimus iussione, Romanæ ciuitatis fabricas vos debere discutere, si labor operis cõcordat expensis, vel apud aliquem constet residere pecuniam, quæ non sit fabricis expensa, deputatæ rei reddat erogandam. Quibus rationibus euidenter expressis, ad nos instructionem fidelissimam destinate. vt iudicio nostro respõdere videamini, qui estis ad indaginem veritatis electi. Nullum em̃ de largitate nostra fraudari velle credimus, quando in tali negocio & de propriis facultatibus eum impendere posse iudicamus. Aues ipsæ per aëra vagantes, proprios nidos amant. Erratiles ferę ad cubilia dumosa festinãt. Voluptuosi pisces campos liquidos transeũtes, cauernas suas studiosa indagatione perquirũt. Cunctaq; animalia ibi se norunt refugere, vbi longissima cupiũt ætate constare. Quid iam de Roma debemus dicere, quam fas est ab ipsis liberis plus amari?

MARCELLO . V.S. ADVOCATO . FISCI . THEOD . REX

SOlida laus est Regiæ largitatis, quoties conueniunt indulta iudicijs, nec sibi audet casus adscribere, qui bonæ dispositionis librat examen. Quia vbi aptantur officia meritis, nil debet incertis. Nõ enim de rudibus sententiam ferimus, sed de probatissimis iudicamus. Polisti siquidem forensi cote multifarie prædicatus ingenium, nutristi facundiam exercitatione causarũ. expertus es, q̃ suaues Fides afferat fructus, vt etiam ipsa conciliet corda regnantiũ. Hæc in te speculator virtutum noster sensus inspexit. His apud nos suffragijs placere meruisti, vt dignus existeres ad publicas causas, qui gessisti hactenus sub integritate priuatas. Sume igitur Fisci nostri tuenda negocia, in vtendis officij tui priuilegijs decessorum exempla secuturus. Ita ergo per medium iustitiæ tramitem moderatus incede, vt nec calumnia innocentes graues, nec iustis petitionibus retentatores exoneres. Illa enim vera lucra iudicamus, quæ integritate suffragante percipimus. Non ergo quoties superes, sed quemadmodũ vincas inquiramus. Aequitatẽ nobis placiturus intende. nõ quæras de potestate nostra, sed potius de iure victorias. quando laudabilius a parte Fisci perditur, cum iustitia nõ habetur. Nam si dominus vincat, oppressionis inuidia est. æquitas vero creditur, si supplicẽ superare contingat. Non ergo paruo periculo causas dicimus. quando tunc fama nostra proficit, cum se cõmoditas iniusta subducit. Quapropter fit interdum causa mala Fisci, vt bonus princeps esse videatur. Maiori quippe compendio perdimus, q̃ si nobis indebite victoria suffragetur.

CELIANO . ET . AGAPITO . VV. II. ET . PATRITIIS . TH. REX

DEcet quippe regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam. quoniam ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ameť. Quid est em̃ quod nos melius prędicet, q̃ quietus populus, cõcors senatus, totaq; respub. morũ nostrorũ honestate vestita?

Hinc

Hinc est, quod præsenti iussione decreuimus, vt patritij atq; magnifici viri, Festus atq; Symmachus, contra illustrem & patritium Paulinum in iudicio vestro, quas se habere dicunt, exerant actiones. Quibus pro legum ratione susceptis, & si iuris ordo patitur definitis, tunc patritius Paulinus, quicquid aduersum supra memoratos magnificos viros se habere causať, pari sorte depromat. Nec tardari volumus in eius quacũq; parte sententiã, dum velimus omnia inter eos esse decisa, nihilq; aliud relinqui, nisi quod debetur affectui. Videte ergo tãti iudicij arbitros vos electos. videte expectationem nostram, æquabilem flagitare iustitiam. relaturi gratię vberrimum fructum, si præsens disceptatio, quos dignos credidit, non impares probet esse. Debet enim de talibus viris esse cura precipua, qui dare possunt minoribus euidenter exempla. Nam qui inter summos viros litem negligit abolendam, hoc imitari reliquos sine dubitatione permittit.

VNIVERSIS . GOTHIS . THEOD . REX

INnotescenda sunt magis Gothis, q̃ suadenda certamina. quia bellicosæ stirpi est gaudium comprobari. Laborem quippe non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit. Et ideo iuuante Deo, quo auctore omnia prosperantur, pro communi vtilitate exercitum ad Gallias constituimus destinare. Vt simul et vos prouectus occasionem habere possitis, & nos quæ præstitimus, meritis contulisse videamur. Latet enim sub ocio laudabilis fortitudo. & dum se probandi nõ habet spatium, occulta est lux tota meritorum. Atq; ideo Pernandium Saionem nostrum admonendum curauimus, vt ad expeditionem, in Dei nomine, more solito, armis, equis, rebusq; omnibus necessarijs sufficiẽter instructi, octauo die Cal. Iuliarum, proxime veniente, modis omnibus, Deo fauente, moueatis. quatenus & parentum vestrorum in vobis ostendatis inesse virtutem, & nostram peragatis feliciter iussionem. Producite iuuenes vestros in martiam disciplinam. Sub vobis videant, quod posteris referre contendant. Nam quod in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur. Accipitres ipsi, quorum victus semper ex præda est, fœtus suos nouitate marcentes, nidis proturbant, ne molle ocium consuescant. alis verberant immorantes. cogunt pullos teneros ad volatum. vt tales debeant existere, de quibus possit pietas materna præsumere. Vos autem, quos & natura erigit, & amor opinionis exacuit, studete tales filios relinquere, quales vestros constat vos patres habuisse.

SABINIANO . V.S. THEODERICVS . REX

NIl prodest initia rei solidare, si valebit præsumptio ordinata destruere. Illa sunt enim robusta, illa diuturna, quæ prudentia incipit, & cura custodit. Atq; ideo nõ minor in conseruandis rebus, q̃ in inueniẽdis adhibenda cautela est. Quia de initis prædicatio debetur inuento. de custoditis autẽ acquiritur laudata perfectio. Dudum siquidem propter Romæ mœnia ciuitatis, vbi studiũ nobis semper impendere

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere,infatigabilis ambitus erit,portum Sicini deputatis redditibus reparari iussio nostra cõstituit.vt viginti quinq; millia tegularũ annua illatione prę stares, simuletiam portubus iunctis, qui ad illa loca antiquitus pertinebãt, & nunc diuersorum vsurpatione suggeruntur inuasi.Cuncta ergo ad sta tutam prestationẽ facies sine dilatione reuocari. Quia licet nostra iussa pro sua reuerentia in nullo violanda sint, ea tamen custodiri volumus maxime, quę Vrbis faciem videntur ornare. Quis em̃ dubitet, fabricarum miracu la hac prouisione seruata? et pendenti saxo formatas cameras tegularũ re gimine custoditas? Vt antiqui principes nobis merito debeãt suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam iuuentutem.vt pristina nouitate re luceant,quæ iam fuerant veternosa senectute fuscata.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

NEfas est,apud eos fidẽ beneficij prioris imminui,quibus alia con uenit a nostra sæpius largitate præstari.Sed sicut quæ semel an nuimus,rescindi perpetuo non merentur. sic qui largitatem no stram moderatis precibus impetrarunt,nostrorũ terminos prę stitorũ immodica non debent præsumptione transcendere. Vnde quia re ligiosi studij reuerentia commonemur, vt quæ dudum Ecclesiæ viri vene rabilis Versilliæ antistitis prestitimus, valere in perpetuũ censeamus,nunc quoq; illustrem magnificentiam tuam duximus admonendam, quatenus super indictorum onera titulorum,prefata Ecclesia in ea summa onus non sentiat,quæ vsque, a magnifici viri Cassiodori patritij, pura nobis fide & integritate comperti, temporibus est soluta. Ea vero, quæ a tempore be neficij ad Ecclesiam vestram ab aliquibus est translata possessio,commune cũ vniuersis possessionibus onus solutiõis agnoscat.& illius subiaceat fun ctioni,cuius nacta est iura dominij. Alioqui grata nobis augmẽta eius esse nõ possunt,qui fisci damno proficiunt.Sufficiat possessori compendiũ pen sionis. Tributa sunt purpuræ,nõ lacernæ.Lucrum cum inuidia periculum est. Quanto melius,omnia moderata gerere,quæ nullus audeat accusare?

SPECIOSO . THEOD . REX

SI exterarum Gentium mores sub lege moderamur. si iuri Ro mano seruit,quicquid sociatur Italiæ.quanto magis decet ipsam ciuilitatis sedem legum reuerẽtiam plus habere? vt per modera tionis exemplum,luceat gratia dignitatum. Vbi enim quęratur modestus animus, si fœdent violenta patritios? Populi itaq; nobis par tis Prasini petitione suggeritur, dum ad nostrum disponerent Comitatum venire,remedia consueta poscẽtes,se truculentas insidias, a patritio Theo doro,& Importuno viro illustri Consule pertulisse. ita vt vnus eorum de fleatur extinctus. Quod nos, si ita est,pro facti sui acerbitate commouit,vt innoxiam plebem furor persequeretur armatus, quam fouere ciuicus de buisset affectus. Sed quia conditio minorum regnantis æquabiliter im plorat auxilium, supra memoratos illustres admoneri præsenti iussione censemus

censemus,vt ad Celiani atq; Agapiti illustrium virorum eque iudicium in structas destinare nõ differant,te instante,personas.quatenus legibus exa minata cognitio, eorũ sententia terminetur. Sed ne forsitã magnificos vi ros loquacitas popularis offenderit, præsumptiõis huius habẽda discretio est. Teneatur ad culpam quisquis transeunti reuerentissimo senatori iniu riam proteruus inflixit,si male optauit,cum bene loqui debuit. Mores au tem graues in Spectaculis quis requirat? Ad Circũ nesciunt cõuenire Ca tones.Quicquid illic gaudenti populo dicitur,iniuria non putat.Locus est qui defendit excessum.Quorum garrulitas si patiẽter accipitur, ipsos quo que principes ornare mõstratur.Respondeant nobis certe,qui talibus stu diis occupantur. si tranquillos optant, aduersarios suos, certe volunt eos esse victores. quãdo ad iniurias tũc prosiliunt,cũ se superatos turpiter eru bescunt. Vnde ergo irasci volunt,quod sine dubio se optasse cognoscunt?

VNIVERSIS . GOTHIS . ET . ROMANIS
THEODER. REX

DIgna est constructio ciuitatis, in qua se commendet cura rega lis. quia laus est temporum reparatio vrbium vetustarum. In quibus & ornatus pacis acquiritur,& bellorum necessitas præ cauetur. Ideoq; præsenti iussione profutura sancimus,vt siquis cuiuslibet generis saxa,in agris suis iacẽtia,muris habuerit profutura, libẽs animo sine aliqua dilatione concedat. Qui tunc verius possidebit,cum hæc ciuitatis suæ vtilitati indulserit.Quid enim gratius,q; videre crescere pub licum decus, vbi omnium vtilitas in generalitate concluditur? Et licet prę stentur vilia, ad auctores suos magna sunt commoditate reditura. Datur enim plerunq;,quod maiori vtilitate recipitur. Et frequenter homo lucra sua complectitur,cum necessario pro temporis qualitate largitur.

VNIVERSIS . LVCRISTANIS . SVPER . SONTIVM
CONTSITVTIS . THEODER. REX

NOn dubium est,ad vtilitatem Reipub. cursus custodiam perti nere.per quem nostris ordinationibus celerrimus prestatur effe ctus. Et ideo,velut necessarię rei,maior adhibenda cautela est.vt qui ad continuos cursus constituti sunt,turpi macie non tabe scant.ne ieiuna tenuitas laboribus præuenta succumbat.& incipiat iter fieri morosum, quod ad celeritatem constat esse inuentum.Quapropter deuo tio vestra,præsenti iussione commonita,terrarum spatia,quę veredis antea licuerant mutationibus, suis a possessore vendicata restituat. Vt nec illis paruo spatio inducantur damna,& istis recuperata sufficiant.

SENATVI

Universidad de Deusto
Biblioteca

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

ANimum nostrum, Patres Conscripti, Reipub. curis calentem, & diuersarum gentiū consilia perscrutantem, pulsauit sæpius querela populorū, orta quidem ex causis leuibus, sed graues eructauit excessus. Deplorat enim pro Spectaculorum voluptate, ad discriminis se vltima peruenisse, vt legum ratione calcata, desperate persequeretur innoxios seruilis furor armatus. & quod illis humanitas nostra lætitiæ causa præstitit, in tristitiam audacia plectenda conuertit. Quod nos clementiæ nostræ solita prouisione cōprimimus. ne paulatim sinendo, grauiorem vindicare cogamur offensam. Benigni quippe principis est, nō tam delicta velle punire, q̄ tollere. ne aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leuiter agendo, putetur improuidus. Atq; ideo præsenti definitiōe sancimus, vt si cuiuspiam senatoris famulus, in ingenui cęde fuerit fortasse versatus, eum tradat legibus impetitum, vt facti qualitate discussa, proferatur iure valitura sententia. Si vero tanti facinoris reum fide mala dominus iudicijs præsentare distulerit, nouerit se decem librarum auri dispendio vulnerandum, & nostrę ingratitudinis, quod multo grauius est, pericula subiturum. Sed vt honestatem omnium par libra componeret, & ciuitatis gratia reductis moribus conueniret, ad populum quoq; præcepta nostra direximus. quæ vobis referari libenter amplectimur. vt alterutra iussione pensata, farciatur ciuibus scissa concordia. Proinde nullū a Spectaculorum gaudio remouemus, sed seditionis semina radicitus amputamus. Interfit igitur inter splendorem vestrū, moresq; mediocres. refugite tales familiares, qui sint iniuriarū ministri. qui honori vestro nitantur adscribere, quod delinquunt. & dum leuitates suas asserere cupiunt, vestrā reuerentiam implicare contendunt. Vos enim, quos semper grauitas decet, nolite truculenter insequi inania verba populorum. Si quid est forte quod pœnam mereatur admissum, in Prę fecti vrbis notitiam deferatur. vt culpa legibus, nō per præsumptam coerceatur iniuriam. Quid enim discrepat a peccante, qui se per excessum nititur vindicare? Impœnitenda est vltio, quæ de legibus venit, & excellenter videtur de pulsato triumphasse, qui victor pronuntiatur a iudice. Inter ipsos quoq; aduersarios, vt scitis, non erant prius armata certamīa. sed pugnis se quanlibet feruida lacessebat intentio. Vnde & pugna nomen accepit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit. a quo & bellum placuit nominari. Consilium atrox, crudele præsidium, ferina certatio. Nam & si datum illi est prius inermem facile vincere, tamen crimini applicandum est, quod inde posteritas potuit interire. Non permittatis ergo a famulis vestris fieri in ciuibus, quod adhuc debet in hostibus accusari.

POPVLO

POPVLO . ROMANO . THEOD . REX

SPectacula voluptatum, lætitiam volumus esse populorum. nec erigere debet motus irarum, quod ad remissionem animi cōstat inuentum. Ideo enim tot expensarum onus subimus, vt conuentus vester non sit seditionis strepitus, sed pacis ornatus. Mores peregrinos abijcite. Romana sit vox plebis, quam delectet audiri. Conuitia nec gaudium pariunt, nec de lætitia procreantur. Hoc fuit certe, quod culpabatis in exteros. Nolite modo vitia turbulenta contrahere, quæ videtis alios abiecisse. Atq; ideo edictali programate definimus, vt si atroces iniurias in quempiam Senatorum vox iniusta præsumpserit, nouerit se a præfecto Vrbis legibus audiēdum, vt pro facti qualitate discussa excipiat promulgatam iure sententiam. Verum vt omne semen discordię funditus amputetur, præfinitis locis pantomimos artes suas exercere prę cipimus. quod vos poterit instruere ad præfectum vrbis data præceptio. Tantum est, vt animis compositis peragatis lætitiam ciuitatis. Nihil est enim, quod studiosius vos seruare cupimus, q̄ vestrorū veterum disciplinam. Vt quod ab antiquis laudabile semper habuistis, sub nobis potius augeatis. Soletis enim aēra ipsa mellifluis implere clamoribus, & vno sono dicere, quod ipsas quoque belluas delectet audire. profertis voces organo dulciores. & ita sub quadam armonia cytharæ concauum theatrum per vos resonat, vt tonos possit quilibet credere, cū clamores. Nunquid inter ista rixæ decent, aut inflammata contentio? Abijcite furores læti, iram gaudentes excludite. Taliter enim animi aliorū temperari possunt, cum vestri fauores suauiter audiuntur.

AGAPITO . VIRO . ILLVSTRI . PRAEF . VRB.

THEODERICVS . REX

IXimiæ vrbis præsulem, pacis conuenit esse custodem. Nā a quo melius moderatio debet sperari, q̄ cui potuit Roma committi? Illa enim mater omnium dignitatum viros sibi gaudet præsidere virtutū. Et ideo honori tuo debes animos exæquare. vt quod nostris adeptus es beneficijs, tuis meritis inuenisse credaris. Circunspicere te decet, ne qua in Spectaculis seditionum causa nascatur. quia tuum prę conium est, populus quietus. Sit insultandi cōsuetudo moderata. vt nec libertati pereat honesta licentia, nec desit moribus disciplina. Quo circa sicut nostris oraculis & amplissimum ordinem docuimus, & plebem decreuimus admoneri, hoc tuam quoq; magnitudinē obseruare censemus. Vt si a quoquam irrogata fuerit iniuria senatori, confestim loquax temeritas legum seueritate plectatur. Si vero senator, ciuilitatis immemor, quenquam ingenuum nefaria fecerit cæde vexari, protinus relatione transmissa perennitatis nostræ mulctam perculsus excipiat. Meminerint enim cuncti, sic Spectaculorū studia partesq; diuidere, vt in patria debeant esse concordes. nec ad hoc voluptatum sibi exhiberi certamina, vt exinde hostilis ira feruescat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verum, ne posthac vlla possit iterum furiosa contentio prouenire, Helladius de medio, voluptatem populis prẽstaturus, introeat. habiturus ęqualitatem menstrui cũ cæteris partium pantomimis. Illud etiam, quod crebras inter eos seditiones exagitat, prẽsenti iussione definimus, vt amatores Helladij, quem de medio saltare præcepimus, sine vtriusq; partis studio, spectandi eis vbi delegerint, libera sit facultas. Si vero eorum lubrica voluntas in vnius coloris fauorem migrauerit, studia sua populus tam in Circo, q̃ theatro habeat pro parte quam diligit, vt is qui præsumpserit vetita, ipse iudicetur quęsisse discordiam.

AGAPITO . V.I. PRAEF . VRB . THEOD . REX

NEscit serenitatis nostræ semel prolatum titubare iudicium, nec quod prouida dispositione cõstituit, cuiusquam occasionis surreptione mutauit. Dudum siquidem ad Albinum atque Albienum patritios nostros præcepta nos dedisse retinemus, vt pantomimum Prasini partis colligerent, qui præstantius Spectaculis conueniret. Quod nobis factum sua relatione retulerunt. Et ideo nunc præsenti auctoritate decreuimus, vt quem a supra memoratis magnificis viris electum esse constiterit, ei solitum menstruum partis Prasini sine imminutione tribuatis. vt quod nostra prouisio, confusionis tollendæ causa, constituit, non fiat seditionis occasio, sed quietis.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

COpia frumentorum prouinciæ debet primum prodesse, cui nascitur, quia iustius est, vt incolis propria fœcunditas seruiat, q̃ peregrinis commercijs studiosæ cupiditatis exhauriat. Alienis siquidem partibus debet impendi, quod supereſt. & tunc de exteris cogitandum, cum se ratio propriæ necessitatis expleuerit. Atque ideo illustris magnificentia tua per loca singula, qui curam videntur habere litorum, faciat commoneri, vt non ante quispiam peregrinas naues frumentis oneret, ad aliena litora transituras, quam expensæ publicæ ad optatam possint copiam peruenire.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

CVm siccitas præsentis anni, quæ localiter certis solet desæuire temporibus, terrenis visceribus nimio calore duratis, abortiuos messium fœtus non tam edidit, q̃ imperfecta vbertate proiecit, maiori nunc studio quærenda sunt, quæ etiam in abundantia expeti consueuerunt. Et ideo frumenta publica, quę de Calabro atq; Apulo litoribus per Cancellarium vestrũ æstatis tempore consueuerant destinari, nec autumno venisse, modis omnibus permouemur. Cum Solis reflexus australia signa discurrẽs, naturę ordine modificatus, tumultuosas procellas aëris permistione resuscitat, quod ab ipsis quoq; mensibus datur intelligi

telligi, quando ex numero imbrium futurorum competenter nomina susceperunt. Quæ ergo talis mora, vt in tantis tranquillitatibus velocia nec dũ fuerint destinata nauigia? cum stellarum non mergentium lucidum sydus tendi carbasa festinãter inuitet, & aëris sereni fides properantium nequeat vota terrere. Aut forte incumbente Austro, remigijsq; iuuantibus meatus nauium Echeneis morsus inter vndas liquidas alligauit. Aut Indici maris conchę simili potentia labijs suis nauium dorsa fixerunt. Quarum quietus tactus plus dicitur retinere, q̃ exagitata possint elementa complere. Stat pigra ratis tumentibus alata velis, & cursum nõ habet cui ventus arridet. sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur. & tam parua animalia plus resistunt, q̃ tot auxilia prosperitatis impellunt. Ita cum subiecta vnda præcipitet cursum, supra maris tergum nauigium stare constat infixum. miroq; modo natantia inconcusse retinentur, dum innumeris motibus vnda rapiatur. Sed vt dicamus aliam piscis naturam, forte nautę prędictarum nauium Torpedinis tactu segnissime torpuerunt. a qua tantũ infigentium dextræ prægrauantur, vt per hastam qua fuerit vulnerata, ita manũ percutientis inficiat, quatenus viuæ substantiæ pars sine sensu aliquo immobilis obstupescat. Credo talia incurrerunt, qui se mouere non possunt. Sed Echeneis illis, impedimentosa venalitas est. concharum morsus, insatiata cupiditas. Torpedo, fraudulenta simulatio. Ipsi enim studio prauo faciunt moras, vt occasiones incurrere videantur aduersas. Quod magnitudo tua, cui specialiter conuenit cogitare de talibus, celerrima faciat emendatione recorrigi. Ne inopia non tam a sterilitate temporis, q̃ a negligentia matre nata esse videatur.

THEORIOLO . V.S. THEOD . REX

VTilitas personarum bonorũ debet successione renouari. ne defectu seruientium patiatur aliquod res suspensa dispendium. Et ideo locum te iubemus quondam Benedicti in Pedonensi ciuitate ex nostra auctoritate suscipere. vt omnia vigilanti ordinatione procurans, nostræ gratiæ merearis augmenta. Debes enim aduertere, quam vicissitudinem reddere studeamus viuis, qui mortuorum fidem non possumus obliuisci. Illud etiam pietatis nostræ consuetudine commonemur, vt quoniam deuotorum nobis memoria probata non deficit, antefati Benedicti quõdam filios, qui syncera nobis cognoscitur deuotione paruisse, ciuili facias tuitione vallari. quatenus defensionis præsentis commodo subleuati, securitatem sibi gaudeant paterna seruitia contulisse. Prosit ergo generi, quod potuit vnius deuotione præstari. Quia maiora nos decet tribuere, quam videamur a seruientibus accepisse. Hic æqualitas æquitas non est, sed pars nostra iustissime pensat, cum reddendo plus fuerit onerata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CRISPIANO . THEOD . REX

QVanuis homicidij facinus primus deteſtet auditus,& cruentam manum oculi refugiant iudicantū, quia procliuior ad miſericordiā uia bonis mentibus ſemp patet. tamē iuſtitiæ conſideratione librandū eſt,qua cuicp fiat iniuria,nefariū ſcelus,qđ noua infelicitate fortunę cōmiſſum eſt.tunc fiat deteſtatio cunctorū, ſi ſe ſeruet innoxium.Quis em̄ ferat hominē ad leges trahere, qui matrimonij niſus eſt iura violare? Feris inſitum eſt,copulā ſuam extrema concertatione defendere. Dum omnibus eſt animantibus inimicum, quod naturali lege damnatur. Videmus tauros, fœminas ſuas cornuali concertatione defendere. arietes pro ſuis ouibus capitaliter inſęuire.equos adiunctas ſibi fœminas colaphis ac morſibus vendicare.Ita pro copulatis ſibi animas ponunt,qui verecundia non mouentur. Homo autem quemadmodum patiatur,adulterium inultum relinquere,quod ad æternum ſuū dedecus cognoſcitur omiſiſſe? Et ideo ſi oblatę petitionis minime veritate fraudaris,et genialis thori maculam deprehenſi adulterij ſanguine diluiſti, nec ſub prætextu cruentę mentis cauſam pudoris intendis,ab exilio quod tibi conſtat inflictū,te prępcipimus alienum. Quoniam pro amore pudicitiæ porrigere ferrum maritis,non eſt leges calcare,ſed condere.Ita tamen,vt ſi legitimus extiterit accuſator, de facti tui qualitate te noueris audiendum. vt ſi innoxios peremiſti,crimen publica diſtrictione reſecetur. Si male initos complexus adulterorum morte diuiſiſti, æſtimetur potius vindicta, cp culpa. Si quis autem tibi calumniantium damna generauit, & Angelo,vt aſſeris, fideiuſſori tuo a vicario vel eius officio extortam cōſtiterit fuiſſe pecuniam,noſtra iuſſione conuictus, ſecundū leges ablata reſtituat.Nolumus enim in cuiuſquam prędam cadere, quos noſtra viſa eſt ſentētia liberare. Pari modo contra inciuilium impetus Candacis tibi tuitionem ſub æquabili defenſione preſtamus . vt nec legibus te ſubtrahat , nec iterum contra iura publica laborare permittat.

COIONI . V.S. THEOD . REX

NOn eſt beneficium, quod præſtatur inuitis . nec cuiquam videtur vtile,quod aduerſa voluntate conceditur. Vnde ſpectabilitas tua Hilarij adoleſcentis nepotis tui cognoſcat, nos querelis grauibus expetitos . cp res patris eius, non meliorandi cauſa, ſed deteriorādi voto detineas. Quapropter quicquid ex iure memorato te retentare cognoſcis, ſine aliqua dilatione reſtitue. vt res parentum propria voluntate diſponat. Quia & nobis cōgrua videtur eſſe perſona,qui aſſumpta domini libertate proficiat.Pullos ſuos audaces Aquilæ tā diu procurato cibo nutriunt , donec paulatim a molli pluma recedentes , adulta ætate penneſcant.quibus vt conſtiterit firmus volatus, nouellos vngues in prædam teneram conſueſcunt , nec indigent alieno labore viuere, quos poteſt captio

captio propria ſatiare. Sic iuuenes noſtri, qui ad exercitum probantur idonei, indignum eſt vt ad vitam ſuam diſponendam dicantur infirmi. & putentur domum ſuam non regere , qui creduntur bella poſſe tractare. Gothis ætatem legitimam virtus facit. Et qui valet hoſtem cōfodere, ab omni ſe iam debet vitio vindicare.

FESTO . VIRO . ILLVSTRI . PATRITIO . THEOD . REX

RAtionabiles petitiones ſupplicū libenter amplectimur,qui etiam non rogati iuſta cogitamus. Quid eſt em̄ dignius, quod die noctucp aſſidua deliberatiōe voluamus, niſi vt Rempub. noſtram ſicut arma protegunt, ęquitas quocp inuiolata cuſtodiat? Spectabilis itacp Filagrius in Syracuſana ciuitate conſiſtens,palatij noſtri longa obſeruatione dilatus,reuerti ſe ad lares proprios ſupplicauit. qui ſtudiorum cauſa fratris filios ad Romanā exhibuit ciuitatem. Quos illuſtris magnificentia tua,ex noſtra cōtinens iuſſione,in ſupradicta Vrbe conſtituat. nec illis liceat ante diſcedere,niſi hoc ſecunda decernamus iterū iuſſione. Ita enim & illis ingenij prouectus acquiritur,& noſtræ vtilitatis ratio cuſtodiatur. Non ergo ſibi impoſitum putet,quod debuit eſſe votiuum. Nulli ſit ingrata Roma,quę dici non poteſt aliena. Illa eloquentiæ fœcunda mater,illa virtutum omnium latiſſimum templum. ſentiatur plane, quod clarum eſt. Non enim ſine inuidia creditur,cui habitatio tanta præſtatur. quibus mora poteſt eſſe proficua. dum interdū expedit patriam negligere, vt ſapientiam quis poſſit acquirere. Vlyſſes Ithacus niſi hoc feciſſet, in laboribus proprijs forſitan latuiſſet.Cuius ſapientiam hinc maxime Homeri nobile carmen aſſeruit , cp multas ciuitates & populos circuiuit. Dum illi prudentiores ſunt ſemper habiti,qui multorum hominum conuerſationibus probantur eruditi. Natura ſiquidem humana ſicut duris laboribus inſtruitur, ita per otia torpentia fatuatur.

ASSIO . V.I. COMITI . THEOD . REX

ORdinatio noſtra non debet per moram impediri. Ne quod ſalubriter conſtat eſſe diſpoſitum, per tarditatis vitium incurrat obſtaculum. Et ideo ante diſtribuenda ſunt arma, cp poſſit flagitare neceſſitas. Vt cum ea tempus exegerit,paratiores ad imperata ſufficiant. Ars enim bellandi,ſi non præluditur,cum neceſſaria fuerit non habetur. Proinde illuſtris ſublimitas tua Salonitanis militibus, vt cuique ſe expediendi facultas obtulerit,pro noſtra iuſſione arma neceſſaria procurabit.quia fida Reipub.ſalus eſt defenſor armatus. Diſcat miles in otio,quod proficere poſſit in bello. Animos ſubito ad arma non erigunt,niſi qui ſe ad ipſa idoneos,præmiſſa exercitatione,confidunt. Geſtiunt vituli certamina, quæ impleant ętate robuſta. Catuli in nouellis venationibus ludunt. Focos ipſos comprehendere virgultis teneris inchoamus. cæterum ſi robora primis ſcintillis adhibeas,igniculū opprimis,quem fouere contendis. Sic animi

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum, niſi prius leniter fuerint imbuti, ad hoc quod tendis, idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pauida ſunt, & aliter timiditas non tollitur, niſi cum rebus neceſſarijs nouitas abrogatur.

AGAPITO . V.I. PRAEF . VRB . THEOD . REX

PRęcipua veſtri Ordinis cura, cautiora nos facit proferre iudicia, & admittendos reuerendo cœtui, examinare cogit ſolicitius honor Senatus. quem nõ ſolum volumus numero augeri ciuium, ſed ornari maxime luce meritorũ. Reijciat alius ordo mediocres, Senatus reſpuit eximie non probatos. Quapropter vnde melius nobilitati collegam quærimus, cp̃ de vena nobilium, qui ſe promittat abhorrere moribus, quam refugit ſanguine, vilitatem? Atcp̃ ideo illuſtris magnificẽtia tua Fauſto Adulto, filio illuſtris Fauſti, decernat attribui, quæ circa Referẽdos Curiæ priſcus ordo dictauit. Hæc enim præcipiẽtes nil imminuimus ſacro ordini de ſolita auctoritate iudicij. quando gloria maior eſt dignitatis, ſpectare ſentẽtiam procerum, poſt regale iudiciũ. Ornatus ipſorum eſt, ſi quę ſolent illi deligere, nos iubemus. & ſi quod ab illis quottidie petitur, nos magno opere poſtulemus.

ARTHEMIDORO . V.I. PATRITIO . TH . REX

REmuneratio meritorum iuſtum dominantis prodit imperium, apud quem perire neſcit, quod quempiam laboraſſe contigerit. Nam ſi inopinata tribuimus, quemadmodũ negare poſſumus, quod debemus? Initium apud nos omis reponit deuotio, quod meretur. & duplicem fructum metit, qui nobis ſe in aliquo paruiſſe cognoſcit. Olim quidem quod eſſet dignitate pretioſius, a nobis habere meruiſti, vt regio lateri dignus adhæreres. Differri te pertulit noſter affectus, apud amantem prouectus tui, cauſam tardius impetraſti. vt poſt ſacræ amicitiæ genium ad honores ornatior peruenires. Cũcta ſiquidem, vnde famam captat humanitas, in te congenita ſederunt, patria, genus, inſtituta præclara. Quorũ ſi vnum nobilitatem complet, in te collecta plus facient, qui nõ minus genitalis ſoli fortuna reſplendes, cp̃ gloria ſtemmatis & virtutis ornaris. Hinc eſt, cp nunc te per indictionem feliciter tertiam ad Prefecturę Vrbanæ culmen erigimus. tribuentes tibi in ea ciuitate faſces, vbi perpetui ſunt honores. Qđ nos, qui munera noſtra verecũdius æſtimamus, certe fatebimur, multũ te meruiſſe de noſtro iudicio. vt illi cœtui preſidere poſſis, quem reuerendum humano generi eſſe cognoſcis. Nunquid hoc eſt, palatia regere, & domos proprias ordinare? Plerunc̃ honor ex commendatis acquiritur, nec tale eſt, cellam vinariam tuendam ſuſcipere, quale precioſa diademata cuſtodire. Illa, quæ potiora credimus, ad cõſeruandũ melioribus damus. & in quibus ſuſtinere damna non patimur, fidelioribus profecto mentibus applicamus. Roma ſi habet parem, eſtima nos et alijs ſimilia credidiſſe. ſi vero ſingulare bonum eſt, iudicem te præcipue rei facimus, quam augere ſemper optamus.

SENATVI

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

SCitis P. C. noſtrum eſſe gaudium etulmina dignitatũ. Scitis vobis proficere, quod nobis contigerit in faſcium honore præſtare. Quod enim ab vno quoc̃ ſuſcipitur, Senatus eſt qui meretur. Quid enim de vobis æſtimemus, agnoſcitis. quando viris longo labore compertis, hoc certe in præmium damus, vt veſtri corporis mereantur eſſe participes. Hic eſt enim vir, qui genitalis ſoli relicta dulcedine, nobis maluit inhærere. Et licet eſſet clarus in patria, noſtram tamen elegit ſubire fortunã, ſuperans gratiæ magnitudine vim Naturæ. qui principe Zenone, non tam benecuolo, cp̃ affine, gaudebat. Et quid in illa Repub. gratia nõ potuit obtinere parentis, quę ſic facillime fauet extraneis? Sed hæc omnia nimius deſpexit affectus. Vt nos ipſi, pro quibus hęc feciſſe cognoſcit, merito ſtupere videamur, in vnius gratia tot deſiderabilia fuiſſe cõtempta. Qui ſuper hanc eximiam fidem ſolatia nobis ſuę confabulationis adiecit. vt aſperas nonnunc̃ Reipub. curas, quas emergentium rerum neceſſitate ſuſcipimus, ſermonis ſuauitate deliniret. Blandus alloquio, ſupplicantium fidelis patronus, accuſare neſciens, cõmendare præſumens. Qui tanta ſe animi puritate clarificauit, vt cum apud nos mereretur aulicas dignitates Spectaculorum ordinatione lætiſſimam ſibi militiam vendicaret. Quatenus ſub ſpecie voluptatis libere videretur velle ſeruire. A laboribus quidẽ temperans, ſed in nulla ſe nobis parte diſſocians. Regalem quinetiam menſam conuiua geniatus amauit. ibi ſe nobis ſtudens iungere, vbi certum eſt nos poſſe gaudere. Sed quid vltra de eius moribus eſt dicendũ, cui ad perfectam probationem ſufficit, cp amorem noſtrum iugiter habere promeruiſſe? Non eſt maius meritum, cp̃ gratiam inueniſſe regnãtium. Nam quibus fas eſt, de cunctis optimos quærere, videntur ſemper meritos elegiſſe. Atcp̃ ideo labores eius remuneratione penſantes, Arthemidoro illuſtri viro Vrbanę Prefecturæ faſces indulſimus. Huic ergo P. C, tot ac talibus meritis prelucenti, fauete linguis, fauete collegijs. Erit veſtræ quoc̃ beneuolentiæ laus, vt cũ dignis caritatem impenditis, ad exemplum cæteros incitetis.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

CAritatem veſtri præcipuam nos habere, ex ipſa cura poteſtis agnoſcere. pro quibus ita videmur eſſe ſoliciti, vt nihil admonitionis patiamur omitti. Cautela ſiquidem prodit affectum. & quę ſtudioſius diligimus, maiori gratia cuſtodimus. Hinc eſt, cp viro illuſtri Arthemidoro, diu noſtris obſequijs erudito, Præfecturę Vrbanæ dedimus faſces regendos. Vt quia quorũdam illicitis ſeditionibus ciuilitas turbabatur, haberent innoxĩ puriſſimũ teſtem, & errantes iuſtiſſimum paterẽtur vltorem. Quod nos, qui delectamur inſontibus, in cunctorum notitiam duximus perferendum. ne quis inopinata diſtrictione ſolite preſumat excedere. Quocirca talia nos præfato viro delegaſſe noueritis, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

si quispiam inciuilis extiterit, districtionē illico nostræ iussionis incurrat. Et quancp Præfecturæ Vrbanæ hanc potestatē dederint leges. nos tamē speʒ cialiter delegauimus. vt cōfidentius fieret, quod duplex permisisset auctoriʒ tas. Audebit ergo seditiosos, & a disciplina publica deuiantes, nostra aucto ritate percellere. Quiescat cōcertantium feruor animorū. Bona pacis, quæ, Deo propitio, nostro labore meruistis, cur seditionibus fœdantur illicitis? Nuncp maiori damno periclitati sunt mores, cp cum grauitas Romana culʒ patur. Reparet itacp honesta ciuitas moderationem suam. Pudor est degeneʒ rasse a prioribus. eo præsertim tempore, cum talem principem cognoscitis vos habere, qui præmia benemeritis, vltionem tribuat inquietis.

BOETIO. VIRO. ILLVSTRI. PATRITIO. THEOD. REX

SPernenda non sunt, quæ a vicinis Regibus præsumptiōis graʒ tia postulātur. dum plerunq; res paruæ plus prævalent præstaʒ re, q magnæ possunt obtinere diuitiæ. Frequenter em̄ quod arʒ ma explere nequeunt, oblectamina suauitatis imponunt. Sit ergo pro Repub. & cum ludere videmur. Nam ideo voluptuosa quærimus, vt p ipsa, seria cōpleamus. Burgundionū itacp domius a nobis magno opeʒ re postulauit, vt horologiū, quod aquis sub modulo fluētibus temperatur, & quod Solis immensi comprehensa illuminatione distinguitur, cum maʒ gistris rerū, ei trāsmittere deberemus. Quatenus impetratis delectatiōibus perfruendo, qd nobis est quottidianū, illis videatur esse miraculū. Merito siquidem respicere cupiunt, quod Legatorū suorum relationibus obstupeʒ scunt. Hoc te, multa eruditione saginatū, ita nosse didicimus, vt artes quas exercēt, vulgariter nescientes, in ipso disciplinarū fonte potaueris. Sic enim Athenienſiū scholas lōge positus introisti. sic palliatorū choris miscuisti togam, vt Grecorū dogmata doctrinā feceris esse Romanam. Didicisti enim, qua profunditate cū suis partibus Speculatiua cogitet. qua ratione Actiua cum sua diuisione discat. deducēs ad romuleos senatores, quicquid Cecropidę Mundo fecerant singulare. Translationibus em̄ tuis Pythagoras musicus, Ptolemæus astronomus, leguntur Italiæ. Nicomachus arithmeticus, geometricus Euclides audiunt Ausonijs. Plato theologus, Aristoteles logicus, quirinali voce disceptāt. Mechanicū etiam Archimedē latialem Siculis reddidisti. Et quascunq; disciplinas vel artes fœcunda Græcia per singulos viros edidit, te vno auctore, patrio sermone Roma suscepit. Quos tāta verʒ borū luculentia reddidisti claros, tanta linguæ ꝓprietate conspicuos, vt poʒ tuissent & illi opus tuū præferre, si vtrunq; didicissent. Tu artem prędictā, ex disciplinis nobilibus natā, p quadrifarias Matheſis ianuas introisti. Tu illā in Naturæ penetralibus considentē, auctorū libris inuitantibus cordis lumine cognouisti. cui ardua nosse vsus, mōstrare propositum est. molitur ostēdere, qd obstupescant homies euenisse. Miroq; modo naturis cōuersis facti detrahit fidē, cū ostētet ex oculis visionē. Facit aquas, ex imo surgētes, præcipites cadere. ignē ponderibus currere. organa extraneis vocibus insoʒ nare. & peregrinis flatibus calamos cōplet, vt iniuncta possint arte cātare.

videmus

videmus per eam defensiones iam nutantium ciuitatum, subito tali firmitaʒ te consurgere. vt machinamentorum auxilijs superior reddatur, qui desperʒ ratus viribus inuenitur. Madentes fabricæ in aqua marina siccantur. dura cum fuerint, ingeniosa dispositione, soluūtur. metalla mugiunt. Diomedis in ære grues buccināt. æneus anguis insibilat. aues simulatę fritiniūt, & quę propriam vocem nesciunt, ab æredulcedinem probant emittere cantilenæ. Parua de illa referimus, cui cœlum imitari fas est. Hæc enim fecit secundum Solem in Archimedis Sphæra decurrere. hæc alterum Zodiacum circuʒ lum humano consilio fabricauit. Hæc lunam defectu suo reparabilem arʒ tis illuminatione monstrauit. paruamq; machinā, grauidam Mundo, Cœʒ lum gestabile, compendium rerum, speculum Naturæ, ad speciem ætheris incomprehēsibili mobilitate volutauit. Sic astra, quorum licet cursum sciaʒ mus, fallentibus tamen oculis, prodire non cernimus. Stans quidam in illis transitus est. & quæ velociter currere vera ratione cognoscis, se mouere non respicis. Quale est hoc homini etiam facere, quod vel intellexisse potest esse mirabile? Quare cum vos ornet talium rerum prædicanda notitia, horʒ rologia nobis, publicis expensis, sine vestro dispendio, destinate. Primum sit, vbi stilus dici iudex, per vmbram exiguam horas consueuit ostendere. Radius itacp immobilis et paruus, peragens quod tam miranda magnitudo Solis discurrit, & fugam Solis æquiparat, quod motum semper ignorat. Inuiderent talibus, si astra sentirent, & meatum suum fortasse deflecterent, ne tali ludibrio subiacerent. Vbi est illud horarum, de lumine venientium, singulare miraculum, si has & vmbra demonstrat? Vbi prædicabilis indeʒ fecta rotatio, si hoc & metalla peragunt, quæ situ perpetuo continentur? O artis inæstimabilis virtus. quæ dum se dicit ludere, Naturæ prævalet seʒ creta vulgare. Secundum sit, vbi præter Solis radios hora dignoscitur, noʒ ctes in partes diuidens. quod vt nihil deberet astris, rationem cœli ad aquaʒ rum potius fluenta conuertit. quorum motibus ostendit, cp Cœlum volʒ uitur. & audaci præsumptione concepta, ars elementis confert, quod oriʒ ginis conditio denegauit, vniuersæ disciplinę cunctus prudentiū labor naʒ turæ potentiam, vt tantū possint nosse perquiritur. Mechanisma solū est, quod illam ex cōtrarijs appetit imitari. & si fas est dicere, in quibusdā etiam nititur velle superare. Hoc em̄ fecisse dignoscitur Dedalū volare. Hoc ferʒ reū Cupidinem in Dianæ templo sine aliqua alligatione pēdere. Hoc hodie facit muta cantare, insensata viuere, īmobilia moueri. Mechanicus, si fas est dicere, pene socius est Naturę. occulta reserās. manifesta cōuertēs. miraclis ludens. ita pulchre simulans, vt qd compositū nō ambigit, veritas æstimet. Hæc, quia studiosius te legisse cōperimus, prædicta nobis horologia, cp toʒ tius transmittere maturabis. Vt te notū in illa parte mundi facias, vbi aliter peruenire nō poteras. Agnoscāt per te exterę gentes, tales nos habere nobiʒ les, quales leguntur auctores. Quoties nō sunt credituri, qd viderint? quoʒ ties hanc veritatē lusoria somnia putabūt? & quādo fuerint a stupore conʒ uersi, nō audebunt se æquales nobis dicere, apud quos sciunt sapientes talia cogitasse.

GVNDIBADO

Universidad de Deusto
Biblioteca

GVNDIBADO . REGI . BVRGVNDIONVM . THEOD . REX

AMplectenda sunt munera, quę probantur omnimodis expetita, quando nō est abiectum, quod potest explere desiderium. Nam per quaslibet pretiosas res ad illud tantum tenditur, vt cupientis animus expleatur. Quapropter salutantes gratia cōsueta, per harum portitores illum & illū oblectamenta præsentiæ vestræ horologia cū suis dispositoribus credidimus destinãda. vnum, in quo humana solertia videtur colligi, quod totius cœli noscit spatia peruagari. aliud, vbi Solis meatus sine Sole cognoscitur, & aquis guttãtibus horarū spatia terminantur. Habetote in vestra patria, quod aliquando vidistis in ciuitate Romana. Dignum est vt bonis nostris vestra gratia perfruatur, quæ nobis etiam affinitate coniungitur. Discat sub vobis Burgundia res subtilissimas inspicere, & antiquorum inuenta laudare. per uos propositum gentile deponit, & dum prudentiam regis sui respicit, iure facta sapientium concupiscit. distinguat spatia diei actibus suis. horarum aptissime momenta constituat. Ordo vitæ cōfusus agitur, si talis discretio sub veritate nescitur. Belluarum quippe ritus est, ex ventris esurie horas sentire, & non habere certum, quod constat humanis vsibus contributum.

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM . LIBER . SECVNDVS

PIISSIMO . ANASTASIO . IMPERATORI
THEODERICVS . REX

ADmonet nos consuetudo solēnis, dare Fastis nomen, ornatū propriū Romę, terrenam curiæ claritatem. vt per annorū numerū decurrat gratia dignitatum. & beneficijs principum sacretur memoria sœculorum. Felix a Consule sumat annus auspitiū, portamq; dierū tali nomīe dicatum, tempus introeat. faueatq; reliquę parti fortuna principij. Quid em̄ vobis credi possit optatius, q̄ vt alumnos proprios ad vbera sua Roma recolligat, & in venerando nominis cœtu senatū numeret gallicanū? Agnoscat Curia transalpini sanguinis decus, quæ non semel coronā suā nobilitatis eius flore vestiuit. Nouit inter reliquos fasces viros inde sumere consulares, qui longo stēmate ducto per trabeas, lege temporū originarius est honorum. Nā quis bonorū indolem nesciat esse Felicē, qui primis auspitijs hīc prodidit meritū, ꝙ

ꝙ ad patriā visus est festinare virtutū. Bonum iudiciū est, secuta ꝓsperitas, creuit cū libertate prouectus. nec passi sumus eum inglorium relinquere, qui ad honorā Rempub. meruit peruenire. Dignus plane largitatibus nostris, qui in ipso pueritiæ flore maturis moribus lubricā frenauit ætatē. &, qđ rarum continentiæ bonū est, patre priuatus, grauitatis factus est filius. Cupiditatē inimicā sapientię subiugauit. vitiorū blanda contempsit. superbię vana calcauit. Ita superatis excelsibus ante dare visus est de moribus consulatū. Nos aūt qui bonis redimimur institutis, q̄s ꝓbitas inspecta conciliat, curules infulas prestitimus candidato. vt virtutū desideria possimus ꝓuocare per munera. Quia non deficit rei studiū, quę præmiū largius habet. Atq; ideo vos, qui vtrisq; Reipub. bonis indiscreta potestis gratia delectari, iūgite fauorē, adunate sententiā. Amborū iudicio dignus est eligi, qui tantis falcibus mercetur augeri.

FELICI . V . I . COS . ORDINARIO . TH . REX

AMamus nr̄a beneficia gemīare. nec semel prestat largitas collatæ fastidiū. magisq; nos prouocant ad frequens præmiū, qui initiæ nostræ gr̄æ susciperemeruer ūt. Nouis em̄ iudiciū impendit̄, fauor aūt semel placitis exhibetur. Decorū est nanq; principis arbitria nō habere. quia cōmendant priora posterioribus donis. et firmat̄ oīs indubitata de repetitione sentētia. Pridē tibi honorū tribuimus gradū, nūc fastigiū cōcedimus dignitatū. vt anteriora tibi merito cōtulisse videamur, & in sequentibus constantiā tenere nr̄a benignitas ęstimetur. Nō em̄ relinqui inglorios patimur, qui generis claritate prędicant. Currat quinīmo honorū gr̄a per parētes. Sub imperio boni principis omniū fortuna proficiat. Nam quis desperet augmētū, vbi est in amore donū et prestare propositū? Huius experimēta clementię teretines approbasse, cū soli genitalis fortuna relicta, velut quodā postliminio in antiquā patriā cōmeasses. Excepit te noster affectus, impleuit beneficijs manus, fecitq; esse votū, qđ nostrū expetisses imperiū. Sic em̄ decebat crescere, qui meliora visus est elegisse. Mutat̄ em̄ fortuna cū domīs. & in laude regnātis proficit, quod subiectus acquirit. At tu parē te huic indulgētiæ p̄stitisti. Illustri em̄ honore ditatus, tāta te maturitate tractabas, vt annos leues patereris esse sub pōdere. quē nō potuit ī prima ętate vincere fortissima vis naturę. Paterna em̄ substātia locupletatus, quæ semp nouos extollit heredes, cōseruasti diuitias, cū ad eas pręter laboris studia pueniss es. Solet em̄ facile labi, qđ sine difficultate potuit inueniri. Auxisti patrimoniū viuacitatis instantia. Nā qđ signū bonę dispositionis magis quęrat̄, vbi testis est cōsulatus? In tāta facultate meruisti, ad qđ vix euersis patrimōijs pueniṫ. Priuata parcitas liberalitates publicas enutriuit. Trāsisti gloriā p̄ris dispositiōe laudabili. et qđ ille assumere nō valuit, de eius opibus effecisti. Celsos cursus nisi cōfidentia magna nō appetit. dū generosi est anī optare, qđ summū est. Audētes facit hoies fiducia sui, quia se nō patit̄ occulere, quē prępcipit natura ꝓdire. Redit ꝓ te trāsalpinę familię cōsulatus. & arētes laurus viridi germīe renouasti. Sacrā Vrbē aspice tuis votis cādidatā. Tēdeigit̄ ad laudū celsa vestigia. vt priores tuos, q̄s honore reparas, virtute transcēdas. Sume igit̄ per indictionē quartā consulatus insignia. dignūcq; te tantorū de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

desiderijs præsenti comproba largitate. Hic profecto locus est, vbi præconium meretur effusio. quando virtutis genus est, propriam substantiã non amare, vbi tantum opinionis acquiritur, quantum facultatibus abrogatur. Respice te supra omniũ humeros, atq; ora volitare. talemq; te præbe, vt dignus genere, dignus Vrbe, dignus nostro iudicio, dignus trabea æstimeris.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEOD. REX

GAudete P. C. vobis redijsse stipendia dignitatum, gaudete prouincias longa ætate desuetas, viros vobis pendere consulares, & de tali auspitio maiora promittite. Solent enim initia portendere meliora, dum a paruis inchoant, quæ in sequentibus magna se admiratione sublimãt. Iacebat nobilis origo sub gallicano iustitio, & honoribus suis priuata, peregrinabatur in patria. Tandem præssos diuina leuauerunt, Romam recepere cum gloria, & auorum antiquas laurus ab honorata Curię sylua legerunt. Nam quis possit negare generi munus, cuius habeatis velut in arce depositum? In ore quippe rumoris est, quondam Felicis adhuc viuere consulatum, quia bona durare norunt post hominem. & quod gloriose geritur, fine temporis nõ tenetur. Cuius vt antiquam prosapiam, satiati veterum copia, transeamus, est adhuc in oculis omnium candidati nobilissimus pater. qui prudentiæ facibus ita præluxit in Curia, vt haberetur merito clarus inter tot lumina dignitatũ. Literarum quippe studijs dedicatus, perpetuam doctissimis disciplinis mancipauit ætatem. Non primis, vt aiunt, labris eloquentiam cõsecutus, toto se Aonij fonte satiauit. Vehemens disputator in libris, amœnus declamator in fabulis, verborum nouellus sator. æquiperauerat prorsus meritis, quos lectitarat auctores. Commẽdauit etiam studiorũ bona per benignitatis insignia. sciens imperitiam magis inflari aura superbiæ, quæ leuibus fabris exponit. quia virtutũ radicibus non tenetur. Fuit quidam nostrorum temporũ Cato, qui abstinendo vitijs, alios formaret exemplis. Rerum quoq; naturaliũ causas subtilissime perscrutatus, Cecropij dogmatis Attico se melle saginauit. Digna plane scientia, in qua mens honestissima cõquiescat. quæ animo semper aliquid salutare complectitur. cui accidere nulla possunt ingrata, dũ sibi commendat omnia mundanarum rerum. sola cui labilis Fortuna non imperat. Cętera de ipso meminisse vos sufficit, quando bona explicare tanti viri non vacat occupatis. Nunc ad candidatum ora conuertite. vt paternarum laudum in hunc recognoscatis esse vestigium, nec tantum pater imaginem dedisse corporis, q̃ signa iudicetur transfudisse virtutis. Vixit enim inter vos, vt scitis, non cõsuetudine peregrina, sed grauitate Romana. Ab ipsis quippe primordijs honoribus aggregatus, pueritiam suam, quod est certissimæ probitatis inditium, gloriosissimis viris æmula semper grauitate sociauit. vt post domesticæ virtutis exempla sumeret de publica auctoritate constantiam. quanquã omnium gratiam indiscreta fuerit electione sectatus, quod de magnis raro eligi potest, tantum se ornauit Patritij Paulini affectu, vt hinc

hinc daret mirabilis conscientię signum, q̃ ad virum visus est festinare præcipuum. Præstat enim decus amicitia deliderata potiorum, quam societas bonorum morum callet infundere, dum affectione concordi parem sibi studet esse, quem diligit. Huic ergo P. C. auitis bonis cum suis meritis relucenti, vestræ gratiæ præstate fulgorem. Non impar ad Curialium insignia venit, qui de speciosa stirpe descendit. Legit enim Roma frequenter fasces de mœnibus gallicanis. ne aut in damno suo præcipua contemneret, aut probata virtus inhonora cessaret. Impleatur igitur nobilis Curia prouincialibus bonis. cuius est proprium, quodcunque videtur esse præcipuum. Ipse quoq; annus, temporum pater, quadrifaria se diuersitate componit. nec desiderium caperet, si nouitatis gratiam non haberet. Fauete ergo P. C. augmento vestro, nostro iudicio. Nam si candidatus ornabitur, iam vobis proficit, q̃ meretur.

HECDITIO. VIRO. HONESTO. THEOD. REX

DElectamur vetustatis inuento. & sequi regulas constitutas, libenter amplectimur. Quia locus surreptionibus nõ relinquitur, quoties rationabiliter constituta seruantur. Et ideo supplicationum tuarum tenore comperto, præsenti auctoritate definimus, vt quicquid ad Antiochum, Siliquatici vel Monopolij titulos exercentem, nostra iussione pertinuit, ad te ratione simili transferatur. contra omnium calumniantium insidias salua æquitate, præsenti auctoritate munitum. habiturum etiam adminicula Saionis, quæ pro vendicandis titulis antefatis nostra tibi solenniter auctoritas deputauit. ita tamen, vt priuatis minime negocijs misceatur defensio tua. Nam quod ad auxilium dedimus, contrarium nullo modo iustitiæ sentiatur. Quia rationabiliter aliena culpa tere spicit, si quæ tibi petis prodesse, per te sibi alter sentiat obfuisse.

FAVSTO. PRAEPOSITO. THEOD. REX

CVm nostra humanitas locum munificentię videatur exquirere, & interdum personis minus necessarijs, amore clementiæ, sua desideria largiatur. quanto magis in vtilitate Reipub. delectamur expendere, vbi quicquid tribuitur, donantis vtilitas duplicatur? Quapropter illustrem magnificentiam tuam, præsenti auctoritate, præcipimus, sexaginta militibus in Augustanis clusuris iugiter constitutis, annonas, sicut alijs quoq; decretæ sunt, sine aliqua dubitatione præstare. Vt vtilitas Reipub. grato animo compleatur, quæ emolumentorum commoditatibus adiuuatur. Decet em̃ cogitare de militis transactione, qui pro generali quiete finalibus locis noscitur insudare, & quasi a quadam porta prouinciæ gentiles introitus probatur excludere. In procinctu semper erit, qui barbaros prohibere contendit. Quia solus metus cohibet, quos fides promissa non retinet.

D AGAPITO

Universidad de Deusto
Biblioteca

AGAPITO . V.I. PATRITIO . THEOD . REX

DEliberationis nostræ consilium virorum prudentium requirit obsequium. vt vtilitatis publicæ ratio sapientium ministerio compleatur. Et ideo illustris magnitudo tua, Deo auxiliante, cognoscat, Legatiõem nos ad Orientem deliberasse transmittere. cui te idoneum iudicantes, iussis præsentibus euocamus. vt et tibi de æstimatione nostra crescat ornatus, et nostris iussiõibus per te procuretur effectus. Sed licet omnis Legatio virum sapientem requirat, cui prouinciaũ vtilitas, totiusq; regni status committitur iudicandus, nunc tamen necesse est prudentissimũ eligere. qui possit contra subtilissimos disputare, & in conuentu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna ars est, contra artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui se putant omnia præuidere. Lætare igitur tanto iudicio. quando ante suscipis electionis donum, cp̃ tuum iure potuisses probare ingenium.

SVRAE . V.I. COMITI . THEOD . REX

SIne vsu iacere non debet, quod potest ad decorem crescere ciuitatis. quia non est sapientiæ, profutura cõtemnere. Et ideo illustris magnificentia tua marmorum quadratos, qui passim diruti negliguntur, quibus hoc opus videtur iniunctum, in fabricam murorum faciat deputari. Vt redeat in decorem publicum prisca constructio, & ornent aliquid saxa iacentia post ruinas. ita tamen, vt metalla ipsa de locis publicis corruisse, apud te manifesta ratione doceatur. Quia sicut nolumus ornatum Vrbis cuiusquam præsumptione temeraria violari, ita priuatis compendijs calumniam detestamur inferri.

SEVERO . VIRO . VENERABILI . EPISCOPO . THEOD . REX

QVis melius ad æquitatis iura deligitur, cp̃ qui sacerdotio decoratur? qui amore iustitiæ personaliter nesciat iudicare. & diligens cunctos in commune, locum non relinquat inuidiæ. Proinde aptam considerantes vestris meritis actionem, significamus nos per Montanariũ sanctitati vestrę mille quingentos solidos destinasse. quos prouincialibus, prout quenq; presenti anno, exercitu nostro transeunte, dispendium pertulisse cognoueris, habita læsionis æstimatiõe, distribuas. Vt nullus a nostra munificentia reddatur alienus, quem sua damna grauauerunt. Nolumus enim sub confusione largiri, quod decet sub ratione distribui. Ne quod necessario nos transmisisse constat afflictis, superfluo tribuatur illæsis.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

INclinari precibus nostra nouit humanitas, nec pro affectu pietatis fines potest iustitiæ custodire. Benigni quippe principis est, ad clementię commodum, transilire terminos æquitatum. quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cędere honorabiliter non

hinc daret mirabilis conscientię signum, q̃ ad virum visus est festinare precipuum. Præstat enim decus amicitia deliderata potiorum, quam societas bonorum morum callet infundere, dum affectione concordi parem sibi studet esse, quem diligit. Huic ergo P. C. auitis bonis cum suis meritis relucenti, vestræ gratiæ præstate fulgorem. Non impar ad Curialium insignia venit, qui de speciosa stirpe descendit. Legit enim Roma frequenter fasces de mœnibus gallicanis. ne aut in damno suo præcipua contemneret, aut probata virtus inhonora cessaret. Impleatur igitur nobilis Curia prouincialibus bonis. cuius est proprium, quodcunque videtur esse præcipuum. Ipse quoq; annus, temporum pater, quadrifaria se diuersitate componit. nec desiderium caperet, si nouitatis gratiam non haberet. Fauete ergo P. C. augmento vestro, nostro iudicio. Nam si candidatus ornabitur, iam vobis proficit, q̃ meretur.

HECDITIO . VIRO . HONESTO . THEOD . REX

DElectamur vetustatis inuento. & sequi regulas constitutas, libenter amplectimur. Quia locus surreptionibus nõ relinquitur, quoties rationabiliter constituta seruantur. Et ideo supplicationum tuarum tenore comperto, præsenti auctoritate definimus, vt quicquid ad Antiochum, Siliquatici vel Monopolij titulos exercentem, nostra iussione pertinuit, ad te ratione simili transferatur. contra omnium calumniantium insidias salua æquitate, præsenti auctoritate munitum. habiturum etiam adminicula Saionis, quæ pro vendicandis titulis antefatis nostra tibi solenniter auctoritas deputauit. ita tamen, vt priuatis minime negocijs misceatur defensio tua. Nam quod ad auxilium dedimus, contrarium nullo modo iustitiæ sentiatur. Quia rationabiliter aliena culpa teres picit, si quæ tibi petis prodesse, per te sibi alter sentiat obfuisse.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

CVm nostra humanitas locum munificentię videatur exquirere, & interdum personis minus necessarijs, amore clementiæ, sua desideria largiatur. quanto magis in vtilitate Reipub. delectamur expendere, vbi quicquid tribuitur, donantis vtilitas duplicatur? Quapropter illustrem magnificentiam tuam, præsenti auctoritate, præcipimus, sexaginta militibus in Augustanis clusuris iugiter constitutis, annonas, sicut alijs quoq; decretæ sunt, sine aliqua dubitatione præstare. Vt vtilitas Reipub. grato animo compleatur, quæ emolumentorum commoditatibus adiuuatur. Decet em̃ cogitare de militis transactione, qui pro generali quiete finalibus locis noscitur insudare, & quasi a quadam porta prouinciæ gentiles introitus probatur excludere. In procinctu semper erit, qui barbaros prohibere contendit. Quia solus metus cohibet, quos fides promissa non retinet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AGAPITO . V.I. PATRITIO . THEOD . REX

DEliberationis nostræ consilium virorum prudentium requirit obsequium, vt vtilitatis publicæ ratio sapientium ministerio compleatur. Et ideo illustris magnitudo tua, Deo auxiliante, cognoscat, Legatiõem nos ad Orientem deliberasse transmittere, cui te idoneum iudicantes, iussis præsentibus euocamus. vt et tibi de æstimatione nostra crescat ornatus, et nostris iussiõibus per te procuretur effectus. Sed licet omnis Legatio virum sapientem requirat, cui prouinciarũ vtilitas, totiusq; regni status committitur iudicandus, nunc tamen necesse est prudentissimũ eligere. qui possit contra subtilissimos disputare, & in conuentu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna ars est, contra artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui se putant omnia præuidere. Lætare igitur tanto iudicio, quando ante suscipis electionis donum, cẽ tuum iure potuisses probare ingenium.

SVRAE . V.I. COMITI . THEOD . REX

SIne vsu iacere non debet, quod potest ad decorem crescere ciuitatis, quia non est sapientiæ, profutura cõtemnere. Et ideo illustris magnificentia tua marmorum quadratos, qui passim diruti negliguntur, quibus hoc opus videtur iniunctum, in fabricam murorum faciat deputari. Vt redeat in decorem publicum prisca constructio, & ornent aliquid saxa iacentia post ruinas. ita tamen, vt metalla ipsa de locis publicis corruisse, apud te manifesta ratione doceatur. Quia sicut nolumus ornatum Vrbis cuiusquam præsumptione temeraria violari, ita priuatis compendijs calumniam detestamur inferri.

SEVERO . VIRO . VENERABILI . EPISCOPO . THEOD . REX

QVis melius ad æquitatis iura deligitur, cẽ qui sacerdotio decoratur? qui amore iustitiæ personaliter nesciat iudicare. & diligens cunctos in commune, locum non relinquat inuidiæ. Proinde aptam considerantes vestris meritis actionem, significamus nos per Montanariũ sanctitati vestræ mille quingentos solidos destinasse. quos prouincialibus, prout quenq; præsenti anno, exercitu nostro transeunte, dispendium pertulisse cognoueris, habita læsionis æstimatiõe, distribuas. Vt nullus a nostra munificentia reddatur alienus, quem sua damna grauauerunt. Nolumus enim sub confusione largiri, quod decet sub ratione distribui. Ne quod necessario nos transmisisse constat afflictis, superfluo tribuatur illæsis.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

INclinari precibus nostra nouit humanitas, nec pro affectu pietatis fines potest iustitiæ custodire. Benigni quippe principis est, ad clementiæ commodum, transilire terminos æquitatum. quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non

origini. & discrepat homo a suo fusus initio. Quid dicamus illa beneficia, quæ vel extraneã possunt obligare personam? Nutriũtur a paruulis, ipsis laboratur, ipsis diuitiæ conquiruntur. & cum sibi vnusquisq; credat abundare quod possidet, cum a patribus adhuc queritur, pro altera potius ætate peccatur. Proh dolor, non merebimur eorum affectum, pro quibus subire nõ recusamus exitium? Maria ipsa, sæuis tempestatibus excitata, genitoris cura non refugit. vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat. Aues ipsæ, quorũ vita semper in escis est, naturã suam extranea sorde nõ maculant. Ciconia, redeuntis anni iugiter nuntiatrix, ejiciens tristitiam hyemis, lætitiam verni temporis introducens, magnũ pietatis tradit exemplum. nam cum parentes eorum pennas senio coquente laxauerint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plumis suis genitorum membra frigida refouentes, escis corpora lassa reficiunt. & donec in pristinum vigorem ala grandæua redierit, pia vicissitudine iuuenes reddunt, quod a parentibus paruuli susceperunt. Et ideo non immerito longa vita seruantur, qui pietatis officia nõ relinquunt. Perdicibus etiam mos est, oua perdita per alterius matris damna sarcire. vt adoptione alienæ sobolis incommoda suæ reparet orbitatis. sed mox, vt nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cũ nutrice. qui vt fuerint materna voce cõmoniti, ouorum suorum potius genitricem petunt, quanuis ab alijs, furtiuis fœtibus, educentur. Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatem auibus inesse cognoscũt? Romulum itaq; qui facti sui acerbitate pollutus, nomen fœdat Romanum, ad vestrum facite venire iudiciũ. & si eum patri suo Martino manus iniecisse constiterit, protinus legitimam sentiat vltionem. Quia ideo elegimus mores vestros, quia crudelibus parcere nõ potestis. Quando genus pietatis est, in illos distringere, qui contra naturæ ordinem sceleratis se docentur actionibus miscuisse.

VENANTIO . VIRO . ILLVSTRI . THEOD . REX

PRouidentiæ nostræ ratio est, in tenera ætate merita futura tractare, & ex parentum virtutibus prolis iudicare successus. Quia bona certa sunt, quę fidem ab exordio trahunt. dum origo nescit deficere, quæ consueuit radicitus pullulare. Fertur etiam cursu perenni fontium vena vitalis. & hãc conditionem sustinent cuncta manantia, vt sapor, qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit forte vitiatus, nesciat riuulis abnegari. Hinc est, q̃ te magnifici patris meritis, æstimato Comitiuæ Domesticorũ Vacantis honore prouehimus. Vt qui es clarus stẽmate, splendeas dignitate. Quis enim in te, quanuis futura, tamen certa non teneat, dum glorioſi patris recolat officiosos labores? Qui prudentię ratione flammatus, sic fuit ad repentina solicitus, quasi per moram crederetur instructus. Præfecturam enim, solicitudinum omnium nobilissimum pondus, quod vel solum fuisset expedire laudabile, iuncta exercitus nostri cura disposuit. vt nec prouincijs ordinatio deesset, nec exercitui se prouida soli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

citudo subtraheret. Superauit cuncta infatigabilis & expedita prudentia, traxit mores barbaros ad quietem, in votum nostrum cuncta moderatus est, vt sic accipientibus satisfaceret, ne dantes locum quærimonijs inueniret. Verum vt de plurimis pauca sufficiant, probauit de se tanta, vt eligeretur eius inexplorata posteritas. Inter hæc tamen generis ornamenta, quod maximum pulcherrimę nobilitatis indicium est, nec tuorum indiges suffragijs meritorum. Literarum siquidem studia, quæ cunctis honoribus suo sunt digna suffragio, sedulus perscrutator assequeris, addens claritati generis ingenium suauiter eloquentis. Incumbe ergo talibus studijs, ama quæ in te remunerata cognoscis. vt nostra quoq; iudicia cum tuis prouectibus tendas. Tantum enim a nobis exigis, quantum te bonis actibus imminere cognoscis.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

STudij nostri est P. C. remunerationem recto conferre proposito, & bonę indolis viros ad instituta meliora fructu impensæ benignitatis accendere. Nutriunt enim præmiorum exempla virtutes. nec quisquã est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur. Hinc est, quod illustrem Venantium, tam suis quam paternis meritis elucentem, Comitiue Domesticorum Vacantis dignitate subueximus. vt natalium splendor insitus ornatior collatis redderetur honoribus. Retinetis enim P. C. patritium Liberium & in aduersitate nostra fuisse laudabilem. qui sic Odouacris integerrimis parebat obsequijs, vt nostra post fuerit electione dignissimus, contra quos multa fecisse videbatur inimicus. Non enim ad nos vilissima transfugæ conditione migrauit. nec proprij domini finxit odium, vt alterius sibi procuraret affectum. Expectauit integer diuina iudicia, nec passus est sibi Regem quærere, nisi primitus perdidisset. Vnde sic factum est, vt ei libenter daremus præmium, quia nostrum fideliter iuuit inimicum. qui casu patrocinante contrario tantum nobis reddebatur acceptus, quanto tunc cognosci poterat indeuotus. Flexo iam domino pene nullis est terroribus inclinatus. sustinuit immobilis ruinam principis sui. nec nouitas illum turbare potuit, quem etiam ferocitas gentilis expauit. Prudenter est secutus communes casus. vt cum diuina iudicia fixe sustineret, humanam gratiam commendatior inueniret. Probauimus hominis fidem. tristis ad iura nostra transiuit, qui superatus animum conuertit, non autem vt vinceretur effecit. Cui mox vt Præfecturę Prætorianæ concessimus dignitatem, credita sibi tanta integritate disposuit, vt miraretur aliquis sic simpliciter deuotum, quem tam calide nouerat fuisse contrarium. His igitur infatigabili cura, quod difficillimum virtutis est genus, sub generalitatis gratia publica videtur procurasse compendia, Censum nõ addendo, sed conseruando protendens, dum illa quæ consueuerant male dispergi, bene industria prouidente collegit. Sensimus auctas illationes, vos addita

addita tributa, nescitis. Ita vtrunque sub admiratione perfectum est, vt & fiscus cresceret, & priuata vtilitas nulla damna perferret. Iuuat nos referre, quemadmodum in Tertiarum deputatione Gothorum, Romanorumque possessiones iunxerit & animos. Nam cum se homines soleant de vicinitate collidere, istis prædiorum communio causam noscitur præstitisse concordiæ. Sic enim contigit, vt vtraque natio dum communitus viuit, ad vnum velle conuenerit. En factum nouum, & omnino laudabile. gratia dominorum de cespitis diuisione coniuncta est. amicitiæ populis per damna creuere. in parte agri defensor acquisitus est, vt substantiæ securitas integra seruaretur. Vna lex illos, & æquabilis disciplina complectitur. Necesse est enim, vt inter eos suauis crescat affectus, qui seruant iugiter terminos constitutos. Debet enim Romana Respublica, & memorato Liberio tranquillitatem suam, qui nationibus tam præclaris tradidit studia caritatis. Perpendite Patres Conscripti, si hanc sobolem irremuneratam relinquere debuimus, cuius auctorem tot eximia fecisse retinemus. Faueãt superna dispositis. vt sicut nos virtutes, collatis beneficijs, inuitamus. ita creuisse meritis honoratas conscientias approbemus.

HONORATIS . POSSESSORIBVS . DEFENSORIBVS . ET CVRIALIBVS . TRIDENTINAE . CIVITATIS THEODERICVS . REX

MVnificentiam nostram nulli volumus extare damnosam. ne quod alteri tribuitur, alterius dispendijs applicetur. Et ideo præsenti auctoritate cognoscite, pro sorte, quam Butiliano præsbytero nostra largitate contulimus, nullam debere soluere fiscalis calculi functionem. sed in ea præstatione quanti se Solidi comprehendunt, de Tertiarum Illationibus vobis noueritis esse releuandos. Nec inferri a quoquam volumus, quod alteri nostra humanitate remisimus. ne, quod dictu nefas est, benemeriti munus innocentis contingat esse dispendium.

GVDILAE . EPISCOPO . THEOD . REX

PRiscarum legũ reuerenda dictat auctoritas, vt nascendo Curialis nullo modo possit ab origĩs suę munijs discrepare, nec in aliud Reipub. officium trahi, qui tali præuentus fuerit sorte nascendi. Quod si eos vel ad honores transire iura vetuerunt, cę videt esse cõtrarium, Curionem Reipub. amissa turpiter libertate seruire? & vsq; ad conditionem peruenisse postremam, quam vocauit Antiquitas Minorem Senatum? Noueritq; itaq; reuerentia vestra, Sarsenates municipes collegas

Universidad de Deusto
Biblioteca

suos asseruisse, Ecclesiam vestram irrationabiliter sibi velle defendere. Vnde prouidentia vestra, pro integritatis suę proposito examinata veritate, discutiat quæ veniunt in querelam. & si desideria petitorum veritate subsistunt, pro implendis iniurijs eos ad Curiam suam remeare permittat. Si vero clero vestro creditis in eis aliquid rationabiliter suffragari, ad nostrum Comitatū instructam personam modis omnibus destinate, quæ aduersariorum debeat intentionibus obuiare. Quod si de negocij qualitate dubitatis, conuenit sacerdotalibus institutis, vt ante cōtrouersiam iustitiam magis ipse cognoscas, cū de iudicio victus abscedas. Talem siquidem non oportet publice superari, quem amatorem æquitatis conuenit inueniri.

VNIVERSIS . GOTHIS . ET . ROMANIS . ET . HIS . QVI . PORTVBVS . VEL . CLVSVRIS . PRAESVNT . TH . REX

GVncta quidem iure detestamur scelera, & omne quod iniquum est clemens execratur auditus. sed ea maxime, quæ humani sanguinis effusione polluta, nostram contra se incitauere censuram. Quis em̄ ferat, in domesticis præsidijs locum fuisse periculis? & ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vnde nasci debuerat defensionis auxiliū? Et ideo præsenti iussione mandamus, vt in famulos, qui Stephanum dominum suum plectibili scelere trucidantes, inhumatam quoq; reuerentiam eius funeris abiecerūt, legum districtione resecetis. Quatenus qui exemplis prouocantur pessimis, pœnis arceantur aspectis. Proh dolor, pietas in auibus inuenitur, quæ ab humana conditione deseritur. Vultur ipse, cui vita est cadauer alienum, tantæ magnitudinis corpus nec exiguis alitibus probatur infestum, sed magis accipitrem, vitam plumigerū auium persequentem, alis cædit, ore dilaniat, totoq; suo pondere periclitantibus nititur subuenire. Et homines parcere nequeunt, cuius se genus esse cognoscunt. Ille nō vult extinguere, quo poterat vesci. serui maluerunt occidere, qui eos superstes cōsueuerat enutrire. Fiat ergo pastus pij vulturis, qui necem potuit crudeliter desiderare pastoris. Tali potius sepulcro recipiatur, qui dominū reddidit insepultum.

VNILIGIS . SAIONI . THEOD . REX

OMnes decet gratanter impendere, quod publicas vident vtilitates posse respicere. quando necesse est hæc membra sentire, quod corporis summa sentitur. Atque ideo præsenti decreuimus iussione, vt quantas in Rauennati vrbe sulcatorias potueris reperire, frumentis fiscalibus oneratas, ad nos vsque perducas. Quatenus alimonia publica tali prouisione releuata, necessitatem inopiæ non debeat sustinere. Reddat Rauenna copiam Ligurię, quam ex ipsa consueuit accipere. Nam quæ præsentiam nostram sustinet, multorum debet solatia

in publicum, qui se alienæ functionis pondere nouit oppressum. relaturi a nobis iustitiæ fructum, qui fessis nouimus dare præsidium.

EDICTVM . THEODERICI . REGIS

QVanuis sit querula vox doloris, nec se contineant immuniti, & læsus animus vociferatione pascatur. tamen liberior sermo promitur, si nostra auctorita te laxatur. Detestamur enim, miseros premi. commouemur, & nō querentiū, malis. velociusq; ad nos peruenit, quod dissimulatio patientis abscondit. Merito, quando cunctorū nos respiciūt lęsiones. Dum illud pietati nostrę perire credimus, qđ per mediocrium damna sentimus. Nuper itaq; prouincialiū iudicum relatione cōperimus, domos quasdam præpotentium suas non implere per ordinem functiones. Hinc fieri, vt dum illationis quantitas procurari quæritur a tenuibus, summa potior exigatur. Superbia deinde conductorū canonicos Solidos non ordine traditos, sed sub iniquo pondere imminentibus fuisse proiectos. nec vniuersam siliquam, quam reddere consueuerant, solenniter intulisse. Proinde factum est, vt Curiales, quibus nos volumus esse prospectum, imminentium solicitudine coacti, grauia damna sentirent. &, si dici fas est, cum alienis debitis sub truculentis compulsoribus vrgerentur, possessionum quoque suarum amissione priuati sunt. Quod scelus vt debeat amputari, ad reuerentissimum quoq; Senatum præcepta transmisimus, & nunc edictali programmate definimus, vt quisquis Possessorū siue Curialium grauatum se senserit in aliena calculi functione, ad nostræ serenitatis audientiā venire deproperet. sciturus, nobis priores excessus omnino displicuisse, cum viderit profutura succedere. Patuit ergo vobis arbitrium iusti principis, quanuis multis semper declaretur iudicijs. Nunc autem sub silentio patientiam doloris obducite, aut sub iustitia iter vocis aperite. Iam in vobis erit huius summa consilij, quibus adiacet eligere, quod vobis prospicitis expedire.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

NVllis compendijs delectamur iniustis, nec ad animum nostræ pietatis perueniunt, quæ probitatis gratia deseruntur. Respub. siquidem iure semper æquitatis augetur. & cum temperantia diligitur, velociter profutura succedunt. Atq; ideo illustrem magnificentiam tuam, Negociatorū Apulię siue Calabriæ supplicatione permoti, duximus instruendam, vt frumenta quæ per supradictos negociatores publico comparantur, nō iterum ab eisdem interpretij nomine Solidorum quātitas exigatur. Nam si cōceptam speciem expensis publicis necessariam nō habetis, ab officio vestro suscepta modiatio fideliter distrahatur, euentū rei ratio fiscalis habitura est, quæ iniuste videtur imposuisse quę respuit. Nimis em̄ iniquū est, vt ille patiatur dispendiū, qui imperiū fecit alienum. pari conditione censentes de sextario quoq;, quē negociator eius prouinciæ videt inferre, ne quis audeat dānata semper pretia ꝑteruus exigere.

& vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vt validius retundamus exceſſus, pœnam triginta librarū auri ſedis noſtræ præfectis imponimus, ſi quis contra hæc ſaluberrima inſtituta auſu temerario venire tentauerit. Cofirium vero decem librarum auri diſpendio ſe nouerit eſſe feriendum, ſi inhibitas præſumpſerit exequi iuſſiones. In illa quoq; parte feſſis clementia noſtra ſe porrigit, vt ſi penſionem huius tituli Siliquatario præſtat, monopolium quoq; negociator exerceat. Si vero Siliquatarius hunc titulum negociatoribus indicat abrogandum, nullam ab eis exigat penſionem. Quia ſatis abſurdū eſt, vt affligatur damnis, qui commoda non habet actionis. In aurarijs denicq; priſcus ordo ſeruetur, et ad eos tantū functio ipſa reſpiciat, quos huic titulo ſeruire voluit antiquitatis auctoritas. Quapropter beneficia veſtra erga negociatores, qui noſtris titulis neceſſarij comprobantur, omnibus modis facite cuſtodiri. ne genus hominum, quod viuit lucris, ad necem poſſit peruenire diſpendijs.

VNIVERSIS . IVDAEIS . GENVAE . CONSISTENTIBVS . TH . REX

SIcut exorati iuſtum cupimus præbere conſenſum, ita per noſtra beneficia fraudes fieri legibus nō amamus, in ea parte præcipue, in qua diuinæ reuerentiæ credimus intereſſe. Non ergo inſultare videantur elati, diuinitatis gratia deſtituti. Quapropter tegumen tantum vetuſtis parietibus ſuperimponere Synagogæ veſtræ, præſenti vos auctoritate cenſemus. petitionibus veſtris eatenus licentiam commodantes, quatenus conſtituta diualia permiſerūt. Nec aliquid ornatus fas ſit adijcere, vel in ampliandis ędibus euagari. Noueritis vos ſeueritatem minime diffugere veteris ſanctionis, ſi rebus non abſtineatis illicitis. In ipſis vero parietibus cooperiendis, vel figendis, tantum licentiam damus, ſi vobis tricennalis non poteſt obeſſe præſcriptio. Quid appetitis, quæ refugere deberetis? Damus ſiquidem permiſſum, ſed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur, vt credat inuitus.

STEPHANO . V . S . COMITI . PRIMI . ORDINIS . EX PRINCIPE . OFFICII . NOSTRI . THEOD . REX

TRibuenda eſt iuſtis laboribus compenſatio præmiorum, quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata tranſitur. Athletam populis palma deſignat eſſe victorem. Sudores bellicos Ciuica corona teſtatur. Expectāt etiam equi præmia ſua. & tanta iuſtitiæ vis eſt, vt nec illis tardius detur laboris pretium, qui ſentire non poterant denegatum. Quod ſi ita eſt, dignum hoc, homini reddere, qui per honeſta cognoſcitur obſequia placuiſſe. Per tot enim actionum lubricos caſus fixum tenuiſti militiæ probatæ veſtigium. &, quod raro in ſeruiente prouenit, permutatio iudicum nunquā circa te variauit affectum. Nec erat in te alieni iudicij quiſquam inuidus, cum etiam deceſſorum ſuorum ordinationibus redderetur aduerſus. Placere ſiquidem meruiſti cunctis. cum ſemper

in publicum, qui ſe alienæ functionis pondere nouit oppreſſum. relaturi a nobis iuſtitiæ fructum, qui feſſis nouimus dare præſidium.

EDICTVM . THEODERICI . REGIS

QVanuis ſit querula vox doloris, nec ſe contineant immuniti, & læſus animus vociferatione paſcatur. tamen liberior ſermo promitur, ſi noſtra auctorita te laxatur. Deteſtamur enim, miſeros premi. commouemur, & nō querentiū, malis. velociusq; ad nos peruenit, quod diſſimulatio patientis abſcondit. Merito, quando cunctorū nos reſpiciūt leſiones. Dum illud pietati noſtrę perire credimus, qđ per mediocrium damna ſentimus. Nuper itaq; prouincialiū iudicum relatione cōperimus, domos quaſdam præpotentium ſuas non implere per ordinem functiones. Hinc fieri, vt dum illationis quantitas procurari quæritur a tenuibus, ſumma potior exigatur. Superbia deinde conductorū canonicos Solidos non ordine traditos, ſed ſub iniquo pondere imminentibus fuiſſe proiectos. nec vniuerſam ſiliquam, quam reddere conſueuerant, ſolenniter intuliſſe. Proinde factum eſt, vt Curiales, quibus nos volumus eſſe proſpectum, imminentium ſolicitudine coacti, grauia damna ſentirent. &, ſi dici fas eſt, cum alienis debitis ſub truculentis compulſoribus vrgerentur, poſſeſſionum quoque ſuarum amiſſione priuati ſunt. Quod ſcelus vt debeat amputari, ad reuerentiſſimum quoq; Senatum præcepta tranſmiſimus, & nunc edictali programmate definimus, vt quiſquis Poſſeſſorū ſiue Curialium grauatum ſe ſenſerit in aliena calculi functione, ad noſtræ ſerenitatis audientiā venire deproperet. ſciturus, nobis priores exceſſus omnino diſpliciſſe, cum viderit profutura ſuccedere. Patuit ergo vobis arbitrium iuſti principis, quanuis multis ſemper declaretur iudicijs. Nunc autem ſub ſilentio patientiam doloris obducite, aut ſub iuſtitia iter vocis aperite. Iam in vobis erit huius ſumma conſilij, quibus adiacet eligere, quod vobis proſpicitis expedire.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

NVllis compendijs delectamur iniuſtis, nec ad animum noſtræ pietatis perueniunt, quæ probitatis gratia deſeruntur. Reſpub. ſiquidem iure ſemper æquitatis augetur. & cum temperantia diligitur, velociter profutura ſuccedunt. Atq; ideo illuſtrem magnificentiam tuam, Negociatorū Apulię ſiue Calabriæ ſupplicatione permoti, duximus inſtruendam, vt frumenta quæ per ſupradictos negociatores publico comparantur, nō iterum ab eiſdem interpretij nomine Solidorum quātitas exigatur. Nam ſi cōceptam ſpeciem expenſis publicis neceſſariam nō habetis, ab officio veſtro ſuſcepta modiatio fideliter diſtrahatur, euentū rei ratio fiſcalis habitura eſt, quæ iniuſte videtur impoſuiſſe quę reſpuit. Nimis em̄ iniquū eſt, vt ille patiatur diſpendiū, qui imperiū fecit alienum, pari conditione cenſentes de ſextario quoq;, quē negociator eius prouinciæ videt inferre, ne quis audeat dānata ſemper pretia ꝑteruus exigere.

& vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vt validius retundamus exceſſus,pœnam triginta librarũ auri ſedis noſtræ prefectis imponimus, ſi quis contra hæc ſaluberrima inſtituta auſu temerario venire tentauerit. Cofirium vero decem librarum auri diſpendio ſe nouerit eſſe feriendum, ſi inhibitas præſumpſerit exequi iuſſiones. In illa quoq; parte feſſis clementia noſtra ſe porrigit, vt ſi penſionem huius tituli Siliquatario præſtat,monopolium quoq; negociator exerceat. Si vero Siliquatarius hunc titulum negociatoribus indicat abrogandum, nullam ab eis exigat penſionem. Quia ſatis abſurdũ eſt,vt affligatur damnis,qui commoda non habet actionis. In aurarijs denicq; priſcus ordo ſeruetur,et ad eos tantũ functio ipſa reſpiciat, quos huic titulo ſeruire voluit antiquitatis auctoritas. Quapropter beneficia veſtra erga negociatores, qui noſtris titulis neceſſarij comprobantur,omnibus modis facite cuſtodiri. ne genus hominum,quod viuit lucris,ad necem poſſit peruenire diſpendijs.

VNIVERSIS . IVDAEIS . GENVAE . CONSISTENTIBVS.TH . REX

SIcut exorati iuſtum cupimus præbere conſenſum, ita per noſtra beneficia fraudes fieri legibus nõ amamus. in ea parte præcipue, in qua diuinæ reuerentiæ credimus intereſſe. Non ergo inſultare videantur elati, diuinitatis gratia deſtituti. Quapropter tegumen tantum vetuſtis parietibus ſuperimponere Synagogæ veſtræ,præſenti vos auctoritate cenſemus. petitionibus veſtris eatenus licentiam commodantes,quatenus conſtituta diualia permiſerũt. Nec aliquid ornatus faſ ſit adijcere,vel in ampliandis ędibus euagari. Noueritis vos ſeueritatem minime diffugere veteris ſanctionis, ſi rebus non abſtineatis illicitis. In ipſis vero parietibus cooperiendis,vel figendis, tantum licentiam damus, ſi vobis tricennalis non poteſt obeſſe præſcriptio. Quid appetitis,quæ refugere deberetis? Damus ſiquidem permiſſum,ſed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur,vt credat inuitus.

STEPHANO . V.S . COMITI . PRIMI . ORDINIS . EX . PRINCIPE . OFFICII . NOSTRI . THEOD . REX

TRibuenda eſt iuſtis laboribus compenſatio præmiorum, quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata tranſitur. Athletam populis palma deſignat eſſe victorem. Sudores bellicos Ciuica corona teſtatur. Expectãt etiam equi præmia ſua. & tanta iuſtitiæ vis eſt, vt nec illis tardius detur laboris pretium, qui ſentire non poterant denegatum. Quod ſi ita eſt, dignum hoc,homini reddere, qui per honeſta cognoſcitur obſequia placuiſſe. Per tot enim actionum lubricos caſus fixum tenuiſti militiæ probatæ veſtigium. &, quod raro in ſeruiente prouenit,permutatio iudicum nunquã circa te variauit affectum. Nec erat in te alieni iudicij quiſquam inuidus ,cum etiam deceſſorum ſuorum ordinationibus redderetur aduerſus. Placere ſiquidem meruiſti cunctis. cum ſemper

ſemper diligenda cuſtodis, ſilentium in ſecretis, in actionibus efficaciam, in obſeruationis labore frequentiam. & quod rarum eſt continentię bonum, crebra hominũ vitia fecerunt,cum multis præberes officia,nulli tuam operam venditabas. Vocabulum principis nulla ſorde maculaſti, ſeruans dignitatem nominis exercitatione virtutis. Hinc eſt,q; Spectabilitatis honorem,quem militiæ ſudore deterſis iuſta deputauit Antiquitas, præſenti tibi auctoritate conferimus. Vt laboris tui tandem finitas excubias,remuneratione Comitiuæ Primi Ordinis, iam ſecurus intelligas. Et quia gratiã principis dignitas nuda nõ aſſerit. nec beneficiũ dici poteſt,quod nulla vtilitate ſentiť. priuilegia tibi quoq; , quæ tribui ſcholæ tuæ Exprincipibus diualia conſtituta voluerunt,ſimili munificentia condonamus. Neq; quicquam in his debes metuere, quæ forſitan nouella vſurpatione tentantur. Ab omni ergo damno omnibusq; ſordidis ius te muniuit antiquum. Sed quanquam preſenti remuneratione tibi digna ſoluamus, futuris tamen votis ſpem maximam pollicemur. Sed quoniam anguſta ſunt beneficia, quę non etiam de futuris aliquid pollicentur , aderit prouidentia principalis. vt quos dignos fauore noſtro credimus, eos quoq; maiori honore cumulemus. Verũ quia celari nõ decet regum impetrata,preſentia ad prouincialis iudicis facito notitiam peruenire. Quatenus ſpectabilitatem tuam decoratã noſtro teſtimonio vniuerſitatis corda cognoſcant. tibiq;,vtpote militię munere perſoluto, cultus competens pro noſtrorum temporum laude ſeruetur.

ADILAE . V.S . COMITI . THEOD . REX

QVanuis nullos velimus grauamen aliquod ſuſtinere,quos videtur pietas noſtra protegere (quia regnantis eſt gloria,ſubiectorum ocioſa tranquillitas) tamẽ ſpecialiter Eccleſias ab omni iniuria reddi cupimus alienas. quibus dum æquabilia præſtantur, miſericordia diuinitatis acquiritur. Et ideo beatiſſimi viri Euſtorgij Epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ petitione permoti,præſentibus te affatibus admonemus, vt prædijs vel hominibus illius Eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis,tuitionẽ ſtudeas ſalua ciuilitate præſtare. Nec a quoquam, cuiuslibet nationis,homine contra fas patiaris opprimi, quos decet diuinitatis intuitu ſubleuari. Ita tamen, vt cauſis publicis & priuatis,quæ contra eos rationabiliter proponuntur, reſpondere non differant. Quia ſicut nolumus,eos ab aliquo prægrauari,ita exemptos a tramite iuſtitiæ non patimur inueniri.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

NOn præiudicat iuri publico perſonalis exceptio. quia beneficialem eſſe principem licet, nec intra regulas conſtituti poteſt munificentia regalis arctari. Ira leuis coërceatur grauiſſimis inſtitutis. impatiens ambitio iure frenetur. clementia nõ habet legem. nec debet ſub anguſtis terminis benigna ſequi, quẽ decet ſine fine laudari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Defensores itaq; sacrosanctæ Mediolanensis Ecclesiæ pro expensis pauperum, quæ sub lucri exaggeratione funduntur, vnum sibi ex negociatoribus vrbis suæ desiderabant oportere præstari. qui peremptoris functus officio, exceptis negociationis oneribus debeat implere, quod suscipit. Hæc enim nos & Rauennati Ecclesiæ commemorant, motos rationabili allegatione, tribuisse. quod pietatis exemplum, ad suum quoq; commodum supplicant transferendum. Ideo illustris & præcelsa magnificentia tua (salua in alijs negociationibus commoditate publica, quæ ab vniuerso corpore consueuit inferri) vnum eis, quem sibi visi fuerint eligere, deputabit. qui ita commertium negociationis exerceat, quatenus nec Monopolij, nec Siliquatici, nec Aurariæ aliquid pensionis impendat. vel quodlibet grauamen ex permissa nundinatione sustineat. Cur enim illud tardemus annuere, vnde nulla possumus damna sentire?

DROMANARIIS. THEODERICVS. REX

PVblicis debent vtilitatibus insudare, qui nomen dedere militiæ. Quid enim agat homo, si professo desit obsequio, vt nec cõmoda priuata reperiat, nec glorãi strẽnuitatis acquirat? Et ideo Comiti Sacrarum Largitionũ nostra præcepit auctoritas, vt in Hostilien si loco cõstitui debeatis. Quatenus fiscali humanitate recreati, excursus cũ veredarijs per alueum Padi more solito faciatis. Vt diuiso labore equis publicis debeat subueniri. Quando cursus vester nõ atteritur, qui per vias liquidas expeditur. Non enim vobis nimio labore claudicare contingit, qui manibus ambulatis. Vehiculum vestrum nõ sentit iniuriam, nec defectum patitur, quod vnda potius currente portatur.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEOD. REX

GRata nobis est P. C. circa vtilitates publicas impensa deuotio. Quia dum ciuium laudabiles animos comprobamus, locum iustis beneficijs reperimus. Quid est enim tam senatorium, q̃ si vtilitatibus publicis impendat effectum? vt possit prodesse patriæ, cui natus est. Vir itaq; magnificus atque patritius Decius, glorioso circa Rempub. amore deuinctus, vltro postulauit voto mirabili, quod vix potuisset sub consilio vestræ pietatis imponi, paludem Decennonij, in hostis modum vicina vastantem, fouearũ ore patefacto promisit absorbere. illam famosam sęculi vastitatem, quam sub diuturnitate licentiæ quondam mare paludestre consedit, cultisq; locis inimicum superfundens vnda diluuium, terrenam gratiam syluestri pariter horrore confudit. nihil vtile nutriens. sub liquore spoliatum fructibus est solum, postquam obnoxium cœpit esse paludibus. Ideo miramur priscæ confidentiæ virum, vt quod diu virtus publica refugit, manus priuata susceperit. Hũc ergo audacẽ laborem aggressurum

aggressurum se laudabili perfectione pollicitus est. vt pereunte damnoso gurgite, quæ fuerant amissa, vlterius non perirent. Vnde nostræ super hac parte serenitatis postulat iussiones. vt auctoritate publica subeat opus eximium, quod erit cunctis viantibus profuturum. Sed vos P. C. quibus cordi est bonum desiderium iuuare auxiliaribus constitutis, præsentibus decretis annuimus, vt ad loca ipsa Decennonij duos ex vestro corpore dirigatis. quibus arbitrantibus quantum spatij negatis incursibus paludestris iluuies occupauit, fixis terminis annotetur. Vt cum ad perfectionem promissam peruenerit, liberatori suo reddita terra proficiat. nec quisquam inde aliquid præsumat attingere, quod tam diu inuadentibus aquis non potuit vendicare.

DECIO. V.I. PATRITIO. THEOD. REX

IVstitiæ ratio est, vt laudabile desiderium sequatur prosperitas iussionum. & quod bona voluntate suscipitur, regalibus quoq; ordinationibus impleatur. Vobis itaq; desideria iusta poscentibus, præsenti auctoritate concedimus, vt stagnis Decennonij paludibusq; siccatis, sine fisco possideas in solũ rura reuocata. nec vllam metuas liberatis rebus exhibere culturam, quas sub generalitatis testimonio absoluimus. Hinc etiam ad amplissimum Senatum præcepta transmisimus, vt definito nunc spatio ad tuum pulchre transeat dominium, quod est a fœdis gurgitibus vendicatum. Aequum est enim, vt vnicuique proficiat labor suus. & sicut expendendo cognoscit incommoda, ita rebus perfectis consequatur augmenta. Illud etiam, qui studio Reipub. semper inuigilamus, aspeximus, vt si quis hunc laborem iuncta tecum societate subire delegerit, habita operis æstimatione, habeat iuris proprij spatia pro parte, quam suscipit. Vt nec solus immensis oneribus prægraueris, & animosius peragatur, quod sub collegij adiuuatione suscipitur. Ita fiat, vt &, quæ rebus maximis est amica, molesta careatur inuidia. Quapropter glorioſis desiderijs nauanter insiste. ne opinioni tuæ graue sit in assumptis conatibus marcuisse. Intuere quippe, omnium ora atq; oculos in te esse conuersos. respice serenitatis nostræ suspensa iudicia ad effectum operis instituti. Quanta vales animositate festina. vt dignus tanta re emersisse iudiceris, qui iam nunc omnium admiratione laudaris.

ARTHEMIDORO. PRAEFECTO. VRBIS. THEOD. REX

GAudemus, in te nostra floruisse iudicia. lætamur, dignum præsulem te Romanis arcibus extitisse, qui generosis animis amicũ fraudibus non passus es velare secretum, ne vos aut delicta complices facerent, aut securitas ad maiora potius incitaret. Atque ideo vniuersa pecunia, quæ fuerat fabricis deputata Romanis, & nunc magnitudinis tuæ discussione constitit abiuratã, cum nec reddita suo tempore nec docetur expensa, sine aliqua dilatione resumatur. & vobis ordinantibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

iterum Romanis mœnibus applicetur. Nefas est em̃, vt in alios vsus transeant, quę sibi subtracta nō immerito Roma suspirat. Deberemus itaq; cęlatores deputatæ pecuniæ in non modica pœna percellere, qui in tali causa nostram munificentiam fraudauerunt. Sed affuit moderatrix, semper quæ nobis est iuncta, clementia, ne indecore facta plectamus grauiter incitante iustitia. Sufficiat nobis, cupiditatē non impleſſe, quod voluit. Nec maior potest prouenire vindicta, quando velut propria videtur perdere, qui se suppressa turpiter vendicauerat possidere.

TANCILAE . V.S . THEOD . REX

ACerbum nimis est, nostris temporibus antiquorum facta decrescere, qui ornatum vrbium quottidie desideramus augere. Quo circa præsentibus te iussionibus admonemus, vt de Comensi ciuitate æneam statuā quæ perijsse suggeritur, omni animositate perquiras. Spondens etiam centū aureos, si quis hęc sacrilega prodere furta maluerit. Quatenus promissio nostræ serenitatis trepidos ad spem confessionis inuitet. quod etiam, ad te destinata, edicta proloquantur. Sed cum hæc tamen iussa promulgaueris, si adhuc facinus secreta velauerint, post diem venerabilem locorum artifices facias congregari. a quibus sub terrore perquire, quo ministro fuerit perpetratum? Ab imperitis enim harū rerum statuæ facilis euersio non fuisset, nisi eam tentasset mouere loco magistra præsumptio.

EDICTVM . THEODERICI . REGIS

QVanuis ad proditionem sceleris relaxata nimis pœna sufficiat, nec parum sit munus audaciæ, supplicij declinasse terrorem. addimus tamen præmium, quod habere innocētia solet. Non quia commissa placuerunt, sed delectat nos munificos esse in amore vindictæ. Quapropter præsentis edicti vnusquisq; auctoritate cognoscat, centum se aureos largitate nostra promereri, si prodat, qui statuam de Comensi ciuitate rapuerit? et de suo facto quod maxime nocēs requirit, indulgentiam se nouerit habiturum. Damus in æneo compendio aureum munus. & metalla, quæ inuenire possumus pretiosiora, largimur. Illud potius hac liberalitate redimentes, ne transeat in vsum, quod constat esse prohibitum. Quis ergo tanta stultitiæ cæcitate damnetur, vt dubitet erumpere, quando & securitatem reperit, & præmium confessionis acquirit? Siquis autem dissimulandum crediderit, eumq; aliquo veritatis indicio serenitas nostra detexerit, vltimo se nouerit discrimine rapiendum. Indignum est enim, vt qui respuunt indulgentiam nostram, detectis postea suffragetur humanitas.

FAVSTO

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

PRouectum regni nostri benignitas debet æmulari. vt tantū humanitas relaxet dona, quātum Respub. suscepit augmenta. Nō enim aliter laudatum modum possumus custodire, nisi ad considerationem rerum nostrum debeamus excitare propositū. Inter tot em̃ quottidie, Deo propitiāte, successus, tenacitatis esset vitium angusta largitate contentum. Atque ideo illustris magnificentia tua præsenti auctoritate cognoscat, Spoletinis ciuibus ad exhibitiōem Tertiarum supra consuetudinem aliam millenam esse deputandam. Cupimus enim libenter impēdere, quę ad salubritatem ciuium nouimus pertinere. Quia laudes sunt nostrorum temporum, celebrata gaudia populorum.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

OPes nostras cupimus thesauro pietatis augeri. execrantes cōmoda, quę nobis vexatorum fuerint calamitatibus acquisita. Molesta est illatio nostræ clementiæ, quę defletur. Quia quicquid sub lætitia penditur, accipientis laudibus applicatur. Vrbis itaq; Sipontinę negociatores hostium se asserunt depopulatione vastatos. Et quia egentium leuamina nostras potius diuitias ęstimamus, illustris magnificentia tua, per hoc iuge biennium nuncupatos, nulla faciat cōmotione vexari. Sed quoniam lapsos nihil releuasse proficit, si onus aliud solutionis accedit, qui memoratis negociatoribus noscūtur mutuasse pecuniam, celsitudo tua faciat admoneri, ne in hoc biennij spatio quicq; de credita summa æstiment postulandū. Quatenus sub inducijs supradictis, & datam possint reparare pecuniam, & aliquatenus debitorum valeat respirare substantia. Quid em̃ proficit creditorē se vrgere, quando incassum nititur nudatos exigere? quibus magis prospicimus, si ad mutuata sustinendo peruenire faciamus.

ALOISIO . ARCHITECTO . THEOD . REX

SI audita veterū miracula ad laudem nostræ clementiæ volumus continere (quoniam augmēta regalis gloriæ sunt, cum sub nobis nulla decrescunt) quo studio conuenit reparari, quod & nostris oculis frequenter constat offerri? Delectat enim, salutiferi Aponi meminisse potentiam. vt intelligas quo desiderio cupimus reficere, quod de memoria nostra nescit exire. Cęruleū fontem vidimus, in formam dolij concauis hiatibus æstuantem, & fornaces anhelantium aquarum circunducto tereti labio, Naturę, pbabili dispositiōe, coronatas. quę licet, more calidæ, nebulosos vapores exhalent, hanc tamen iucundam perspicuitatē aspectibus humanis aperiunt, vt quiuis hominum illam gratiam desideret contingere, etiam cū nō ignoret ardere. Ore plenissimo, in spheræ similitudine, supra terminos suos aquarū dorsa turgescunt. Vnde latex tanta quiete defluit, tāta quasi stabilitate decurrit, vt eum non putes crescere, nisi quia inde aliquid rauco murmure sentis exire. Veniūt aquę per algentes meatus tali feruore succensæ, vt post recurua spatia, quę arte facta sunt longiora, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

calores sint maxime redituræ. O magistri mirandum semper ingenium, vt naturæ furentis ardores ita ad vtilitatem humani corporis temperaret, vt quod in origine dare poterat mortem, doctissime moderatum, & delectatio nem tribueret et salutẽ. Iuuat videre secretũ, latices vapores igneos exhalantes, amicũ vndis indesinẽter ardorem, & calorem venire decursu riui, vnde vsualiter solebat extingui. Merito dicunt Philosophi, Elementa sibi mutuis complexibus illigari, & mirabili coniungi fœderatione, quæ inter se cõtraria intelliguntur varietate pugnare. Eccemadentem substãtiam vapores producere cõstat ignitos, quę mox ad thermarum ædificia decora peruenerũt, illis a cautibus vnda descendens, & aëra sua qualitate succendit, & tactu fit habilis, cum recepta fuerit in lauacris. vnde non tantum delitiosa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur. Scilicet, sine tormento cura, sine horrore remedia, sanitas impunita, balnea contra diuersos dolores corporis attributa. Quę ideo Aponum, greca lingua, beneficialis nominauit Antiquitas, vt causam tanti remedij eger cognosceret, cũ de tali nomine dubiũ nõ haberet. Sed inter alia loci ipsius bona, illud quoq; stupendũ esse didicimus, q̃ vna fluentorũ natura diuersis ministerijs videat accõmoda. Nã protinus saxo suscipiente collisa inhalat primæ cellulę sudatoriã qualitatem. deinde in solũ mitigata descendẽs, minaci ardore depositio, suaui tẽperatione mollescit. mox in vicinum ꝓducta, cũ aliqua dilatiõe torpuerit, multo blandius intepescit. postremo ipso quoq; tepore derelicto, in piscinã Neroniană frigida tantũ efficitur, quantũ prius ferbuisse sentit. nõ immerito auctoris sui participãs nomẽ collega est cũ viriditate gemmarũ. vt ipsa quoq; vitrei elementi colore perspicua quasdã trementes vndas quieta cõmoueat. Sed vt ipsum quoq; lauacrũ mundius redderetur, stupenda quadã continentiæ disciplina, in vndam, qua viri recreant, si mulier descendat, incenditur. propterea q̃ ipsis altera exhibitio decora collata est. scilicet, ne ardentium aquarũ fœcundissimũ locũ non crederent habuisse, vnde plurima largiretur, si vterq; sexus vno munere cõmuniter vteretur. Hęc perennitas aquarũ intelligendi præstat indiciũ. per igneas terræ venas occultis meatibus, influentem intus, in auras erumpere ex cocti fontis irriguã puritatem. Nam si Naturę fuisset illud incendiũ, sine interitu substantię nõ fuisset admissum. Sed aquæ materia sensibilis, sicut peregrinũ cõtraxit ignem, sic iterum natiuũ facile repetit algorem. Præstat & aliud adiutorij genus vis illa medicabilis. nam iuxta caput fontis scintilloſi, quendam sibi meatũ prouida Natura formauit. Hinc desuper sella cõposita, quę humanis necessitatibus in absidis specie perforatur, ægros suscipit interno humore defluentes. vbi dum fessi nimio langore consederint, vaporis illius delectatiõe recreati, & lassa viscera reficiunt, & humores noxia infusione largatos, vitali ariditate constringũt. vt quasi aliquo desiderabili cibo refecti, valẽtiores queant protinus inueniri. Sic medicabili substantiæ venit a sulphure, quod calet. a sale sedine, quod desiccat. Talia posteris nõ tradere, hoc est grauiter in longa ætate peccare. Quapropter antiqua illic ędificiorũ soliditas innouet. Vt siue in

in thermis, siue in cuniculis fuerit aliquid reparãdum, te debeat imminente recõstrui. Virgulta quoq;, noxia importunitate nascentia, euulsis cespitibus auferantur. ne radicũ quidam capilli paulatim turgentes, fabricarũ visceribus inserantur, & more vipereo prolem sibi fœcunditate contraria nutriat, vnde se compago casura disrumpat. Palatium quoq;, longa senectute quassatũ, reparatione assidua corrobora. Spatium, quod inter ædem publicam, & caput igniti fontis interiacet, syluestri asperitate depurga. Rideat florenti germine facies decora campestris, quæ etiam ardentis aquæ fertilitate lætatur. miroq; modo dũ proxime salem generet sterilem, nutriat pariter & virores. Sed non his tantum beneficijs Antenorea terra fęcunda est. Infert & alia, quę multo grandius obstupescas. Corda illa (vt ita dixerim) montium, in vicem secretarij, negocia contentiosa distinguũt. Nam si quis forte pecus furatum pilis natiuis solito more spoliare præsumpserit, vndis ardentibus frequenter immersum, necesse est, vt antea decoquat, quam emundare prævaleat. O vere secretarium, iurereuerendum. quando in his aquis non solum sensum, sed etiam verum constat esse iudicium. & quod humana nequit altercatione dissolui, fontium datum est æquitate definiri. Loquitur illic tacita Natura, dum iudicat, & sententiam quodammodo dicit, quę perfidiã negantis excludit. Sed quis ista conseruare negligat, quanuis plurima tenacitate sordescat? Siquidem ornat regnum, quod fuerit singulariter toto orbe nominatum. Et ideo pecunia, quæ tibi data est, si opus non poterit implere susceptum, quantum adhuc expendendum esse credideris, missis nobis breuibus, indicabis. Quia non grauamur expendere, vt tanta videamur ruris amęnia custodire.

BOETIO . PATRITIO . THEOD . REX

CVm Rex Francorum, conuiuij nostri fama pellectus, a nobis cytharedum magnis precibus expetisset, sola ratione complendum esse promisimus, quòd te eruditionis Musicæ peritum esse noueramus. Adiacet enim nobis, doctum eligere, qui discipli nam ipsam in arduo collocatam, potuistis attingere. Quid enim illa præstantius, quæ Cœli machinam sonora dulcedine modulatur, & Naturæ conuenientiam, vbiq; dispersam, virtutis suæ gratia comprehendit? Quicquid enim in conceptum alicuius modificationis existit, ab armoniæ continentia non recedit. Per hanc competenter cogitamus, pulchre loquimur, conuenienter mouemur. quæ quoties ad aures nostras disciplinæ suæ lege peruenerit, imperat cantum, mutat animos. artifex auditus, & operosa delectatio. Hæc cum de secreto Naturæ, tanquam sensuum Regina, tropis suis ornata, processerit, reliquæ cogitationes exiliunt. omniaq; facit eijci, vt ipsam solummodo delectet audiri. Tristitiam noxiam iucundat. tumidos furores attenuat. cruentam sæuitiam efficit blandam. excitat ignauiam, soporantemque languorem. vigilantibus reddit salubberrimam quietem. viciatam turpi amore, ad honestum studium reuocat

Universidad de Deusto
Biblioteca

cat caſtitatem. ſanat mentis tædium, bonis cogitationibus ſemper aduerſum. pernicioſa odia conuertit ad auxiliatricem gratiam. & quod beatum genus curationis eſt, per dulciſſimas voluptates expellit animi paſſiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet,& ſolo auditu,ad quod vult deducit.quam tenere non prævalet verbo tacitus manibus clamat,ſine ore loquitur. & per inſenſibilium obſequium prævalet ſenſuum exercere dominatum. Hoc totum inter homines quinq; tonis agitur. qui ſinguli prouinciarum,vbi reperti ſunt,nominibus vocitãtur. Miſeratio quippe diuina localiter ſparſit gratiam,dum omnia ſua valde fecit eſſe laudanda. Dorius pudicitiæ largitor,& caſtitatis effector eſt.Phrygius pugnas excitat, votũ furoris inflãmat. Aeolius animi tempeſtates tranquillat, ſomnumq; iam placatis attribuit. Iaſtius intellectũ obtuſis acuit,& terreno deſiderio grauatis cœleſtium appetẽtiam bonorum operator indulget. Lydius contra nimias curas,animæq; tædia repertus,remiſſione reparat,& oblectatione corroborat. Hæc ad ſaltationes corruptibile ſæculum flectens,honeſtũ remedium turpe fecit eſſe cõmentum. Hic vero numerus quinarius trina diuiſione cõſiſtit. Omnis enim tonus habet ſummũ & imum. Hęc aũt dicuntur ad medium. Et quoniã ſine ſe eſſe non poſſunt,quæ alterna ſibi viciſſitudine referuntur,vtiliter inuentũ eſt, artificialem Muſicam,id eſt,auctorũ operationibus diuerſis organis exquiſitam,modis quindecim contineri. His rebus aliquid maius adñciens humana ſolertia, terris quandam armoniã doctiſſima inquiſitione collegit,quę Diapaſon nominatur,ex omĩbus ſcilicet cõgregata. vt virtutes,quas vniuerſum melos habere potuiſſet,hæc adunatio mirabilis contineret,Hinc Orpheus mutis animalibus efficaciter imperauit, vagosq; greges cõtemptis paſcuis ad audiẽdi epulas potius inuitauit. Illo cantante amauerunt ſiccas tritones terras. Galatea luſit in ſolidis. deſeruerunt vrſi amabiles ſyluas.leones domeſtica tandẽ canneta reliquerũt.iuxta prædonem ſuũ prẽda gaudebat.In vnũ conuentũ cõtraria vota collecta ſunt, et fide dicente lyra omĩa ſibi aduerſa crediderũt. Amphion quoq; dirceus, canendo chordis, Thebanos muros dicit condidiſſe. vt cũ homines labore marcidos ad ſtudiũ perfectiõis erigeret,ſaxa ipſa crederent relictis rupibus adueniſſe.Muſæum etiã,& artis Orphei filium & Naturæ,Maronis præpotens lingua cõcelebrat. dicens apud Inferos in ſumma beatitudine cõſtitutum,qđ per Eliſios campos felices animas ſeptẽ chordarũ pulſibus amęnabat. ſignificãs ſummo prẽmio perfrui,cui diſciplinæ huius cõtigerit ſuauitatibus epulari. Sed hæc omĩa humano ſtudio p manualẽ muſicã videnť effecta. Naturalis aũt rythmus animatę voci cognoſcit attributus.qui tunc pulchre melos cuſtodit, ſi apte taceat,cõgruenter loquatur, & per accentus viam muſicis pedibus cõpoſita voce gradiať. Inuenta eſt quoq; ad permouendos animos Oratorũ fortis ac ſuauis oratio.vt criminoſis iraſcanť iudices,miſereanť errantibus. & quicquid poteſt eloquens efficere,ad huius diſciplinæ nõ eſt dubiũ pertinere gloriã. Poëtis etiã, Terentiano teſtante,duo primũ metra principalia ſunt attributa, id eſt,Heroicũ & Iambicũ. vnũ q;

erigeret

erigeret,alterũ q; placaret. Ex quibus ad oblectãdum animos audientiũ diuerſa progenita ſunt. Et vt in organis toni,ita in humana voce varias animi affectiones grauida metra pepererunt. Sirenas in miraculũ cantaſſe,curioſa prodit Antiquitas. & q̃is nauigantes fluctus abduceret,carbaſa ventus inflaret, eligebãt ſuauiter decepti ſcopulos incurrere,ne tantã paterent dulcedinẽ prætерire. Quibus ſolus Ithacus euaſit.qui nautis ſolicitatorẽ protinus obſtruxit auditũ contra noxiam dulcedinem. Cogitauit vir prudentiſſimus feliciſſimã ſurditatem,& quam vincere intelligendo nõ poterat,melius nõ aduertendo ſuperabat. Se vero ſoliditati arboris conſtrictis nexibus illigauit, vt & famoſos cãtus liberis auribus ,pbare potuiſſet, & pericula dulciſonæ vocis vnda rapiente vinctus euaderet. Verum vt & nos talia exemplo ſapiẽtis Ithaci trãſeamus,loquamur de illo lapſo e cœlo pſalterio. quod vir toto orbe cantabilis ita modulatum pro animæ ſoſpitate compoſuit, vt his hymnis & mentis vulnera ſanarentur, & diuinitatis ſingularis gratia conquiratur. En quod ſæculum miretur & credat. pepulit Dauitica lyra diabolum. ſonus ſpiritibus imperauit. & canente cythara in libertatem redijt, quem internus inimicus turpiter poſſidebat. Nam licet huius delectationis organa multa fuerint exquiſita, nihil tamen efficacius eſt inuentum, ad promouendos animos, q̃ concauæ cytharæ blanda reſultatio. Hinc etiam appellatam exiſtimamus cordam,quod facile corda moueat. Vbi tanta vocum collecta eſt ſub diuerſitate concordia, vt vicina corda pulſata alteram faciat ſponte contremiſcere, quam nullum contigit attigiſſe. Tanta enim vis eſt conuenientiæ,vt rem inſenſualem ſponte ſe mouere faciat,quia eius ſociam conſtat agitatam. Hinc diuerſæ veniunt ſine lingua voces. hinc variįs ſonis efficitur quidam ſuauiſſimus chorus. illa acuta nimia tenſione. iſta grauis aliqua laxitate. hæc media tergo blandiſſime temperato. Vt homines ſe ad tantam perducere non prẽualeant vnitatem, in quantam ad ſocialem conuenientiam ratione carentia peruenerunt. Ibi enim quicquid excellenter , quicquid ponderatim , quicquid rauce , quicquid puriſſime,aliaſq; diſtantias ſonat,quaſi in vnum ornatum conſtat eſſe collectum. Et vt diadema oculis, varia luce gemmarum , ſic cythara diuerſitate ſoni, blanditur auditui. Muſarum tela loquax. ſtamina verboſa. fila canentia. in quibus arguto plectro texitur,quod dulciter audiatur. Hanc igitur ad imitationẽ variæ teſtudinis, Mercurius dicitur inueniſſe. Quã tanta vtilitatis procurantem Aſtronomi inter ſtellas requirendã eſſe putauerunt. perſuadentes , cœleſtem eſſe muſicam,quando lyræ formam compræhendere potuerunt inter ſydera collocatam. Armonia vero cœli humano ſermone idonee non poteſt explicari.quã Ratio tantũ aĩo dedit,ſed auribus Natura nõ prodidit. Dicunt enim debere credi,vt beatitudo cœleſtis illius oblectationibus perfruatur,quæ nec fine deficit,nec aliqua intermiſſiõe marceſcit. In ipſo quippe intellectu habitare referũt ſuperna,ipſis delitijs cęleſtia pfrui, & talibus contẽplationibus inherentia beatis iugiter delectatiõibus cõtineri. Bene quidẽ arbitrati,ſi cauſam cęleſtis beatitudinis nõ in ſonis,ſed in crea-

tore

Universidad de Deusto
Biblioteca

tore posuissent. vbi veraciter sine fine gaudiũ est, sine aliquo tædio manens semper æternitas. et inspectio sola diuinitatis efficit, vt beatius esse nil possit. Hæc veraciter perennitatem præstat. hæc iucunditates accumulat. & sicut prẽter ipsam creatura nõ extat, ita sine ipsa incõmutabilem lætitiam habere non prævalet. Sed quoniã nobis facta est voluptuosa digressio (quia semper gratum est de doctrina colloqui cum peritis) cytharedum, quem a nobis diximus postulatũ, sapientia vestra eligat præsenti tempore meliorẽ. facturus aliquid Orphei, cũ dulci sono gentiliũ fera corda domuerit. & quãtę nobis gratię fuerint actæ, tãtæ vobis ex nostra æquabili cõpensatione referrent. qui & imperio nostro paretis, & quod vos clarificare possit, efficitis.

LVDVIN. REGI. FRANCORVM. THEOD. REX

GLoriosa quidem vestræ virtutis affinitate gratulamur, ꝙ gentẽ Francorum prisca ætate residem, feliciter in noua prælia concitastis. & Alamãnicos populos, causis fortioribus inclinatos, victrici dextra subdidistis. Sed quoniam semper in auctoribus perfidię resecabilis videtur excessus (quia ex primariorũ plectibilis culpa omnium debet esse vindicta) motus vestros in fessas reliquias temperate. quia iure gratię merentur euadere, quos ad parentum vestrorũ defensionem respicitis confugisse. Estote illis remissi, qui nostris finibus cælantur exterriti. Memorabilis triumphus est, Alamannũ acerrimũ sic expauisse, vt tibi eum cogas de vitæ munere supplicare. Sufficiat, illum Regem cũ gentis suæ superbia cecidisse. Sufficiat, innumerabilem nationẽ partim ferro, partim seruitio subiugatam. Nam si cum reliquis confligis, adhuc cunctos superasse non crederis. In talibus causis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella prouenerunt, quæ moderato fine peracta sunt. Is enim vincit assidue, qui nouit omĩa temperare. dum iucunda prosperitas illis potius blanditur, qui austeritate nimia non rigescunt. Cede itaq; suauiter genio nostro, quod sibi gentilitas cõmuni remittere consueuit exemplo. Sic enim fit, vt & meis petitionibus satisfeciſſe videamini, nec sitis soliciti ex illa parte, quam ad nos cognoscitis pertinere. Quo circa salutantes honore et affectione, qua dignũ est, illum & illum Legatos nostros ad excellentiam vestram consueta caritate direximus. per quos & sospitatis vestræ indicium, & speratæ petitionis consequamur effectum. Quædam vero, quę ad nos pro vestris vtilitatibus peruenerunt, per harum portitores verbo vobis insinuanda cõmisimus. vt cautiores effecti, optata possitis victoria constanter expleri. Vestra siquidẽ salus, nostra gloria est. & toties regnum Italię proficere iudicamus, quoties de vobis lęta cognoscimus. Cytharedum etiam, arte sua doctũ, pariter destinauimus expetitũ. qui ore manibusq; consona voce cantando, gloriam vestræ potestatis oblectet. Quem ideo fore credimus gratum, quia ad vos eum iudicastis magno opere dirigendum.

MAGNI

MAGNI AVRELII CASSIODORI

VARIARVM LIBER TERTIVS

ALARICO. REGI. VISIGOTHARVM THEODERICVS. REX

QVanuis fortitudini vestrę confidentiam tribuat parentum vestrorum innumerabilis multitudo. quanuis Attilam potentem reminiscamini Visigotharum viribus inclinatum. tamen quia populorum ferocia corda longa pace mollescunt, cauete subito in aleam mittere, quos constat tantis temporibus exercitia non habere. Terribilis est hominibus conflictus, si non sit assiduus. & nisi vsu pręsumatur, concertandi subito fiducia non habetur. Absit, vt nobis aliquid indignatio cœca surripiat. Moderatio prouida est, quæ gentes seruat. Furor autem instantia plerunq; præcipitat. & tunc vtile solum est ad arma concurrere, cum locum apud aduersarium iustitia non potest inuenire. Quapropter sustinete donec ad Francorum Regem Legatos nostros dirigere debeamus. vt litem vestram amicorum debeant amputare iudicia. Inter duos, nobis affinitate coniunctos, non optamus aliquid tale fieri, vnde vnum minorem contingat forsitan inueniri. Non vos parentum fusus sanguis inflammat. non grauiter vrit occupata prouincia. adhuc de verbis parua contentio est. facillime transigitis, si non per arma vestros animos irritetis. obijciamus, quanuis cognato, cum nostris cõiuratis eximias gentes. Iustitia, quæ Reges efficit fortiores, cito conuertit animos, qui contra se tales sentit armatos. Et ideo salutationis honorificentiam prælocuti, Legatos nostros illum & illum ad vos credimus esse dirigendos. qui vobis & mandata nostra sufficienter insinuent, & vsq; ad fratrem nostrum Gundibadum, vel alios Reges, cum nostra voluntate deproperẽt. Ne videamini eorum immissione laborare, qui maligne gaudent alieno certamine. Auertant enim diuina, vt supra vos iniquitas illa prævaleat. Commune malum, vestrum iudicamus inimicum. Nam ille me iure sustinebit aduersum, qui vobis nititur esse contrarius.

GVNDIBADO

GVNDIBADO . REGI . BVRGVNDIONVM . THEOD . REX

GRaue malum est inter curas regiasq; personas, voluntates sibi met videre contrarias. & dissimulando spectare, vt de vno aliquid dolendum possit emergere. Nõ sine inuidia nostra geritur, si nobis patientibus affinium clade dimicetur. Habetis omnes per me pignora magnæ gratiæ. non est vnus ab alio segregatus. si quid in vobis delinquitis, meo grauiter dolore peccatis. Nostrum est, regios iuuenes obiecta ratione moderari. quia illud in vobis vere sentiunt displicere, qui dum male cupiunt, audaciam suæ voluntatis retinere non possunt. Vereantur senes, quanuis sint florida ætate feruentes. sciant, nos aduersarios esse contrarietatibus suis. & illud velle persequi, ne ab vtrisq; possit excedi. Decet enim nos aspera verba dicere, ne affines nostri ad extremum deobeant peruenire. Et ideo illum et illum Legatos ad fraternitatẽ tuam credimus destinandos. vt si filio nostro Alarico visum fuerit, ad regem Francorum cum cõiuratis nobis gentibus dirigere debeamus. quatenus causa, quę inter eos vertitur, amicis medijs rationabiliter abscidatur. Conuenit enim, tales tantosq; Reges non inter se lamentabiles rixas quærere, vt de suis & nos possint casibus sauciare. Quapropter fraternitas vestra, adhibito meo cum studio, eorum nitatur reparare cõcordiam. quia nemo potest credere, sine nostro voto illos ad hæc prælia peruenisse. nisi omnino clareat, ne ad conflictum veniant, nostra potius esse certamina. Aliqua vero a præsentium gerulis literarum sermone vobis commisimus intimanda. Vt sic prudentia vestra cuncta componat, quemadmodum consueuit, Deo iuuante, perficere, vnde solet diligentissime cogitare.

HERVLORVM . REGI . GVARNORVM . REGI . THORINGORVM . REGI . THEOD . REX

SVperbiam, diuinitati semper exosam, persequi debet generalitatis assensus. Nam qui vult opinabilem gentem voluntaria iniquitate subuertere, non disponit cæteris iusta seruare. Pessima consuetudo est, despicere veritatem. Credit sibi omnia cedere, si elatum contigerit in abominabili certamine superare. Et ideo vos, quos conscientiæ virtus erigit, & consideratio detestabilis præsumptionis accendit, Legatos vestros, vna cũ meis et fratris nostri Gundibadi regis, ad Francorum regem Luduim destinate. Vt aut se de Visigotharum conflictu considerata æquitate suspendat, & leges gentium quærat. aut omnium patiatur incursum, qui tantorum arbitrium iudicat esse temnendum. Quid quærit vltra, cui offertur absoluta iustitia? Dicam plane, quod sentio. qui sine lege vult agere, cunctorum disponit Regna quassare. Sed melius est, vt inter initia pernicioſa reprimatur assumptio. vt sine labore perficiatur omnium, quod certamen esse poterat singulorum. Recolite nanq; Henrici senioris

nioris affectum, quantis vos iuuit semper muneribus, quoties a vobis proximarum gentium imminentia bella suspendit. Reddite filio eius gratiam, quam tantum agnoscitis vestris vtilitatibus attributam. Nam si tanto Regno aliquid prȩualuerit, vos aggredi sine dubitatione præsumet. Quapropter excellentiam vestrã epistolari sermone salutãtes, per Legatos nostros, illum et illũ, præsentiũ portitores, verbo vobis aliqua dicenda cõmisimus, Vt vos qui nostrum sequimini, deo iuuante, dispositum, vnus complectatur assensus. & foris hoc agatis, ne in vestris prouincijs dimicare possitis.

LVDVIN . REGI . FRANCORVM . THEOD . REX

ADeo inter Reges affinitatis iura, diuina coalescere voluerunt, vt per eorum placabilem animum proueniat quies optata populorum. Hoc enim sacrum est, quod nulla permittitur commotione violari. Nam quibus obsidibus habeatur fides, si non credatur affectibus? Sociantur proximitate domini, vt natiões diuisæ simili debeant voluntate gloriari, & quasi per alueos quosdam concordiæ adunata se possint gentium vota coniungere. Quę cum ita sint, miramur animos vestros sic causis mediocribus excitatos, vt cum filio nostro Alarico Rege durissimum velitis subire conflictum. vt multi qui vos metuunt de vestra concertatione lætentur. Ambo estis summarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Nõ leuiter regna vestra quassatis, si data partibus libertate confligitis. Virtus vestra patriæ nõ fiat inopinata calamitas. Quia grandis inuidia est regum in causis leuibus grauis ruina populorum. Dicam libere, dicam affectuose, quod sentio, Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma mouere. A parentibus, quod quæritur, electis iudicibus, expetatur. Nam inter tales viros, & illis gratum est dare, quos medios volueritis efficere. Quid de nobis vos ipsi æstimare poteritis, si nos intentiones vestras reliquisse cognoscitis? Absit ille conflictus, vbi vnus ex vobis deleri poterit inclinatus. Abijcite ferrũ, qui in meum pugnare vultis opprobriũ. Iure patris vobis interminor & amantis. Ille nos & amicos vestros patietur aduersos, qui talia monita (quod non opinamur) crediderit esse temnenda. Quapropter ad excellentiam vestram illum & illum, Legatos nostros, magno opere credidimus dirigendos. per quos etiam ad fratrem vestrum, filium nostrum, Regem Alaricum scripta nostra direximus. vt nullatenus inter vos scandala seminet aliena malignitas. sed in pace perseuerantes, quę sunt inter vos, medijs amicis, placabiliter finire debeatis. Per eos etiam & verbo vobis aliqua dicenda mandauimus. Vt gentes, quę sub parentibus vestris longa pace floruerunt, subita non debeant concussione vastari. Illi enim credere debetis, quem vestris vtilitatibus arridere cognoscitis. Quoniam qui vult alium in præcipites casus mittere, eum certum est fideliter non monere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IMPORTVNO. V.I. PATRITIO. THEOD. REX

SI te aut nobilitas sola decoraret, aut meritorum tantum laude polleres, conferendas forsitan dignitates dilatione probabili libraremus. ne magna vilescerent, cum simul omnia funderentur. Nunc autem cum te vniuersa facto agmine comitentur, nec desit vni, quod prædicatur in pluribus, conuenit iustitiæ nostræ, vt cum tu copiosa bona protuleris, vberrime te repleat munificentia principalis. Non enim crescendi vobis hic ordo, qui multis est. paulatim prouehi, mediocris probatur esse virtutis. dum morosius agnoscitur, quod sub leuitate præstatur. Saltu quodam se tendit vestra prosperitas. solaq; perfectio a vobis quæritur, cum vobiscum multa nascantur. Elaboratæ sunt enim longa ætate vestri generis dignitates, quæ notissimo quodam habitaculo Lares in vestra posuere familia. Nam, vt prisca sæcula transeamus, quæ affatim viros sunt visa perferre præcipuos, gemino radias patris ac patrui decore conspicuus, qui non solum ornamentum familiæ suæ, sed ipsi decus Senatui præstitere, modernis sæculis moribus ornabãtur antiquis, bonitate præditi, cõstantia glorioſi, in amicitia proni, ad odia sumẽda difficiles. Ita, quod maximum felicitatis genus est, cum multæ probarentur esse potentiæ, inuidiam illos persequentium contigit non habere. Pendebant quinimmo circa eos anxia vota ciuitatis, crescẽs supra priuatos publicus amor eorum. Senatus animum eorum sequebatur, turba propositũ. Et necesse erat Romam velle, quod cuncti videbantur optare. miroq; prosperitatis euentu firmum circa eos custodiebat arbitrium voluntas vaga populorum. quod inter cæteras dignitates munus iudicamus esse præcipuum. Nam si paucorum amor iuste iam gloria est, tantæ ciuitatis affectus quod potest habere præconium? Proinde sicut omnia ingrata videntur obscura, sic generaliter dilecta præclara sunt. Tot igitur parentum laude decoratus, tot etiam morum luce conspicuus, sume post consulares fasces emeritos, Patriciatus insignia, tuarum munus plenarium dignitatũ. & cani honoris infulis adultam cinge cæsariem, qui meritorum laude ætatis præiudicia superasti. Cur enim tardo euenirent prẽmia, cui tot generis suffragabantur exempla? Eligitur quippe in te nascẽdi laus, viuendi gloria. & cum multa trahas ab Antiquis, meruisti placere de propriis. Ab ipso quippe vitæ principio, quod inter adulantium greges rarum solet esse, nobilibus studuisti fidem virtutibus exhibere. Atq; ideo instituti tui firma vestigium. vt qui primæuus gloriam consecutus es, florentibus annis glorioſis honoribus augearis. Inspice deniq;, quanta tuorum laude præcipua decoreris. Culpæ genus est, non te fecisse, quod summum est. De maturitate quippe tua multo debent venire meliora, qui in ætate tenera te nouimus fecisse prædicanda. Confidimus eñ nec tui generis institutum, nec nostrum circa te errare posse iudicium.

SENATVI

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

GRatum quidem nobis est, P. C. personas nouas ad honorũ cel-
sa producere. Delectat, peregrini germinis viros gremio libertatis inserere. Vt varijs frondescat senatus aula virtutibus. Ornat enim talis multitudo conuentum, & lætam reddit faciem publicam honorata frequentia. Sed multo nobis probatur acceptius, quoties dignitatibus reddimus, qui de ipsa Curiæ claritate nascuntur. Quia non sunt de vobis examina nostra solicita, dum præiudicata bona transfunditis, qui merita cum luce præstatis. Origo ipsa iam gloria est, laus nobilitati connascitur. Idem vobis est dignitatis, quod vitæ principium. Senatus enim honor amplissimus nobiscum gignitur, ad quem vix maturis ætatibus peruenitur. Hæc licet de vobis omnibus veraciter iudicemus, vt ordinis genium complectatur gratia Senatorum, maxime serenitatis nostrę luminibus Deciorum sanguis irradiat. Qui tot annis cõtinuis simul splendet claritate virtutis. Et quanuis rara sit gloria, non agnoscitur in tam longo stemmate variata. Sæculis suis producit nobilis vena primarios. nescit inde aliquid nasci mediocre. tot probati, quot geniti. & quod difficile prouenit, electa frequentia. En pullulat ex vno germine quadrifarium decus, honor ciuium, gloria generis, augmentum Senatus. Qui quanuis fulgeat communione meritorum, inuenies tamen quem possis laudare de propriis. Respicite certe iuuenem, per formæ gratiam mentis pulchritudine plus placentem. Refert facie sanguinis decus, proditur animi natura per vultum, & serenitate corporis nubila quoq; mentis abstergit. Verum hæc Naturæ bona literarum decorauit insignibus. vt cote magistrarum artium detersis mentis penetralibus, plus luceret. In libris Veterum Decios cognouit antiquos, nobilemq; progeniem, glorioſæ mortis beneficio viuentem. Felicissimus profecto studiorum labor, cui priscorum carmen contigit discere per parentes, & de auita laude primordia teneri pectoris erudire. Libet referre, q̃ magno tunc spectaculo totius Scholæ in eum conuertebatur aspectus. qui cum audiret parentem illa mox intendebat hæredem quærens. vt quæ auctorem cognouerat dicere, per huius posset similitudines approbare. Nam sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat, ita præclara de patribus egregie dona confirmat. Creditum est de his omne quod legitur. dum præconia Veterum præsens docuit vena virtutum. in auditorij officina ingeniorum flamma recalente, his quidem formabatur exemplis, sed domesticis felicius producebatur imperijs. Subtracto enim solatio maritali, onus regendi mater glorioſa suscepit. Quam nec ampla patrimonij cura, nec tot filiorum potuit turbare custodia. Aluit nutrimentis, auxit patrimonijs, ornauit moribus, & quot ædidit familiæ iuuenes, tot reddidit Curiæ consulares. Hæc igitur, rimator morum, noster sensus inspexit, qui etiam bonum domesticę virtutis inquirit. vt inter priuata laudatis publica debeat ornamenta largiri. Atque ideo P. C. illustri & magnifico viro

Universidad de Deusto
Biblioteca

Importuno Patritiatus culmen indulsimus. Vt noster cœtus sicut pullulat sorte nascendi, ita et fascibus possit augeri. Impendite parenti gratiam, aduʒnate sententias. Vestra est indoles, quã probamus. Habetis certe, quod noʒbis ingeniosa laude tribuatis, si amore necessitudinũ publicum faciatis esseʒ iudicium. & quod pro naturę caritate dependitur, collatum nostris iussioʒnibus æstimetur.

IANVARIO. VIRO. VENERABILI. EPISCOPO SALONITANO. THEOD. REX

OMnes quidem iustitiam colere & obseruare præcipimus, sed eos maxime, qui diuinis honoribus eriguntur. vt supernæ gratiæ fiant proximi, dum a terrena fuerint cupiditate longinqui. Ioannes itaque flebili nos allegatione pulsauit, sanctitatem vestram a se sexaginta orcas olei, ad implenda luminaria, suscepisse. Quarũ prætium sibi postulat oportere restitui. Bonum quidem votum, si tamen non ibi aliʒquid misceatur aduersum. Nam licet vbiqʒ deceat iustitiam custodiri, in illis rebus maxime necessaria est, quæ diuinis obtutibus offeruntur. Ne putemus ignorare Deum, vnde accipiat, si fraudatis oblationibus acquiescat. Et ideo, si veram querimoniam cognoscitis supplicantis, consideratione iustitiæ, quam sancta lege prædicatis, facite quæ iuste debentur sine tarditate restitui. Quatenus nullus ingemiscat, illata sibi per vos fuisse dispẽdia, quos decet potius præstare iuuamina. Quapropter studete, vt qui non soletis pro magnis rebus excedere, nunc videamini (quod absit) in paruitate peccare.

VENANTIO. V.S. CORRECTORI. LVCANIAE. ET BRVTIORVM. THEOD. REX

IVstitiæ ratio persuadet, ab vno quoqʒ postulari, quod ei constat iniungi. & pecunias publicas instanter quærere, ne debitorem neglectus debeat ingrauare. Nam si remissio in admonitioniʒbus veniat, cunctos necesse est vt contemptus inuoluat. Et quodam modo nascitur de pietate crudelitas, si quem negligis admonere, poʒstea cogaris exigere. Vtilis est ergo cura, prædicere quando & occasio subʒtrahitur delictis, & locus non datur illicitis. Quapropter illustris viri Comitis Sacrarum Largitionum suggestione comperimus, pridem tibi, secunʒdum morem veterem, exactionem Binorum et Ternorũ fuisse delegatam. Vnde te præsentibus commonemus affatibus, vt secundum Canonicariæ fidei tempora debeas constituta cõplere. Ne quicquid dispendrj assis publicus sustinuerit, de proprio exoluere tu cogaris, a quo nec tantæ iussioni est habita reuerentia, nec fides suæ promissionis impleta.

POSSESSORIBVS

POSSESSORIBVS. DEFENSORIBVS. ET. CVRIALIBVS. AESTVNIS. CONSISTENTIBVS. THEOD. REX

PRoposiți quidem nostri est, noua construere. sed amplius vetuʒsta seruare. Quia nõ minorẽ laudem de inuentis, eqʒ de rebus posʒsumus acquirere custoditis. Proinde moderna sine priorum imʒminutione desideramus erigere. Quicquid enim per alienum veʒnit incommodum, nostræ iustitiæ nõ probatur acceptũ. In municipio itaqʒ vestro sine vsu iacere comperimus columnas, & lapides, vetustatis inuidia demolitos. Et quia indecore iacentia seruare nil proficit, ad ornatum debent surgere rediuiuum, eqʒ dolorem monstrare ex memoria præcedentium sæʒculorum. Atqʒ ideo prẽsenti auctoritate decernimus, vt si vera fides est suggerentum, nec aliquid publico nunc ornatui probatur accommodum, suʒpra memoratas platonas vel columnas ad Rauennatem ciuitatem contraʒhat modis omnibus deuehendas. vt collapsis metallis obliterata facies redʒdatur iterum de arte pulcherrima. & quæ situ fuerant obscura, antiqui niʒtoris possint recipere qualitatem.

FESTO. V.I. PATRITIO. THEOD. REX

DEcet prudentiam vestram in augendis fabricis regalibus obtemʒperare dispositis. quia nobilissimi ciuis est, patriæ suæ augmenta cogitare. maxime cum sit studij nostri, illa decernere, quibus cunctos notum est sine suis dispendijs obedire. Atqʒ ideo magnituʒdini tuæ, præsenti admonitione declaramus, vt marmora, quæ de domo Pinciana constat esse deposita, ad Rauennatẽ vrbem per Catabolenses veʒstra ordinatione dirigantur. Subuectũ vero direximus de præsenti. ne aut mora nostris ordinationibus proueniret, aut laborantes aliqua detrimenʒta sentirent.

ARGOLICO. V.I. PRAEFECTO. VRBIS. THEOD. REX

OPtamus, cunctum diem plenũ beneficijs nostris excurrere. Opʒtamus, vbiqʒ præstita nostra radiare. Quia in æuum viuit, quod munificentia principalis indulserit. Quid enim tam regium, eqʒ feʒcisse felicem? & eo vsqʒ prẽstare, quo se erectus stupeat attigisse? Beneficia siquidem sunt, quæ regna sublimant. & libertatis dominus iugiʒter potest crescere, si sibi subiectos studeat ampliare. Hoc mãsuetudinis noʒstræ glorioso proposito, quem gratia generalitatis patrio fouemus affectu, per indictionem quartã Præfecturæ Vrbanæ insulas tibi copiosa liberaliʒtate largimur. vt paternis honoribus successio clara lætet, & sub nobis posʒsit proficere, quicquid meruit ad nostra sęcula peruenire. Circunspice itaqʒ q̃ magnum sit, primordijs tuis canam Romam potuisse committi. vt in illo amplissimo cętu iudicis videaris eminere suggestu, vbi est arduũ, vel ipsum obtinere collegium. Stude ergo, vt a meritis tuis exigere possis, quod nos

 præstitisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

præstitisse cognoscis. Auara fuge, iusta sequêre, modesta dilige, iracunda contemne. Quid erit suauius, ꝙ in illa turba summorũ nobile protulisse iudicium, vbi tot patritiorum corda prouocãtur ad gratiam? vbi bonum factum celebretur ore sapientum? Nunquã maiore laude virtutis agitur, ꝙ si recte Roma tractet. Quas diuitias æstimes aptiores, ꝙ in oculis Senatus conscientiæ preciosam gerere puritatem? & ante ipsum libertatis gremium nullis vitijs esse captiuum? Videmus, reliqui fasces qua gloria censeãtur. Vrbanus prẽsul dignitas est honorum. Non patitur claritas illa cõmittere, quod possit nobilis turba nescire. Locatus in medium cunctorum ad se trahit aspectum. & totius vitæ iudicium promulgat fama populorum. Hęc te & animo concipere, & rebus euidentibus explicare, credibile apud nos faciunt studia literarum. vbi cognouisti omne quod deceat, & ad vsum vitæ glorioſę animum, doctorũ nimirum institutione, formasti. Fugiat ergo doctrina delictũ. Indocilis est animi, ad vitia trahi. Aedificatus libris, locum nõ relinquit iniurijs. vbi in teneris annis acquiritur, quod matura ætate seruetur. Ad tramitem recti hortentur te tuorum facta seniorum, admoneat lectionis auctoritas, deinde iudicij nostri electio gloriosa. Vt maiora de nobis sumere possis, cum te ea, quæ commisimus, implere cognoueris.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

AMamus P. C. dignitates eximias de nostra benignitate nascentes. Publici enim decoris mater est mens regentis. & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aspectum. Facilius est quippe, si dicere fas est, errare Naturam, ꝙ dissimilem sui princeps possit formare Rempub. Hinc est, quod cupimus, vt perpetuis honoribus fulgeatis. quia quicquid de vobis fama loquitur, nostris institutionibus applicatur. Nam cum omnia celsa mereamini, nostram inuidiam tangit, si quid vobis fortasse defuerit. Proinde, quod felicibus sanciatur auspicijs, illustrem Argolicum Præfecturæ Vrbanæ dignitate promouemus. vt & ille augeatur fascibus, & vobis tanti iudicis minime subtrahatur ornatus. Scitis enim, sæpe ex hac familia viros enituisse precipuos. Recordamini prouecti auum perfecti dogmatis honore ditatum, cuius maximam facundiam Fora mirata sunt. Studuit vero, cũ abundaret eloquio, sciens, dicendi peritum debere esse puritate conspicuum. His meritis ad honorũ celsa perductus, Largitiones Sacras fida protexit custodia. implens etiam doctrina, quã susceperat Magisterij dignitatem. ita in vtroꝙ laudatus, vt in singulis crederetur esse præcipuus. Accedit etiã prouecti nobilissimus pater. qui Comitiuæ Priuatarum infulas nullius acerbitate calumniæ profanauit. qui affectans famæ commoda, pecuniæ neglexit augmenta. &, quod rarum virtutis exemplum est, his egit se temporibus continentem, quibus crimen auaritia non habebat. Principis enim propositum facit, aut negligere iudices, aut amare virtutes. Tot igitur originis documenta promittens, redamus bona de nobili. quia laudabilis vena seruat originem, & fideliter posteris

posteris tradit, quæ in se gloriosa transmissione promeruit. Fauete ergo P. C. vestris dignitatibus consecrato. vt ad maiora virtutum desideria concitetis, quos nos munerum prouocamus exemplis.

SVNHIVADO . V.S . THEOD . REX

LAborum tuorum longa seruitia, & exploratæ fidei multa documenta, hoc nobis iudicium tradunt, vt qui tuos animos moderatus es, nunc alienis moribus præferaris. & præstes prouinciæ disciplinam, qui priuatus amasti continentiam. Is enim potest alios bene regere, qui se studuit sub decore tractare. Sannitarum itaqꝫ supplicatione permoti, hoc remedio credimus laborantibus subueniri, si spectabilitatem tuam iuberemus ad finienda iurgia proficisci. Vnde nunc enitere, vt tam bono iudicio laudabili respondeas instituto. aptumqꝫ te nostris prębe mandatis, qui hactenus propria sponte placuisti. Intra itaqꝫ prouinciam Sannij. Si quod negociũ Romano cum Gothis est, aut Gotho emerserit, aliquod cum Romanis, legum consideratione definies. nec permittimus indiscreto iure viuere, quos vno voto volumus vendicare. Censebis ergo in commune quæ sunt amica iustitiæ. Quia nescit personas respicere, qui meram cogitat æquitatem.

AVRIGENI . VIRO . VENERABILI . THEOD . REX

QVanuis iudicio vestro credamus omnia facinora displicere, maxime a vobis confidimus execrandum, quod matrimonij genialis impugnat affectum. Quibus enim animis a continentibus accipitur, quod etiam laicorum detestatione damnatur? Iulianus itaque nobis lachrymabili aditione conquestus est, vxorem suam vel res a vestris hominibus iniusta vsurpatione peruasas. Vnde si veram petitiõem supplicantis agnoscitis, nec se rationabiliter pulsatus absoluit, in auctorem facti sine tarditate aliqua resecate. Malum em̃ cum perseuerat augetur, et remediabile bonum est in peccatum, accelerata correctio.

THEODAHADO . V.S . THEOD . REX

INiuria quidem nostra est, læsa iustitia. quia violationes earum rerum merito ad nos trahimus, quas amamus. Vnde illud maxime inultum esse non patimur, quod in contemptũ nostrę iussionis constat admissum. Quæ enim præsumptio plectenda nõ audeat, si sacræ iussionis reuerenda contemnat? Ideoqꝫ illum, quem dudum ad viri illustris Sonæ iudicium decreuimus conuenire, qui se inuenta calliditate subtraxit, examini vestro committimus audiendum. vt finem detis iurgio, plectibili machinatione dilato. Prẽstate itaqꝫ audientiæ curam, vt iustitiæ vobis crescat opinio. Quando pro remedio causantium committuntur vobis ambigua iurgiorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

GEMELLO . V.S . THEOD. REX

TIrmum est iudicium, cuius tenetur exemplum. nec locus ambiguitati relinquitur, vbi experimenta probabilia suffraganť. Exploravimus efficaciam tuam per diuersos industriæ gradus. Sed non imparem meruisti gratiam, varijs actionibus æqualiter approbatus. Hinc est, ꝙ præsenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante subiectas, Vicarium te Præfectorũ nostra mittit auctoritas. Vnde perpende, qualia de te videamur habere iudicia, quando ad illos populos mitteris corrigendos, quos nostris laudibus specialiter credimus acquisitos. Cara est principi gloria. & necesse est de illis amplius esse solicitum, vnde sibi triumphorum venisse sentit augmentũ. Age igitur mandata, si cupis in te profi cere nostra iudicia. turbulenta non ames, auara declina. vt talem te iudicem prouincia fessa suscipiat, qualem Romanũ principem transmisisse cognoscat. Desiderat viros egregios coacta cladibus suis. Effice, vt victam fuisse delectet. Nihil tale sentiat, quale patiebatur, cum Romam quæreret. Abscedat omnis de calamitate tristitia. Serenetur tandem nubilus vultus. Nunc illam gaudere conuenit, cum ad sua vota peruenerit.

VNIVERSIS . PROVINCIALIBVS . GALLIARVM . TH. REX

IBenter parendum est Romanæ consuetudini, cui estis post longa tempora restituti. Quia gratus ibi regressus est, vbi prouectũ nostros constat habuisse Maiores. Atꝙ ideo in antiquã libertatẽ Deo prestante reuocati, vestimini moribus togatis. exuitæ barbariem. abijcite mentiũ crudelitatem. Quia sub æquitate nostri temporis non vos decet viuere moribus alienis. Proinde de necessitatibus vestris innata nobis mãsuetudine cogitantes, qđ feliciter dictum sit, spectabilem virum Gemellum, Vicarium Præfectorum, fide nobis & industria cõprobatum, ad componendam prouinciam credidimus dirigendum. Sperantes, in nullo eum posse delinquere, qui nobis peccantes grauiter intelligit displicere. Quapropter ordinationibus eius ex nostris iussionibus obedite. quia eũ credimus vobis profutura decernere. Recipite paulatim iuridicos mores. Non sit nouitas molesta, quæ proba est. Quid em̃ potest esse felicius, q̃ homines de solis legibus confidere, & casus reliquos non timere? Iura publica certissima sunt humanæ vitæ solatia, infirmorum auxilia, potentum frena. Amate, vnde & securitas venit, & cõscientia proficit. Gentilitas enim viuit ad libitũ. vbi magis reperit mortem propriam, qui potest habere quod placeat. Vos iam securi ostẽtate diuitias parentum. Bona, longo situ recondita, prodantur in lucem. Quia tantũ quis nobilior est, quantum & moribus probis, & luculenta facultate reluxerit. Ideo enim vobis Præfecturæ Vicarium direximus, vt cum tanta dignitate & ciuilem videamur regulam destinasse. Fruamini quod tantum audiebatis. Intelligite homines non tam corporea vi, cꝫ ratione præferri, & illos merito crescere, qui possunt alijs iusta præstare.

GEMELLO

GEMELLO . V.S. THEOD . REX

MErentur bona, qui nostram visi sunt elegisse clementiam. vt eos veraciter iudicasse, per augmenta propria possimus ostendere. Quod si talibus publica decet prospici largitate, quãto magis eos sua dignum est possidere, quod commune munus probatur esse iustitiæ? Spectabilis itaqꝫ Magnus, hostium conuersatione damnata, quod natus est reminiscens, ad Romanum repatriauit imperium. cuius absentiæ contigisse dicitur, vt eius potuisset perire substantia. Atqꝫ ideo presenti iussione lancimus, quatenus tam in agris, q̃ mancipijs vrbanis, aut rusticis, vel quicquid sibi competens quolibet modo nũc amissum poterit probare, sine aliqua tarditate recuperet. retinens ex nostra auctoritate dominij ius omne quod habuit. nec quæstionem eum de rebus sibi antiqua possessione cõpetentibus volumus sustinere, cui propositi nostri est etiam noua præstare.

DANIELI . THEODERICVS . REX

DEcet, vt palatio nostro seruientibus iustis cõmodis consulamus. quia fructuosus debet esse labor publicus. Vt quanuis obsequia nobis gratuita iure debeantur, seruitia tamen per moderata compendia prouocemus. Et ideo artis tuæ peritia delectati, quam in excauandis atqꝫ ornandis marmoribus diligenter exerces, præsenti auctoritate cõcedimus, vt te rationabiliter ordinante dispensentur Arcæ, quæ in Rauennati vrbe ad recondenda funera distrahuntur. quarum beneficio cadauera in supernis humata sunt, lugentium nõ parua consolatio. quoniam animæ tantum de mundi conuersatione discedunt, corpora vero dulces quondam superstites non relinquũt. Hinc quibusdam veniunt ad prætium dolores, & miserabili sorte votorum crescit mercantibus de humana morte compendium. ita tamen, vt nõ sit iniquitas, ab hac occasione taxari. Ne cogantur miseri, inter acerba luctuum, grauia plorare dispendia facultatũ. & nefanda deuotione constricti, aut vrgeantur patrimonia pro mortuis perdere, aut dilecta corpora vilissimis foueis potius dolentes abijcere. Sit modus in voluntate poscentium. quando ipsa moderatio promerẽtibus facit. Nam minus debet lædi, cui amplius pro pietatis officio videtur imponi.

GRIMODAE . SAIONI . ET . FERROCINCTO . APPARITORI . THEOD . REX

INter glorioſas Reipub. curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, reuoluimus, cordi nostro est leuamen humilium. Vt cõtra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculũ. nec liceat quicquam apud nos audacię, cuius est propositi, superba calcare. Castorij igitur flebili calamitate permoti, quẽ exitialis hactenus diuersorũ pressit inuidia, occasionem præbuit salutaribus institutis. vt plus valeret nostræ pietatis auxilium, cꝫ iniqua calliditas improborũ. Atqꝫ ideo

præsenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

prẽsenti auctoritate decernimus, vt si præfatus vir magnificus Faustus ea, quæ Castorius possidebat, vel titulis ingrauauit, vel priuata vsurpatione detinuit, mox ei prædium, cum alio eiusdem meriti, vobis imminentibus a peruasore reddatur. Vt crudelibus damnis afflicto pietatis nostræ remedio consulamus. Si quis autem in hac præsumptione medius inuenitur, vt ad ea, quæ iussa sunt, idoneus nequeat inueniri, ad nos reducite vinculis illigatum. Vt pœna possit satisfieri, cuius facinoris facultas nõ sufficit vltioni. Tali igitur confusione iam iniquę mentis impetus conquiescat. ne non tam Castorium, cꝫ nostrum votum persecutus esse videatur. Quod si posthac qualibet occasione sæpe memoratũ Castorium notus ille artifex nocere tentauerit, quinquaginta librarum auri mulcta protinus feriatur. Sitcꝫ maior cruciatibus pœna, respicere illæsum, quem videre desiderauit aflictum. En factum, quod cunctas protinus temperet ac corrigat potestates, Prætorij Præfectus bacchari non est in humilis læsione permissus. & cui a nobis assurgitur, officiendi potestas miseris abrogatur. Hinc omnes intelligant, quo amore delectamur æquitatis. vt & potentiam nostrorum iudicum velimus imminuere, quatenus bona conscientiæ possimus augere.

FAVSTO. V.I. THEOD. REX

NVmanæ consuetudinis mos est, vt variata plus sapiant. & q̃uis in vsum habeantur eximia, fastidium prẽstet omne, quod saciat. Proinde sacris mœnibus iugiter immoranti disponendæ vtilitatis proprię causa inducias tibi postulas debere concedi. non cꝫ habitatio tam clara pertædeat, sed quod dulcior fiat renouata regressio. Atcꝫ ideo illustri magnitudini tuæ secedendi ad prouinciã, quattuor mensiũ inducias pietas nostra largitur. ita vt expletis eisdem, ad penates proprios redire festines. quatenus habitatio Romæ, quã multiplici volumus densare cõuentu, subtractis incolis, terrarũ opinatissima non rarescat. Hoc etiam & vobis aptissimum iudicamus. quando Senator romanus alibi possit dolere tardatus. Vbi est illa gratia parentum, vbi tanta mẽnium possit respici pulchritudo? Piaculi genus est, absentem sibi Romam diutius facere, qui in ea possunt constitutis laribus habitare.

ARTHEMIDORO. V.I. THEOD. REX

GOngruit, Comitatum nostrum viris nos decorare nobilibus. vt & illorum expleatur votum, & obsequiũ nostrum ornent merita personarum. Proinde magnitudinẽ tuam ad conspectus nostros, quos tibi nõ ambigimus esse gratissimos, his oraculis euocamus. Vt qui longa nobiscum ætate versatus es, præsentiæ nostræ dulcedine capiaris. Festinat enim ad principem, qui vel solum potest habere propitium. Nam cui licet habere nostra colloquia, munera credit esse diuina. Quapropter non tardamus desiderium, cuius optamus aspectum. Venire te gaudentem credimus, quem alacriter sustinemus.

COLOSSEO

COLOSSEO. V.I. COMITI. THEOD. REX

IVuat, probatis ordinanda mandare. siquidem & de talibus iudicium gaudet eligentis, & eorũ secura substantia est, quæ committitur approbatis. Nam vt optamus esse, qui placeat. ita curamus, vt qui placuerit, enitescat. Proinde prosperis initiatus auspicijs ad Sirmiensem Pannoniam, quondam sedem Gothorum, prosiciscere, illustris cinguli dignitate præcinctus. commissamcꝫ tibi prouinciam armis protege, iure compone. vt antiquos defensores recipere læta possit, quæ se nostris parentibus feliciter paruisse cognoscit. Nosti qua te nobis conuersationis syncerítate commendes. Sola tibi placendi via est, si quę gerimus imiteris. Acquitati faue, innocẽtiam animi virtute defende. Vt inter nationum consuetudinem peruersam, Gothorum possis demonstrare iustitiam. qui sic semper fuerunt in laudis medio constituti, vt & Romanorum prudentiam caperent, & virtutem gentium possiderent. Remoue consuetudines abominãter inolitas. verbis ibi potius nõ armis causa tractetur. non sit conuicium negocium perdere, cum proprie abiurator alieni furtum non animam reddat. Ne plus intentio ciuilis rapiat, cꝫ bella consumant. Scuta in hostes erigant, non in parentes. Et ne quem forte ad mortem videatur prẽcipitare paupertas, redde pro talibus glorioſum plane damnum. Lecturus a nobis gratiæ vberrimum fructum, si ciuile ibi potueris planare propositum. & nostris vere iudicijs dignum, si dispendium iudex subeat, vt vitam periturus acquirat. Quapropter consuetudo nostra ferimentibus inseratur, donec truculentus animus velle viuere consuescat.

VNIVERSIS. BARBARIS. ET. ROMANIS. PER. PANNONIAM. CONSTITVTIS. THEOD. REX

INstitutum suũ prouidentia nostra non deserit, cũ subiectis semper intenta, profutura disponit. vt ad maiorem deuotionem cõcitentur, qui sui curam nos habuisse cognoscũt. Hinc est, qꝫ Colosseo viro illustri, nomine viribuscꝫ potenti, gubernatiõem vestrã, defensionemcꝫ cõmisimus. Vt quia suæ hactenus multa dedit experimenta virtutis, augeatur potius in futurum. Atcꝫ ideo patientiam vestram sæpius approbatam, nunc quocꝫ eodem præsente monstrate. Quatenus in his quæ pro regni nostri vtilitate rationabiliter agenda præceperit, deuotione probabili compleantur. Quia fidem constantia probat. & ille integritatem proprię asserit mentis, qui iugibus persistit obsequijs. Illud præterea vos credimus admonendos, vt non in vos, sed in hostem sæuire cupiatis. Res parua non vos ducat ad extrema discrimina. Acquiescite iustitiæ, qua mundus lætatur. Cur ad monomachiam recurritis, qui venalem iudicem nõ habetis? Deponite ferrum, qui nõ habetis inimicum. Pessime contra parentes erigitis brachium, pro quibus constat glorioſe moriendum.

Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid opus est homini lingua, si causam manus agat armata? aut vnde pax esse creditur, si sub ciuilitate pugnetur? Imitamini certe Gothos nostros, qui foris prælia, intus norunt exercere modestiam. Sic vos volumus viuere, quemadmodum parentes nostros, præstante domino, cernitis floruisse.

SIMEONI. V.I. COMITI. THEOD. REX

AMamus, publicis actiõibus personas inserere morum probitate conspicuas. vt per obsequia fidelium nobis crescat vtilitatis augmentum. Proinde synceritatem animi tui, per præclara documẽta noscentes, Siliquatici titulum, quem fide dominicatus iure dederamus discussionem indictionis primæ, secundæ, vel tertiæ, per prouinciam Dalmatiam, ordinatio tibi nostra committit. Vt quolibet damnum fraudis vestigio publicum te fuerit explorante repertum, proculdubio nostris ærarijs inferatur. Quia non tantum lucra quærimus, quantum mores subiectorum deprehendere festinamus. Præterea ferrarias venas prædictę Dalmatiæ cuniculo te veritatis iubemus inquirere. vbi rigorem ferri parturit terrena mollicies. & igne decoquitur, vt in duritiem trãsferatur. Hinc, auxiliante Deo, defensio patriæ venit. hinc agrorum vtilitas procuratur. & in vsus humanæ vitæ multiplici commoditate porrigitur. Auro ipsi imperat, & seruire cogit locupletes pauperibus constanter armatis. Conuenit itaq; hanc speciem diligenti indagatione rimari, per quam & nobis lucra generantur, & hostibus procurantur exitia. Esto ergo de antefata discussione solicitus, & in publicis vtilitatibus temperatus. vt nostrũ rationabile compendium crescendi tibi possit procurare augmentum.

OSVNI. V.I. COMITI. THEOD. REX

QVanuis prudentiæ tuæ sit, vtilitati publicæ deputatis ferre præsidium. tamen admonitio nostra se cumulat. vt securius fiat, vbi se reuerentia nostræ iussionis accommodat. Simeonem itaq;, virum clarissimum, cuius fides olim nobis est cognita, vel deuotio comprobata, ad ordinationem Siliquatici, nec nõ Ferrariarum, ad prouinciam Dalmatiam nostra ordinatione direximus. Cui expetita solatia nõ negetis. Vt sublimitas tua nobis commendatior fiat, cum actibus se publicis præbere festinat.

IOANNI. V.S. CONSVLARI. CAMPANIAE. THEOD. REX

PRoposítum est pietatis regiæ, locum iniustis odijs amputare. & potestatis armatæ supercilium cohibere reuerentia iussionum. Infesta est siquidem humilibus superioris offensa. cũ ad nostram laudem trahitur, si vindicta de mediocribus acquiratur. Proinde diu & varia persecutione iactatus, ad pietatis nostræ remedia haud irrite conuolasti, asserens eminentissimam præfecturam tibimet esse terrori, ne priuata

priuata in te odia sociarentur per publicam disciplinam. Sed nos, qui donatas dignitates iustitiæ parere cupimus, non dolori, contra illicitas præsumptiones nostra te tuitione vallamus. Vt regię maiestatis obiectu feruẽtium furor animorum in suis cautibus elidatur. & de se magis sumat pœnas proteruia, dum cohibetur innoxia. Tam diu enim iudex dicitur, q̃ diu & iustus putatur. quia nomen quod ab æquitate sumitur, per superbiam non tenetur. Restat nũc, vt assumptum impleas Consularitatis officium. & te vtilitatibus publicis, quas egisse tuos constiterit decessores, sedulus ac deuotus impendas. quantumq; a nobis protegeris, tantum modestiæ parere festines. Nam si gaudio perfrueris, q; a læsione tua præfectos Prætorij remotos esse cognoscis, qui sub illo esse monstraris, qui te male agentem passurum esse cognoscis?

CASSIODORO. V.I. PATRITIO. THEOD. REX

GRatus est nobis eorum semper aspectus, qui nostris animis, gloriosis actionibus, insederunt. Quoniam perpetuum obsidem dederũt amoris sui, qui apud nos probati sunt studere virtuti. Proinde magnitudinem tuam, glorioso nobis seruitio comprobatã, ad Comitatum iussis præsentibus euocamus. Vt & ornatus de te regalibus crescat obsequijs, & tu nostris cõspectibus augearis. Conuenit eĩ etiam te requiri, qui nostra fecisti eximie tempora prædicari. Ornasti conscientię integritate palatia. dedisti populis altã quietem. Hinc oĩibus factus notior, quia multi te positum in potestate nesciunt, præsentati autem tribunalibus iudicem sine aliquo damni terrore viderunt. preciosior factus cũctis, quia nullo prætio vendebaris. Quis talem non desideret videre, cui nos publice constat gratiam contulisse? Nam qui alterum reprimere conati sumus, te etiam, Palatio teste, laudauimus. Tende gradus, accelera festinus aduentũ. Alacrem venire conuenit, qui se a principe sustineri posse cognoscit.

ARGOLICO V.I. PRAEFECTO. VRBIS. THEOD. REX

QVis nesciat, nostrum esse cõmodum, supplicantis adquæstum? & illud bonis principibus crescere, quod benigna possunt largitate prestare? Hoc sunt enim regia dona, quod semina. sparsa, in segetem coalescunt. in vnum coacta, depereunt. Optamus ergo, munera multis collata diuidere. vt possint vbique nostra beneficia pullulare. Atque ideo illustris & magnifici viri Patritij Paulini, ac eorum supplicatione susceptа, quæ habentur in subditis horrea longi temporis vetustate destructa (quibus illud atq; illud vocabulum prefixit Antiquitas) si nunc vsui publico minime necessaria esse monstrantur, nec aliqua ibidem est species, quæ ad fiscum pertinet congregata, præfato viro cum omnibus ad se pertinentibus, absoluta liberalitate cõcedimus. Vt ædificandi, & ad posteros transmittendi assumpta licentia, suis vtilitatibus profutura disponat. Quia confert magnum Reipub. munus, quisquis diruta voluerit suscipere

 reparanda,

Universidad de Deusto
Biblioteca

reparanda,in ea præsertim vrbe,vbi cuncta dignum est constructa reluce-
re. ne inter tot decora mœnium deformis appareat ruina saxorum. In alijs
quippe ciuitatibus minus nitentia sustinentur. In eavero, nec mediocre ali-
quid patimur,quæ Mundi principaliter ore laudatur.

ARGOLICO . V.I . PRAEFECTO . VRBIS . THEOD . REX

ROmanæ ciuitatis cura nostris sensibus semper inuigilat. Quid
est enim dignius,quod tractare debeamus, ꝙ eius reparationem
erigere,quę ornatū constat nostræ Reipub. continere? Proinde
illustris sublimitas tua spectabilem virum Ioannem nos direxisse
cognoscat,propter splendidas romanæ ciuitatis cloacas. Quæ tantū visen-
tibus conferūt stuporem, vt aliarum ciuitatum possint miracula superare.
Videas illic fluuios,quasi montibus concauis clausos,per ingentia signa de-
currere. Videas structis nauibus per aquas rapidas non minima solicitudi-
ne nauigari, ne præcipitato torrenti marina possint naufragia sustinere.
Hinc Roma singularis,quanta in te sit potest collígi magnitudo. Quę enim
vrbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt
similitudinem reperire? Et ideo supradicto Ioanni officij nostri solatia vos
præbere censemus. Quoniam ordinationes nostras publicas volumus im-
plere personas,priuatas manus amouentes,quæ audacius mergunt illicitis.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

QVanuis vniuersæ Reipub. nostræ infatigabilem curam deside-
remus impendere, & Deo fauente,ad statum pristinum studea-
mus cuncta reuocare. tamen Romanæ ciuitatis solicitiora nos
augmenta constringunt. Vbi quicquid decoris impenditur,ge-
neralibus gaudijs exhibetur. Peruenit itaq; ad nostram conscientiam, sug-
gestione multorum, quæ parua non potest dissimulare commissa, plura in
præiudicio vrbis Romanæ detestabiles prę sumptores assumere. vt cui nos
summum desideramus adhibere studium,dolum patiatur iniustum. Qua-
propter ordinationes nostras ad vestram facimus notitiam peruenire, qui-
bus amplius credimus ciuitatis nostrę dispendia displicere. Dicitur ergo,cō-
modi cura priuati, aquam formarum, quam summo decet studio cornmu-
niri,ad aquæ molas exercendas,vel hortos irrigandos fuisse deriuatā. Tur-
pe hoc & miserabile in illa vrbe fieri,quod per agros vix deceret assumi. Et
quia non possumus admissi qualitatem vltra iura corrigere (ne dum fabri-
cis prodesse volumus,legum culmina destruamus) si huius nefandissimæ
rei dominis Tricennij prę sumptione munitur,accepto prætio competenti
suum vendat errorē. Vt quod læsionem publicis prę stat fabricis,non prę-
sumatur vlterius. Ne quod nūc sub largitate corrigimus,postea seueriſſime
vindicemus. Si vero tale aliquid moderna præsumptione tentatum est, si-
ne dubitatione tollatur. Vnius enim desiderio prauo generalis debet vtili-
tas anteferri. cui vel in causis iustis raro poterit obuiari. Mancipia vero, for
marum seruitio principum prouisione deputata,in priuatorū cognouimus
transisse

transisse dominium. Aes præterea,non minimum pondus,& quod facilli-
mum direptioni est mollissimum plumbum, de ornatu mœnium referun-
tur esse sublata,quæ auctores suos sæculis consecrarunt. Aes enim,Ionos
Thessaliæ rex,plumbum Midas regnator Phrygiæ,repererunt. Et ꝙ mi-
serum est,vt vnde famam prouidentiæ alij susceperunt,nos opinionem ne-
gligentiæ incurrisse videamur? Templa etiam & loca publica,quę petenti-
bus multis ad reparationem contulimus, subuersioni potius fuisse manci-
pata. Et quoniam malarum rerum emendatio nos delectat, ne concessa vi-
deatur ex taciturnitate licentia, Ioannem virum spectabilem electum no-
stra iustitia ad hęc,quæ supra memorauimus,direximus inquirēda. vt cun-
cta suo ordine discussa,nobis relationis obsequio lucidēt. Quatenus quid
de singulis rebus,aut de præsumptoribus earū fieri oporteat, more iustiæ
censeamus. Adhibete nūc studia,præstate solatia. Vt inquisitionem,quam
debueratis petere,grata videamini mente complere.

GEMELLO . V.S . THEOD . REX

COnstat apud nos fidelium non perire seruitia,sed in tristibus im-
pensa recipere, in meliore fortuna. Arelatensibus itaq;, qui no-
stris partibus perdurantes gloriosæ obsidionis penuriam pertu-
lerunt, per indictionem quartam fiscalia tributa nostra relaxat
humanitas. ita,vt futuro tempore ad solitam redeāt functionē. Quatenus
& nos benemeritis vicissitudinem reddidisse videamur, & ab illis, cum res
poposcerit,solita deuotio non negetur. Satientur in libertate,qui pro nobis
in angustijs esurire maluerunt. Sint læti,qui tristitiam fideliter pertulerunt.
Non decet statim de tributis esse solicitum, qui casum vix potuit declinare
postremum. A quietis ista,non obsessis inquirimus. Quid enim a domino
agri exigas,quem eum nō coluisse cognoscas? Pretiosum vectigal iam no-
bis dederunt suæ fidei. Iniustum est,vt viles pecunias exigamus ab illis,qui
glorioſas conscientias obtulerunt.

ARGOLICO . V.I . PRAEF . VRB . THEOD . REX

GRatum nobis est, vota vestra circa Sacri Ordinis augmēta pro-
ficere. Lætamur,tales viros eligere,qui Senatoria mereantur lu-
ce radiare. vt laude conspicuis deferatur gratia dignitatis. Curia
nanq; disciplinis Veterū patet. nec ei iudicari potest extraneus,
qui bonarum artium est alumnus. Atq; ideo illustris magnificentia tua in
clarissimo Armentario, atq; Superbo eius filio ea faciat exhiberi, quæ circa
referendos Curiæ,cana dictat Antiquitas. Hic est enim præfatus Armen-
tarius,qui & parentum bono,& suo nobis commendatur ingenio. exigens
meritis,quam sperat precibus dignitatem. Nam quid dignius, si & Sena-
torio vestiatur honore togata professio? Vt in illa turba doctorum,audeat
turba liberam proferre sententiam. nec frenetur imperitiæ terrore, quem
hortantur ad vocem iura facundiæ. Glorioſa est denique scientia literarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia,quod primum est in homine,mores purgat.quod secundũ,verborum gratiam subministrat.ita vtroq; beneficio mirabiliter ornat et tacitos & loquentes. Ducantur ergo ad penetralia libertatis laudati merito suo, ornati iudicio nostro. habituri sine dubio gratissimum senatũ. quorum ars est,facere de irato benevolum,de suspecto placatum,de austero mitem,de aduersante propitium. Quid ergo patribus imponere non possit,qui flectere animum iudicantis evaluit?

MASSILIENSIBVS . THEOD . REX

PRoposiți nostri est,probatas fortitudine & moderatione personas ad ordinationem vestram defensionemq; dirigere. vt & provincialium ratio subleuetur,& vtilitas publica bonis præsidentibus augeatur. Proinde Comitem Maradũ,nobis æquitate compertum, ad Massilienſem ciuitatem credidimus dirigendum. vt quicquid ad securitatem vestram vel vtilitatem pertinet, Deo iuuante, perficiat. memorq; gratiæ nostræ curam possit habere iustitæ. minoribus solatium ferat. insolentibus securitatem suæ districtionis obiiciat. nullum denicq; opprimi iniqua præsumptione patiatur, sed omnes cogat ad iustum,vnde nostrum semper floret imperium. Quapropter designato viro in his,quę vobis pro publica vtilitate præceperit,libentibus animis obedite, vt fides vestra,quæ iam prioribus monstratur exemplis,subsequentibus quoq; declaretur indicijs. Quia gratius est obsequium, quod deuotiõe perpeti custodiatur. Nos autem reddere cogitamus locum vicissitudini, qui impensa seruitia non possumus obliuisci.

ROMVLO . THEOD . REX

IBeralitatem nostram,firmam decet tenere constantiam. quia in concussum debet esse principis votum. nec pro studio malignorum conuelli, quod nostra noscitur præceptione firmari. Atque ideo præsenti iussione cẽsemus,vt quicquid ex nostra ordinatione patritium Liberium tibi matriq; tuæ per Pictatiũ constiterit deputasse, in suo robore debeat permanere. Nec a quoq; metuas irrationabilem quęstionem, qui nostri beneficij possides firmitatem.

ARIGERNO . V.I. COMITI . THEOD . REX

PIetatis nostræ propositũ est,miserandis fletibus audientiam non negare.maxime cum moris nostri sit,ad leges cuncta remittere.vt & conquerens mereatur effectum, & pulsatus nullum se queratur sustinuisse prẹiudicium. Proinde Firmius cõtra magnificum virum patritium Venantium se dicit habere negocium,& frequenter ab eo eius propositiones fuisse contemptas. Et quia in causis semper est suspecta potentia,dum velle creditur quod posse iudicatur,antefatum seruata reuerentia a te præcipimus admoneri, vt sub sponsione legitima instructã personam ad Comitatũ nostrũ dirigere se permittat,qui apud delegatos motus vestro

vestro iudicio eius intentionibus valeat præbere responsum. Auctor hic pœnam suæ recepturus audaciæ,si contra magnificum virum habuerit falsitatis euentum.

PETRO . EPISCOPO. . THEOD . REX

SIin alienis causis beatitudinem vestram cõuenit adhiberi,vt per vos iurgantium strepitus conquiescat, quanto magis ad vos remitti debet, quod vos spectat auctores? Atq; ideo sanctitas vestra a Germano nos aditos flebili allegatiõe cognoscat. qui se filium legitimũ asserit quondã Thomatis.dicens partem facultatis patris sui a vobis detineri,sibimet legibus cõpetentem. Quæ petitio, si veritate fulciatur,et genitoris eius substantiã probat sibi iure competere,supplicanti, considerata iustitia,quam monetis,sine obseruatiõis longę dispendio,debita tribuantur. Quoniam causarum vestrarũ qualitas vobis debet iudicibus terminari,a quo est spectãda magis cẽ imponenda iustitia. Qđ si hanc causam sub æquitate vestrum minime definit arbitrium, noueritis supplicis querelam ad nostram audientiam perducendam. Vos enim docetis,voces pauperum non debere negligi,quas potest iustitia comitari.

VVANDIL . THEODERICVS . REX

QVanuis pietatis nostræ constet esse votum, vt vbiq; ciuilia,vbique moderata peragantur. maxime tamen bene geri optamus in regionibus Gallicanis.vbi & recens vastatio non portat iniuriã, & ipsa initia bene plantare debent nostri nominis famam. Principis siquidem opinionem longe lateq; disseminat subiectorũ custodita securitas. & vbi exercitus dirigitur, non grauandi,sed defendendi causa potius æstimetur. Atq; ideo præsenti auctoritate delegamus,vt in Auinione, quam resides,nullam fieri violentiam patiaris. Viuat noster exercitus ciuiliter cũ Romanis. Prosit eis destinata defensio. Nec aliquid illos a nostris sinatis pati,quos ab hostili nitimur oppressione liberari.

FELICI . V.I . COMITI . THEOD . REX

AEquitatis ratio persuadet,vt exercentibus lætitiam publicã consuetudinem seruemus antiquã,præsertim a consule venientem. cuius cõstat esse propositi,vt debeat ex liberalitate laudari.ne videatur aliud dignitas promittere,& aliud Senatorem velle co mplere. Quocirca sub opinione munifici, parcum non decet inueniri.quia inumbrat famam publicam in Consule tenacitatis obscuritas. Quapropter illustris magnitudo tua a Mediolanensibus aurigis nos aditos esse cognoscat,illa sibi vestris temporibus fuisse subtracta,quę mos priscus indulserat, cum præstante tempore munificentia sit pro lege. Proinde si nullo mendacio asserta vitiantur,sublimitatem vestram sequi conuenit vetustatem,quæ suo quodã priuilegio, velut debita,quæ donantur exposcit. Nec licet negari, quod te cognoscis sub antiquitate largiri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VNIVERSIS . PROVINCIALIBVS . IN . GALLIA . CONSTITVTIS . THEOD . REX

QVanuis sensum nostræ pietatis turba multiplex cogitationis intraret, & diuersas regni partes consueta sedulitate respiceret, festine tamen remedia vestræ vtilitatis inspeximus. Quoniam apud conscientiam nostram læsionis genus est, profutura tardare. Nec possumus æstimare iucundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum. Nam excrescentibus morbis læsio debacchari permittitur, cum medicina differtur. Vobis itaq; hostili ferocitate vastatis pro qualitate lęsionis per indictionem quartam relaxatam agnoscite tributariam functionem (quia non gratulamur exigere, quod tristis noscitur solutor offerre) ita tamen, vt de illis, quæ constat intacta, exercituales iuuentur expensæ. Quia illos in totum deuotio non debet deserere, quos pro se laborare cognoscit. Inualidus est siquidem ieiunus defensor, nec animus ministrat audaciam, cum virtus corporis fuerit destituta.

GEMELLO . V.S . THEOD . REX

TOlerabile sit omne, quod æquabili ordinatione disponitur. Quia diuisum onus sub cōmunione, subiectos certum est nō grauare. Pars enim extrema ad vnumquenq; redit, cum summa vniuersos incluserit. Tritici itaq; speciem, quam ob exercituales expensas, nostra prouidentia de Italia destinauit, ne fatigata prouincia huiusmodi præbitione lęderetur, ad castella supra Druentiam constituta de Massilien sibus horreis constat esse portandam. Quapropter iubemus, vt studiū deuehendi supradictę speciei communiter subeatur. Quatenus celeriter possit fieri, quod vniuersitatis studio videtur assumi.

VNIVERSIS . PROVINCIALIBVS . IN . GALLIA . CONSTITVTIS . THEOD . REX

NOn occurritur sub principe benigno, remedia postulare subiectos. Quoniam supplicationē præcedit humanitas. & miro modo posteriora fiunt vota, cū præstita. Nuper siquidem, moti iustitia, iusseramus vt pars aliqua illæsa prouinciæ Gothis nostris alimonia reperta pręstaret. Sed quia licet principem semper humaniora censere (dum varietatis non habet vitium, quod pro beneficio fuerit immutatum) & vt nec nimia possessores illatione grauētur, ex Italia destinauimus exercituales expensas. vt ad defensionem vestram directus exercitus nostris humanitatibus aleretur, solumq; auxiliū prouinciæ de tam magna congregatione sentirent. Ducibus etiam ac Præpositis sufficientem transmisimus pecuniæ quantitatem. Vt eorum præbendæ, quæ non potuerunt conuehi, ibi debuissent sine alicuius dispendio cōparari. Quia delectui nostro nec illa voluimus imponere, quæ vos potuistis (vt arbitramur) offerre.

VNIGIS

VNIGIS . SPATARIO . THEOD . REX

DElectamur iure Romano viuere, quos armis cupimus vendicare. nec minor nobis cura est rerum moralium, cū possit esse bellorum. Quid enim proficit, Barbaros remouisse cōfusos, nisi viuatur ex legibus? Quapropter cū, Deo propitio, Gallias exercitus noster intrauerit, si qua mancipia seruitiū declinantia, ad alios se, cū quibus videbant cōpetere, contulerunt, prioribus dominis iubemus sine aliqua dubietate restitui. Quia confundi non decent iura, imperante iustitia. Nec potest abiecto fauere seruitio libertatis defensor. Aliorū forte Regum prælia captarum ciuitatum aut prædas appetunt, aut ruinas. Nobis propositum est, Deo iuuante, sic vincere, vt subiecti se doleant, nostrum dominium tardius acquisisse.

VNIVERSIS . POSSESSORIBVS . ARELATENSIB . THEOD . REX

QVanuis primum sit, læsos incolas refouere, & in hominibus magis signum pietatis ostendere. tamen vtrunq; humanitas nostra coniungit. Vt & largitatis remedio ciuibus consulamus, & ad cultum reducere antiqua menia festinemus. Sic enim fiet, vt fortuna Vrbis, quæ in ciuibus erigitur, fabricarum quoq; decore monstretur. Pro reparatione itaq; murorum Arelatensium, vel turriū vetustarum, certam pecuniæ direximus quantitatem. Victualia quoq;, quæ vestras releuare videantur expensas, fecimus præparari. vt vobis destinentur, cum tempus nauigationis arriserit. Releuate nunc animos, & de nostra prouisione recreati, futuræ copię spem tenentes, diuino fauore, habetote fiduciā. Quia non minus est, quod nostris verbis, cū quod horreis continetur.

ARIGERNO . V.I . COMITI . THEOD . REX

IVstitiæ nostræ cōuenit, vt de indultis beneficijs calumnias fieri non sinamus. & quicquid praua interpretatione tegitur, fugata mendacij nube reuelemus. Defensores itaq; sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ conquesti sunt, beatæ recordationis quondam Simplicium domum in sacratissima Vrbe positam ab Eufrasio accolito instrumentis factis solenniter comparasse. Quam per annorū longa curricula Ecclesiam Romanam quieto iure suggerūt possedisse, & in vsus alienos transtulisse securitate dominij. Nunc autem existere Samareæ superstitionis populum improba fronte duratum. Qui Synagogam ibidem fuisse, iniquis conatibus mentiatur, cū ad humanos vsus habitacula longe aliter formata doceantur, cū possit esse memorata constructio. Quapropter magnitudo tua, conscientiæ suæ probata iustitia, causam diligenti examinatione discutiat. Et si vera cognouerit, quæ veniunt in querelam, considerata æquitate definiat. Nam si humanis actibus sunt calumniæ summouendæ, quanto magis credimus emendanda, quę contumeliam diuinitatis tangere iudicamus?

Universidad de Deusto
Biblioteca

ADEODATO . THEODERICVS . REX

MAteria est gloriæ principalis, delinquentis reatus. quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietatis nō haberet. Quid enim salubris ordinatio gerat, si morum probitas cuncta componat? Arida siccitas madentis pluuiæ beneficium exoptat. Salutiferis medentium manibus nisi infirma valetudo non indiget. Sic dum imbecillitati succumbitur, conuenienter remedia tribuuntur. Quapropter casibus asperis præstandum est sub iustitiæ laude moderamen. vt nec vindictam sinamus superare peccata, nec culpam insultare patiamur legibus impunitam. Datis itaq; precibus allegasti, viri spectabilis Venantij, Lucaniæ & Brutiorum præsulis, odiorum te acerbitate compressum, custodiæ longo situ laborantem, in confessionem raptus adultæ puellæ Valerianæ fuisse compulsum. vt gratius fuerit, spem citæ mortis expetere. q̄; tormentorū crudelia sustinere. Inter supremas enim anhelantis angustias, votum est potius perire, q̄; viuere. Quia detestabilis sensus pœnarum excludit dulcissimę salutis affectum. Illud etiam, quod minime iustitia pateretur, adijciens, defensorum tibi patrocinia sæpius postulanti fuisse subtracta. cum aduersarij florentes ingenio etiam innocentē te possent legum laqueis obligare. Quæ supplicatio cum efficaciter animum nostræ pietatis intraret, paulatimq; ad misericordiæ iura deflecteret, occurrit Brutiorum præsulis missa relatio, quæ priuatam allegationem tragœdiæ suę voce compressit. negando credi contra fidem publicam fallaciter supplicanti. Ideoq; asperitatem pœnæ nostra lenitate mollimus. Statuentes, vt ex die prolati oraculi, sex mensium patiaris exilium. Ita vt nulli post constituta nostra sub qualibet interpretatione tibi liceat obijcere crimen infamię. Quando fas est principi, maculosas notas vitiatę opinionis abstergere. Sed hoc exacto tempore patriæ rebusq; omnibus reformatus, ius tibi sit liberum omne quod primitus. Quia nulla te ingemiscere probri adustione censemus, quem temporali volumus exilio detineri. Pœnam trium librarum auri nihilominus cōminantes, si quis aut obuiando, aut aliter intelligendo, præsens nostrum violare tentauerit constitutum. Sed quoniam hæc statuta ad innocentes nolumus vsq; protendi, ne sua cuiq; minime videatur ignorantia profuisse, præsenti auctoritate eos a formidine liberamus, quos vtpote nescientes, in eadem causa quolibet loco vel tempore interfuisse cōstiterit. Similis enim videtur absentis, qui conscientiam criminosi non habet.

FAVSTO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

IN partem pietatis recidit mitigata districtio. et sub beneficio punit, qui pœnam debitam moderatione considerata palpauerit. Iouinum Curialem, quē Corrector Lucaniæ Brutiorumq; humani nobis suggerit sanguinis effusione pollutum, ob hoc q; mutuæ contentionis ardoribus excitatus, rixam verborum vsq; ad nefarium collegæ

collegæ deduxit interitū, sed conscius facti sui intra Ecclesię septa refugiens, declinare se credidit prę scriptam legibus vltionem, Vulcaniæ insulę perpetua relegatione damnamus. Vt & sancto templo reuerentiam habuisse videamur, nec vindictam criminosus euadat in totum, qui innocenti non credidit esse parcēdum. Careat proinde patrio foco, cum exitiabili victurus incendio. vbi viscera terræ non deficiunt, cum tot sæculis iugiter consumantur. Flamma siquidem ista terrena, quæ alicuius corporis imminutione nutritur, si non absumit, extinguitur. ardet continue inter vndas medias montis quantitas indefecta. Nec imminuit, quod resolui posse sentitur. scilicet quia naturæ inextricabilis potentia tantū crementi cautibus reponit, quantum illi vorax ignis ademerit. Nam quemadmodum saxa incolumia permanerent, si semper ignis adunata decoqueret? Potentia siquidem diuina sic de contrarijs rebus miraculum facit esse perpetuum, vt palam consumpta occultissimis instauret augmentis, quæ vult temporibus stare diuturnis. Verum cum & alij montes motibus vaporatis exestuent, nullus simili appellatione censetur æstimandus. quia grauius succenditur, qui Vulcani nomine nuncupatur. Mittatur ergo reus capitis in locum prædictum viuus. Careat quo vtimur mundo, de quo alterum crudeli fugauit exitio. quando superstes recipit, quod euentu mortis inflixit. Salamandrę secuturus exemplum, quę plerunq; degit in ignibus. Tanto enim naturali frigore constringitur, vt flammis ardentibus temperetur. Subtile ac paruum animal, lubricis lumbricis associum, flauo colore vestitum. Vitam præstat soli, qui mortalia cuncta consumit. Memorant autem æui pristini seruatores, hanc insulam ante aliquot annos, vndarum rupto terrore, primitus erupisse, cū Hannibal apud Prusiam Bithyniæ Regem veneno secū ipse pugnauit, ne tantus dux ad Romanorū ludibria perueniret. plus inde mirabile, vt mons tanta flammarū congregatione succensus, marinis fluctibus haberetur abscondi tus. & ardor ibi indesinenter viueret, quem tanta vnda videbatur obruere.

VNIVERSIS . GOTHIS . ET . ROMANIS . CIRCA . VERVCAM CASTELLVM . CONSISTENTIBVS . THEOD . REX

LAetitia debet esse cunctorum prouida iussio dominantiū. quando illud, quod vos debuistis expetere, nos videtis offerre. Quid est enim gratius, q̄; humanis rebus cautelam semper adhibere? quæ aut sit necessaria, aut non, grauat esse superfluam. Et ideo Leodifrido Saioni nostro, præsenti delegauimus iussione, vt eius instantia in Veruca castello nobis domicilia construatis. Quod a positione sui congruum nomen accepit. Est enim in medijs campis tumulus saxeus in rotunditate consurgens, qui proceris lateribus syluis erasus, totus mons quasi vna turris efficitur. cuius ima graciliora sunt, q̄; cacumina. & in mollissimi fungi modo superius extenditur, cum inferiori parte tenuetur. Agger sine pugna, obsessio secura. vbi nec aduersarius quicquam præsumat, nec incluſus aliquid expauescat. Hunc Athesis, inter fluuios honorus, amœni

gurgitis

Universidad de Deusto
Biblioteca

gurgitis puritate præterfluit, causam præstans muniminis & decoris. Cástrum pene in Mundo singulare, tenens claustra prouinciæ. quod ideo probatur magis esse præcipuum, quia feris gentibus constat obiectum. Hoc opinabile munimen, mirabilem securitatem, cui desiderium non sit habitare, quam vel externos delectat inuisere? Et quanquam, Deo iuuante, nostris temporibus prouinciam securã credamus, tamen prudentiæ nihilominus est cauere, etiã quæ nõ putantur emergere. Munitio tractanda est semper in ocio. Quia tunc male quæritur, quando necessaria iudicatur. Mergi, quibus nomen est ex facto, cohabitatores piscium, aquatiles volucres, futuras tempestates naturaliter præuidentes, sicca petunt, stagna derelinquunt. Delphini, fluctus pelagi metuentes, vadosis litoribus immorantur. Echini, qui sunt mella carnalia, costatilis teneritudo, croceæ delitiæ diuitis maris, dum futuras tempestates agnouerint, loca mutare cupientes (quia illis pro leuitate corporis nandi nulla fiducia est) lapillos quibus pares possint esse complexi, quadam ancorarum ponderatione librati, scopulos petunt, quos fluctibus vexandos esse non credant. Aues ipsæ, aduentu hyemis, patrias mutant. Feræ pro qualitate temporis cubilia quærunt. Hominũ solicitudo non debet prouidere, qđ potest in aduersitate requirere? Non est in mundo, vnde humanę res mutabilitate quatiuntur. & ideo prouidentia dicitur, vt quæ sunt futura tractentur.

HONORATIS. POSSESSORIBVS. DEFENSORIBVS. ET. CVRIALIBVS. CATANENSIS. CIVITATIS. THEOD. REX

OPtabilis nobis est & grata deuotio, quæ bonã præcesserit iussionem. & merito acceptum redditur, si id quod possumus imperare, poscatur. Felicitas em̃ regnantis est, famulantes amare qđ expedit. Quando nobis labor cogitatiõis aufertur, dum subditi sibi profutura disponunt. Atq; ideo suggestionis vestræ tenore comperto, quã caritate ciuica in cõmuniendis mœnibus suscepistis, absolutam huius rei vobis censemus esse licentiam. nec quicquam de hac re vereamini, vnde gratiæ nostræ expectare præmia mox debetis. Vestra em̃ munitio nostra est nihilominus fortitudo. & quicquid vos ab incerto eripitis, famam nostrę defensiõis extendit. Saxa ergo, quę suggeritis de Amphitheatro longa vetustate collapsa, nec aliquid ornatui publico iam prodesse, nisi solas turpes ruinas ostendere, licentiam vobis eorum in vsus duntaxat publicos damus. Vt in murorum faciem surgat, quod non potest prodesse, si iaceat. Quocirca perficite confidenter, quicquid cautio ad munimen, quicquid ornatus expetit ad decorem. tantum nobis scituri gratum fore, quod facitis, quantum exinde gratia se vestræ ciuitatis extulerit.

PROVINCIALIBVS

PROVINCIALIBVS. NORICIS. THEOD. REX

GRate suscipienda est ordinatio, quæ dantem iuuat, & accipientem pro temporis necessitate lætificat. Nam quis putare possit onus, vbi maius meretur in commutatione compendium? Et ideo presentibus decreuimus institutis, vt Alamãnorum boues, qui videntur pretiosiores propter corporis granditatem, sed itineris longinquitate defecti sunt, cõmutari vobiscum liceat minores quidem membris, sed idoneos ad labores. Vt & illorũ profectio sanioribus animalibus adiuuetur, & vestri agri armentis grandioribus instruantur. Ita fit, vt illi acquirant viribus robustos, nos forma conspicuos. & quod raro solet emergere, in vna mercatione vtriq; videamini desiderata compendia percepisse.

FAVSTO. PRAEPOSITO. THEOD. REX

QVantum histrionibus rara constantia, honestumq; votum, tanto pretiosior est, cum in eis probabilis monstratur effectus. Carum est enim homini reperisse, vbi aliquid se laudabile non putauerat inuenire. Dudum siquidem Thomati aurigæ, ex Orientis partibus aduenienti, annonas rationabiles consideratio nostra largita est, donec eius artem probaremus & animum. Sed quoniam in hoc agone primatum noscitur obtinere, eiusq; voluntas, patria derelicta, nostri sedes fouere delegit imperij, menstrua eum duximus largitate solidandũ. Ne adhuc ambiguum redderemus, quem Italiæ dominatum elegisse cognouimus. Is enim frequenter victor per diuersorum ora volitauit. plus vectus fauore, q̃ curribus. Suscepit partem populi protinus inclinatam. & quos ipse fecerat tristes, laborauit iterum reddere lætiores. modo agitatores arte superans, modo equorum velocitate transcendens. frequentia palmarum eum dici faciebat maleficum, inter quos magnum præconium videtur esse ad talia crimina peruenire. Necesse est enim ad peruersitatem magicam referri, quando victoria equorum meritis nec potest applicari. Spectaculum expellens grauissimos mores, inuitans leuissimas contentiones, euacuatio honestatis, fons irriguus iurgiorum, quod vetustas quidem habuit sacrum, sed contentiosa posteritas fecit esse lubricum. Primus enim hoc apud Helidem Asiæ ciuitatem Aenomaus fertur edidisse. quod postea Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis ædificijs ruraliter ostentauit Italiæ. Sed Mundi dominus ad potentiam suam opus extollens, mirandam etiam Romanis fabricam in vallem Martiam tetendit Augustus. vt immensa moles firmiter præcincta montibus contineret, vbi magnarum rerum indicia clauderentur. Bissena quippe hostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur. docentes totum illic, vt putabatur consilio geri, vbi magis capitis cognoscitur operari. Colores autem in uicem temporum quadrifaria diuisione funduntur.

Prasinus

Universidad de Deusto
Biblioteca

prasinus virenti verno, venetus nubilæ hyemi, roseus æstati flammeæ, albus pruinoso autumno dicatus est. Vt quasi per duodecim signa digrediẽs annus integer signaretur. Sic factum, vt Naturæ ministeria Spectaculorũ composita imaginatione luderentur. Biga quasi Lunæ, Quadriga Solis imitatione reperta est. Equi desultatorij, per quos Circensium ministri missos denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur. Sic accidit, vt dum se colere astra putarent, religionem suam ludicra similitudine profanarent. Alba linea non longe ab hostijs in vtrunq; podium, quasi regula directa, producit. vt quadrigis progredientibus, inde certamen oriretur. ne dum semper propere conantur elidere, spectandi voluptatem viderentur populis abrogare. Septem metis certamen omne peragitur, in similitudinem hebdomadis reciprocæ. Ipsæ vero metæ secundum zodiacos decanos ternas obtinent summitates. quas ad instar Solis quadrigæ celeres peruagantur. Rotæ Orientis & Occidentis terminos designant. Euripus maris vitrei reddit imaginem, vnde illuc delphini equorei aquas interfluũt. Obeliscorum quoq; prolixitates ad Cœli altitudinem subleuantur. sed potior Soli, inferior Lunæ dicatus est. Vbi sacra Priscorum chaldaicis signis, quasi literis, indicantur. Spina infelicium captiuorum sortem designat. vbi duces Romanorum supra dorsa hostium ambulantes laborum suorũ gaudia perceperunt. Mappa vero, quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem. cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, vt assolet, auidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus vtebatur, iussit abijci per fenestram. vt libertatem daret certaminis postulati. Hinc tractum est, vt ostensa mappa certa videatur esse promissio Circensium futurorum. Circus, a circuitu dicitur. Circenses, quasi circuenses. propterea q; apud Antiquitatem rudem, quæ nec dum Spectacula in ornatum deduxerat fabricarum, inter enses & flumina locis virentibus agerẽtur. Nec vacat, q; viginti quatuor mensibus conditio huius certaminis expeditur. vt diei noctisq; horæ tali numero clauderentur. Nec illud putetur irritum, q; metarum circuitus ouorum erectionibus exprimatur. quando actus ipse, multis superstitionibus grauibus, oui exemplo, geniturum se aliqua profitetur. Et ideo datur intelligi, volitantes atq; inconstantissimos inde mores nasci, quos auium matribus aptauerunt. Cætera Circi Romani longum est sermone decurrere. dum omnia videantur ad causas singulas pertinere. Hoc tãtum dicimus omnimodis stupendum, q; illic, supra cætera Spectacula, feruor animorum inconsulta grauitate rapiatur. Transit prasinus, pars populi mæret. præcedit venetus, & potior turba ciuitatis affligitur. nihil proficientes, feruẽter insultant. nihil patientes, grauiter vulnerantur. & ad inanes contentiones sic descenditur, tanq; de statu periclitantis patriæ laboretur. Quod merito creditur dicatum numerosæ Superstitioni, vbi ab honestis moribus sic constat excidi. Hæc nos fouemus necessitate populorum imminentium. quibus votum est ad talia conuenire, dum cogitationes serias delectantur abijcere. Paucos enim ratio capit,

capit, & raros probabilis oblectat intentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarum remissionem constat inuentum. Nam quicquid æstimat voluptuosum, hoc & ad beatitudinem temporum iudicat applicandum. Quapropter largiamur expensas. nõ semper ex iudicio demus. Expedit interdum desipere, vt populi possimus desiderata gaudia continere.

CONSVLARI. VIRO. ILLVSTRI. THEOD. REX

Sicut inuidiosa nimis interpellantium suggestione comperimus, inter Leontium atq; Pascasiũ spectabiles viros, finalis orta contentio est. Ita vt terminos casarum suarum non legibus, sed viribus crederent vindicandos. Vnde miramur tanta animositate fuisse litigatum, quod aut terminis testibus, aut iugis montium, aut fluminum ripis, aut arcaturis constructis, alijsque signis euidentibus constat esse definitum. Quid isti facerent, si in ægyptiacis partibus possiderent? vbi Nili fluminis superueniente diluuio, indicia finium vastissimus gurges abradit, & indiscreta terræ facies redditur, vbi omnia limus tegere comprobatur. Quapropter nec tunc ad arma concurrere debuissent, si excitata lis nulla satisfactione superata discederet. Hoc enim per geometricas formas, & grammaticam disciplinam, ita diligenter agnoscitur, quemadmodum literis omnis sermo conclusus est. Geometriam quippe, vt est hominum genus nimis acutissimum atq; solicitum, Chaldei primum inuenisse memorantur. Qui ratione ipsius disciplinæ generaliter colligentes, & in astronomicis rebus, & in musicis, & in mechanicis, & in architecticis, & in medicinam, & ad artem Logisticam, vel quicquid potest formis generalibus contineri, aptam esse docuerunt. Vt sine ea nihil horum possit ad agnitionem verissimam prouenire. Hanc post Aegyptij, non dissimiliter animi feruore calentes, propter augmenta nilotica, quæ singulis annis votiua inundatione patiuntur, ad dimensionem terræ & recuperandas formas finium transtulerunt. vt fieret arte distinctum, quod litigiosæ confusioni videbatur obnoxium. Quapropter agrimensorem peritissimum, cui ab arte nomen est, vestra nihilominus adhibeat magnitudo. vt iã omnia, quę manifesta ratione distincta sunt, per euidentia debeat documẽta mõstrare. Nam si hoc egit illa disciplina mirabilis, vt indeterminatos agros ratione certa distingueret, quanto magis iste monstrare debet omnia, quæ iam probantur suis finibus terminata? Augusti siquidem temporibus Orbis Romanus agris diuisus, censuq; descriptus est. vt possessio sua nulli haberetur incerta, quã pro tributorũ susceperat quantitate soluenda. Hoc auctor Hyrummetricus redegit ad dogma conscriptũ. quatenus studiosus legendo possit agnoscere, qd' deberet oculis absolute monstrare. Videant artis huius periti, quid de ipsis publica sentit auctoritas. Nam disciplinæ illæ, toto Orbe celebratæ, non habent hunc honorem. Arithmeticam dictis auditorijs vacat. Geometria, cum tantum de cœlestibus disputat, tantum studiosis exponitur. Astronomia & Musica discuntur ad scientiam solam. Agrimensori vero finium lis

Universidad de Deusto
Biblioteca

orta committitur, vt cõtentionum proteruitas abscindatur. Iudex est vticp artis suæ forũ ipsius agri deserti sunt. fanaticũ credis, quẽ tortuosis semitis ambulare conspexeris. Indicia siquidem rerũ inter syluas asperas & dumeta perquirit, non ambulat iure cõmuni. via illi est sua lectio. ostendit, quod dicit. probat, quod didicit. gressibus suis concertantium iura discernit. & more vastissimi fluminis, alijs spatia tollit, alijs rura concedit. Quapropter auctoritate nostra suffulti talem elígite, post quem partes erubescant impudenti fronte litigare. Quatenus possessorum iura confusa esse nõ debeant, quibus est necessarium rebus propríjs adhibere culturam.

APRONIANO. VIRO. ILLVSTRI. COMITI. PRIVATARVM. TH. REX

MAgnitudinis vestræ relatione comperimus, Aquilegium Romam venisse de partibus Africanis, vbi ars ipsa pro locorum sicitate magno studio semper excolit, qui aridis locis aquas possit dare vernatiles, vt beneficio suo habitari faciat loca, nimia sterilitate siccata. Hoc nobis fuisse gratum cognosce. quatenus industria illa maiorum libris exposita, nostris temporibus venerit approbanda. Signis quippe virentium herbarum ac proceritate arborũ vicinitatem colligit decenter vndarum. Terris enim, quibus dulcis humor nõ longe subest, vbertas quorundam germinum semper arridet. vt est iuncus aquatilis, canna leuis, rubus validus, salix lenta, populus virens, et reliqua arborum genera, quæ tamen vltra naturam suam felici proceritate luxuriant. Sunt & alia huius artis indicia, cum nocte aduenìente lana sicca in terram ponitur iam prouisam, & rudi caccabo tecta relinquitur. tunc si aquæ proximitas arriserit, mane humida reperitur. Sole autem declarato intuentur etiam magistri loca soliciti, & vbi supra terram minutissimarum volitare spissitudinem conspexerint omnino muscarum, tunc promittunt læti facile quod quæritur inueniri, Addunt etiam, in columnę speciem conspici quendam tenuissimum fumum. qui quanta fuerit altitudine porrectus ad summum, tanto in imum latices latere cognoscunt. Vt hoc sit mirabile, cp per hæc aliaque signa diuersa mensura definita prædicit, quanta profunditate quæsita monstretur. Prædicuntur etiam sapores aquarum, vt nec aspera dispendioso labore debeat quęri, nec dulcis necessariacp inhonora contemni. Hanc scientiam sequentibus pulchre tradiderũt apud Græcos ille, apud Latinos Marcellus. Qui non solũ de sub terraneis fluentis, sed de ipso quocp ore fontium solicite tractauerunt. Dicunt em̃ aquas, quę ad Orientem Austrumcp prorumpunt, dulces atcp perspicuas esse, & pro sua leuitate saluberrimas inueniri. in Septentrionem vero atcp Occidentem quæcunqp manant, probari quidem nimis frigidas, sed crassitudine suæ grauitatis incommodas. Atcp ideo, si viderit memorato illi sapientia vestra & codicum lectione & vsu rerum quæ sunt prędicta constare, competentibus annonis de publico deputatis, peregrinationẽ eius inopiamcp releuabis. accepturus mercedes, cui artis suæ dona prestiterit. Nam q̃uis Romana ciuitas aquis abundet irriguis,

sitcp

sitcp fontibus gaudens, & formarũ inundatione ditissima. reperiunt̃ tamẽ plurima suburbana, quæ hanc videant̃ desiderare peritiam. Et merito continetur, qui vel proparte necessarius esse cognoscitur. Huic tamen mechanicus omnino iungendus est. vt vndas, quas iste reperit, ille leuet, & arte subire faciat, quod ascendere non prævalet per naturam. Habeatur ergo & iste inter reliquarum artium magistros. Ne quid desiderabile putetur fuisse, quod sub nobis non potuerit Romana ciuitas continere.

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM . LIBER · QVARTVS

HERMINAFRIDO . REGI . THORINGORVM
THEODERICVS . REX

DEsiderantes, vos nostris aggregare parentibus, neptem caro pignori, propitia deitate, sociamus. Vt qui de regia stirpe descenditis, nũc etiam longius claritate imperialis sanguinis fulgeatis. Mittimus ad vos ornatum aulicæ domus, augmenta generis, solatia fidelis consilij, dulcedinem suauissimam coniugalem. Quę & dominatum iure vobiscum impleat, & nationem vestram meliore institutione componat. Habebit felix Thoringia, quod nutriuit Italia, literis doctam, moribus eruditam, decoram non solum genere, quantum & fœminea dignitate. Vt non minus patria vestra istius splendeat moribus, q̃ suis triumphis. Quapropter salutantes vos gratia cõpetenti, indicamus nos venientibus legatis vestris impretiabilis quidem rei, sed more gentium suscepisse prætia destinata, equos argenteo colore vestitos, quales decuit esse nuptiales. Quorum pectora vel crura spheris carneis decenter ornantur. costæ in quandam latitudinem porriguntur. aluus in breuitate constringitur. caput ceruinam reddit effigiem, imitantes velocitatem, cuius videntur habere similitudinem. Hij sunt sub pinguedine nimia mansueti, magna mole celerrimi, aspectibus iucundi, vsibus gratiores. incedunt em̃ molliter, sessores suos infanis festinationibus nõ fatigant. quiescit̃

Universidad de Deusto
Biblioteca

potius in ipsis, ꝙ laboretur. & compositi delectabili moderatione, agilitate norunt continua perdurare. Verum hunc, quanuis nobilissimum gregem, beluasq; morigeras, vel alia quæ direxistis eximia, victa cognoscitis. quando omnia iure superat, quæ decus regiæ potestatis exornat. Destinauimus & nos quidem, quę principalis ordo poscebat. sed nihil maius persoluimus, ꝙ qꝰ vos tantæ fœminæ decori copulauimus. Adsint vestro diuina coniugio. vt sicut nos causa iunxit affectionis, ita & posteros nostros obliget gratia parentalis.

REGI . HERVLORVM . THEOD . REX

PEr arma fieri posse filium, grande inter gentes constat esse prœconium. Quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci. In sobole frequenter fallimur. Ignaui autem esse nesciũt, quos iudicia pepererunt. Hi enim gratiam non de natura, sed de solis meritis habent. Quando vinculo animi obligantur extranei. & tanta in hoc actu vis est, vt prius se velint mori, ꝙ aliquid asperum patribus videantur infligi. Et ideo more gentium, & conditione virili, filium te præsenti munere procreamus. vt competenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignosceris. Damus quidem tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum. sed quæ sunt omnimodis fortiora, largimur tibi nostra iudicia. Summus enim inter gentes esse crederis, qui Theoderici sententia comprobaris. Sume itaque arma, mihi tibiq; profutura. Ille a te deuotionem petit, qui te magis defensare disponit. probat tuum animum, & opus non habebit obsequium. Adoptat te talis, de cuius gente tu potius formideris. Nota sunt enim Herulis Gothorum, Deo iuuante, solatia. Nos arma tibi dedimus. gentes autem olim virtutum pignora præstiterunt. Salutantes proinde gratia competenti, reliqua per illum & illũ Legatos nostros patrio sermone mandamus, qui vobis literas nostras euidenter exponant, & ad confirmandam gratiam quæ sunt dicenda subiungant.

SENARIO . V.I . COMITI . PRIVATAR . THEOD . REX

AD ornatum Palatij credimus pertinere, aptas dignitatibus perso nas eligere. Quia de claritate seruientium crescit fama dominorum. Tales enim prouehere principem decet. vt quoties procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta iudicia habuisse. Moribus enim debet esse conspicuus, qui datur imitandus. Facile est qualencunq; sibi deligere. multis autem electum, videre decet. Cape igitur per indictionem quartam illustris Comitiuæ nostri Patrimonij dignitatem. quam tibi non immerito tribuit regalis auctoritas. Diu nanque nostris ordinationibus geminum mutuatus obsequium, & consilij particeps eras, & disposita laudabili assumptione complebas. Subisti sæpe arduę legationis offitium. Restitisti Regibus nõ impar assertor, coactus iustitiam nostram

nostram & illis ostendere, qui rationẽ vix poterant cruda obstinatione sentire. Non te terruit cõtentionibus inflammata regalis auctoritas . subiugasti quinimmo audaciam veritati, & obsequutus ordinationibus nostris in conscientiam suam Barbaros perculisti. Quid studium tuum longa lucubratione solicitum, & continui laboris inculpabile referamus obsequium? Vsus es sub exceptionis officio eloquentis ingenio. fauebat ipse sui delectatus auditor, dum meliora faceres cum recitare cœpisses. Pronuntiatio tua nostrum delectabat arbitrium. quia tantum dictantiũ reficiebas animum, quantum se lassare poterat cura cogitãtium. Fuit quoq; in te pars altera viræ laudabilis, quod arcana nostra morum probitate claudebas, multorum conscius, nec tamen cũ plura nosses elatus. Collegis gratia, superioribus humilitate placuisti. Sic omniũ pro te factus est vnus animus ex magna diuersitate sociatus. Carpes certe probatę institutionis gratissimũ fructum. quãdo prouectus tuus ita potuit omnes lætos efficere, vt vniuersi in te iudicent sua desideria profecisse. Tuere igitur hanc virtutũ amabilem præclaramq; constantiam, nostræq; domus auctoritate subnixus, tanto studiosius gratiam quære, quantum te locum beneficijs respicis inuenisse. Tende itaq; ad huc bonis actibus tuos ad potiora successus. sciens gratiam nostram in illo semper augeri, qui se dignum adepto culmini desiderat inueniri.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

GLoriosum quidem nobis est P. C. honores passim impendere, sed laudabilius benemeritis digna præstare. Quicquid enim talibus tribuimus, pro generali potius vtilitate largimur. Cunctis siquidem proficit recti tenax prouectus. nec locus relinquitur iniuriæ, cum ad bonos peruenit regula disciplinæ. Hoc itaq; præclaro desiderio illustrem virum Senariũ Comitiuæ Patrimonij dignitate subueximus. qui venalitatis obscura, animi claritate refugiat. qui calumnia non letetur, nec patrimonij auctoritate suffultus, de nostro sibi faciat terrore compendium. sed ius æquabile possit tenere cum cæteris, vnde nobis placere respicit seruientes. Hæc de illo futura promittere, pręteritorum facit temporum fides. In ipso quippe adolescentię flore palatia nostra meritis maturus intrauit. & quod robustas quoq; fatigat ætates, nullo deceptus nouitatis errore, ad imperantis conuersus arbitrium, effectum bonarum præstitit iussionũ. nunc ad colloquia dignus, nunc ad exceptiones aptissimus, frequenter & in legationis honorem electus. cuius multiplex meritũ incertum apud nos reddebat officium. Non enim vnius loci vir debet dici, a quo multa videntur impleri. Sed hæc amplius commendabat vtilitas, quæ tam clara ꝙ rara est. Nouum est enim, sub amore principis custodire modestiam. quia gaudia semper animos inquietant. modus enim raro lętis rebus imponitur, qui magis in tristibus inuenitur. Verum inter hæc stupenda meritorum, originis quoq; simili claritate resplendet. vt hæreas qua parte sit ditior, cum copiosius vtraq; possideat. Habẽt ergo sigillatim distributa præconiũ, iuncta

Universidad de Deusto
Biblioteca

miraculum. Quapropter P. C. assurgat primeuis introeuntibus cana libertas. Nihil de genio vestro subtrahitur, quando venientium nouitas honorabiliter inuitatur. Parentes publici de clementia nominati, duplex vos ratio benignitatis inuitet, incipiens mereatur gratiam, prouectus fauorem.

AMABILI. VIRO. DEVOTO. COMITI. THEOD. REX

NVllum decet, nostras grauanter suscipere iussiones, quæ magis vtilitates noscuntur extollere deuotorum. In Gallicana igitur regione victualium cognouimus caritatem. ad quam negociatio semper prompta festinat, vt empta largius angustiore pretio distrahantur. Sic euenit, vt & venditoribus satis fiat, & illis prouisio nostra subueniat. Atq; ideo deuotio tua presenti auctoritate cognoscat, omnes nauicularios Campaniæ, Lucanię, siue Thusciæ, fideiussoribus idoneis se debere committere, vt cum victualibus speciebus tantum proficiscantur ad Gallias. habituri licentiam distrahendi, sicut inter emptorem venditoremq; conuenerit. Grande commodum est, cum indigentibus pacisci. quando fames totum solet contemnere, vt suam necessitatem possit expellere. Nam cum ambitioni suę seruiat, propemodum donare videtur, qui vendit rogatus. Ad saturatos cum mercibus ire certamē est. suo autem prætium poscit arbitrio, qui victualia potest ferre ieiunis.

SYMMACHO. VIRO. PATRITIO. THEOD. REX

RAtionabiles petitiones supplicū libenter amplectimur, qui etiam non rogati iusta cogitamus. Quid est enim dignius, quod die noctuq; assidua deliberatiōe voluamus, nisi vt Rempub. nostram sicut arma protegunt, æquitas quoq; inuiolata custodiat? Spectabilis itaq; Valerianus in Syracusana ciuitate consistens, reuerti se ad Lares proprios supplicauit, qui studiorum causa liberos suos ad Romanam ciuitatem deduxit. Quos illustris magnificētia tua, ex nostra continens iussion, in supradicta vrbe faciat commorari. nec illis liceat ante discedere, nisi hoc noster proloquatur affatus. Ita enim & illis studiorum prouectus acquiritur, & nostræ iussionis reuerentia custoditur. Non ergo sibi putet impositum, quod debuit esse votiuum. Nulli sit ingrata Roma, quæ dici non potest aliena. Illa eloquentiæ fœcunda mater, illa virtutum omnium latissimum templum. Sentiatur plane, quod clarum est. non sine gratia esse creditur, cui habitatio tanta præstatur.

SENARIO. V.I. COMITI. PRIVATAR. THEOD. REX

PRopositum nostræ pietatis est, iniuste periclitantium subleuare fortunas. Quia quod aliena vi constat impositum, trahere non possumus ad delictum. Iniquum est enim, vt hominis vitio deputetur, quod eius voluntate non regitur, & illud imputetur periclitanti, vnde raro datur euadere. Atque ideo sublimitas tua prosequutores frumentorum

frumentorum, qui de Sicilia fuerant ad Gallias destinati. lachrymabili nos aditione pulsasse cognoscat, dum susceptum onus promouissent in pelagus aduersis flatibus fuisse susceptū. vbi fatiscente compage trabium, omnia vis vndarum absorbuit, nec quicquam miseris de aquarum nimietate, nisi solas lachrymas restitisse. Vnde illustris sublimitas tua, præsenti auctoritate cōmonita, modiationem tritici, quam sub hac sorte periisse probauerint, supradictis prosecutoribus sine aliqua faciat cūctatione reputari. Crudelitatis enim genus est, vltra naufragium velle desæuire. & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa cessisse.

HONORATIS. POSSESSORIBVS. ET. CVRIALIBVS FOROIVLIENSIBVS. THEOD. REX

GRaue videri non debet, quod nostra ordinatione censetur. quia nouimus æstimare, quod vos oportet implere. A nobis quippe potestis rationabiliter custodiri, quibus profecistis non grauati. Proinde deuotioni vestræ præsenti auctoritate decernimus, vt accepto prætio competenti, de locis vestris ad Alsuanum trabes sine aliqua dilatione deuehatis. quatenus & nostra ordinatio sortiri possit effectum, & perceptis mercedibus nec vos videamini sustinere dispendium.

OSVNI. V.I. COMITI. THEOD. REX

INnocentiæ professio est, nostram elegisse præsentiam. vbi nec violentiæ locus datur, nec auaritiæ vitia formidantur. Maurentius atq; Paula, patris auxilio nudati, multorum se iniurijs testantur exponi. quorum adolescentia peruia videtur incommodis, cum facile possit surripi vel iuuenibus destitutis. Et ideo nostrum merentur præsidium, a quibus se calliditas non abstinet improborum. Proinde sublimitas vestra, tenorem præsentis iussionis agnoscens, supra memoratos adultos, si quis iurgantium pulsare maluerit, ad nostrum Comitatum nouerit dirigendos. vbi & innocentia perfugium, & calumniatores ius possunt inuenire districtum.

IOANNI. V.S. CONSVLI. CAMPANIAE. THEOD. REX

IOedum est, inter iura publica priuatis odijs licentiam dare. nec ad arbitrium propriū iudicandus est inconsultus feruor animorum. Iniquum quippe nimis est, quod delectat iratum. Furentes iusta non sentiunt. quia dum commoti animo in vindictam sæuiunt, rerum temperantiā non requirunt. Hinc est, q; legum reperta est sacra reuerentia. vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quid enim a bellica cōfusione pax tranquilla distabit, si per vim litigia terminent? Prouincialium igitur Campaniæ atque Samnij suggestione comperimus, non nullos neglecta temporum disciplina, ad pignorandi se studia transtulisse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quasi edicto misso, per vulgus licentiam creuisse vitiorum. His multo acerbiora iungentes, alienis debitis ad solutiõem alios trahi, solamq; causam probabilem videri, si aliqua debitori potuit in ciuitate coniungi. O iniquum persuasionis errorem. Diuidũtur causæ germanis. filius obligationibus paternis, si non sit hæres, exuitur. vxor maritalibus debitis, nili per successionis vincula, nõ tenetur. & audacia ad solutionem trahit extraneos, cum absoluant iura coniunctos. Hoc hactenus fieri nostri ignorãtia fortasse pertulerit. Nunc necesse est remedium de legibus habeat, quod nostram potuit intrare notitiam. Proinde edictalis programmatis tenore comperto, spectabilitas vestra ad cunctorum faciat notitiam peruenire, vt quisquis quod repetere debuisset pignorandi studio fortassis inuaserit, voce iuris amittat. nec liceat cuiquam sua sponte, nisi obligatum forsitan, pignus auferre. Si vero alterum pro altero, quod nefas dictu est, pignorare maluerit, in duplum cui vim fecit direpta restituat. quia scelera damna plus cohibent, & sola detrimenta cogitant, qui pudoris fecere iacturam. Quem vero ab hac redimitione fœdum patrocinium tenuitatis excusat, pro amissi qualitate facinoris in eum fustuario supplicio vindicetur. Non enim patimur impunitum, quod nolumus esse permissum.

SENARIO. V.I. COMITI. PRIVATAR. THEOD. REX

SPes est certa remedij, vota supplicum ad prudentis remisisse iudicium. vt per ordinationis beneficium confusionis abrogetur incertum. Proinde magnitudo tua, cuius ordinationi videt subiacere prouincia, inter possessores Volienses atq; Curiales causam diligenti examinatione discutiat. quatenus inter eos sopiatur querela, a vobis patefacta iustitia. Non enim decet, post audientiam vestram negocium trahi, a quo post alios iudices debuisset audiri.

MARABADO. V.I. COMITI. ET. GEMELLO. V.S. THEOD. REX

PRoposiți nostri est, vt prouincias nobis, Deo auxiliante, subiectas, sicut armis defendimus, ita legibus ordinemus. quia semper auget princeps obseruata iustitia. Et quantum probabili institutione viuitur, tantum summis adhuc prouectibus aggregatur. Archotamia itaq; illustris fœmina, flebiliter ingemiscens nepotis sui calamitatem tali conquestione deplorauit (dum semper auiæ cura tenerior est suorũ) asserens Aetheriam nurum suam, mariti postposita dilectione, cuidam se Liberio iugali fœdere sociasse. & cum ornatior cupit nouis thalamis apparere, studuerit prioris viri facultates euertere. allegans, ditatam filiorum spolijs, quibus magis decuit congregari. Ideoq; nos, qui desideria supplicantum consueuimus remittere ad statuta diualium sanctionum. vt nec insinuationem supplicum renuamus, nec aduersarij negocium credula facilitate damnemus, sublimitatis vestræ iudicio hanc causam legibus committimus audiendam, vt omni inciuilitate summota, medijs sacrosanctis Euangelijs

Euangelijs, cum tribus Honoratis, quos partium consensus elegerit, qui legum possint habere notitiã, quicquid prisci iuris forma constituit inter eos considerata disciplina nostri temporis proferatis. Quia non decet per vim eos aliquid agere, qui ad nostra meruerunt regimina peruenire.

SENARIO. V.I. COMITI. PRIVATAR. THEOD. REX

IMolumenta deesse laborantibus non oportet. vt & bonæ spei aditus aperiatur, & desudantiũ querela iusta compensatione claudatur. Atq; ideo prouidentiã nostram, quæ omnes Reipub. partes. sub cœlesti fauore circunspicit, ordinasse cognosce, vt Colosseo viro illustri pro laboribus & meritis ad Syrmiensem Pannoniam destinato, iuxta consuetudinem veterem victualia præbeantur. Quatenus dum memorato viro necessaria fuerint præparata, locus iniustis præsumptionibus abrogetur. Disciplinã siquidem non potest seruare ieiunus exercitus, dum quod deest, semper presumit armatus. Habeat quod emat, ne cogatur cogitare, quod auferat. Necessitas moderamen nõ diligit. nec potest imperari multis, quod nequeant custodire paucissimi.

GESILAE. SAIONI. THEOD. REX

MAgni peccati genus est, alienis debitis alterum prægrauare. Vt quod potest exigi, non mereatur audiri. Sua quiq; damna respiciant, & is soluat tributum, qui possessionis noscitur habere compendium. Atq; ideo præsenti tibi auctoritate delegamus, vt Gothi per Picenũ siue Thuscias vtrasq; residentes, te imminẽte coganẽ exoluere debitas functiones. In ipsis enim initijs cõprimendus excessus est. ne fœda imitatio, quasi turpis scabies, paulatim reliquos comprehẽdat. Si quis ergo iussa nostra agresti spiritu resupinatus abiecerit, casas eius appositis titulis fisci nostri iuribus vindicabis. Vt qui iuste noluit parua soluere, rationabiliter videatur maxima perdidisse. Qui em̃ debent ad fiscum celerius esse deuoti, nisi qui capiunt commoda donatiui? Quando amplius de nostra humanitate recipiunt, q̃ stipendij iure præstetur. Nam si liberalitatis nostræ causa tractetur, nos potius voluntaria tributa soluimus, qui fortunas omnium subleuamus.

BENENATO. V.S. THEODERICVS. REX

ILlustris & magnifici viri comitis Patrimonij suggestione comperimus, Dromanarios viginti & vnum de constituto numero mortis incommodo fuisse subtractos. Vnde prouidentiam nostram, cuius est proprium, quod casu subducitur reparare consilio, hoc statuisse cognosce, vt supradictos Dromanarios probare sine aliqua dubitatione festines. qui tamẽ ad hoc opus possint idonei reperiri. Remigum em̃ labor operosus valentes animo & viribus querit, vt confidentia mentis procellis obuiare possit vndosis. Quid enim audentius, q̃ illud infidum

Universidad de Deusto
Biblioteca

insidum ac vastissimum mare intrare paruo nauigio, quod eluctari facit de sperationis sola præsumptio? Quapropter iussis te nostris hanc cautelam conuenit adhibere, vt querelam de congregatis debilibus non facias, cũ nec robustissimos quæsisse cognoscas.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

VTilitatis publicæ causa, quam noster animus semper spectat, virum illustrem Comitem Arigernum, ciuem pene vestrum, dudum ad Gallias æstimauimus dirigendum. vt eius maturitate consilij titubantium potuissent corda firmari. Nouitatem quippe solicitam prudentes conuenit habere rectores. Vt quemadmodum fuerit vitę formatus ordo, sic currat instituta deuotio. His rebus ad nostra vota compositis, & gloriam ciuilitatis rettulit, & quod inter vos didicit diligenter ostendens bellorum insignita reportarat. quem desideratum sicut putamus cœtui vestro reddidimus. Vt qui vobis longa ætate placuit, nunc gratior fiat, cum eum adiecta bona cõmendant. Quapropter disciplinæ se præfati viri Romanus ordo restituat, vt quod quietis amore præcipitur, deuotis animis impleatur. Quatenus & excessibus tollatur licẽtia, & quod optamus maxime, locum nequeat inuenire vindicta. Si qua etiam per eius absentiam culpa prouenerit inter vos iustitiæ consideratione corrigite. sicut nobilitati vestræ cõuenit agere, cui semper probitas placet, Quoniam nos specialiter iniunxisse cognoscite, vt error, qui ab auctoribus suis minime fuerit emendatus, legum districtione resecetur. Pareatur ergo P. C. viro multis temporibus iam probato. cuius necesse est prædicanda sequi, qui se hactenus sub vestra omnium laude tractauit, & in tanta frequentia nullius reperit aduersa iudicia.

IBAE . V.S . DVCI . THEOD . REX

DEfinitam rem ab antiquo Rege, quam tamen constat rationabiliter esse decretam, nulla volumus ambiguitate titubare. Quia decet firmum esse, quod commendatur probabili iussione. Cur em̃ priora quassemus, vbi nihil est, quod corrigere debeamus? Atq; ideo presenti tibi auctoritate precipimus, vt possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum præcelsæ recordationis Alarici præcepta, a quibuslibet peruasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui. Quoniam uersari nolumus in Ecclesiæ dispendio præsumptiones illicitas. dum nostra deceat tempora, sedare confusa. Esto contra talia omnino solicitus. vt qui es bello clarus, ciuilitate quoq; reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo iuuante, corroboras, si iustitiam mediocribus seruare contendas. Improbis enim potuisse resistere, non præuales excusare. quando omnes tibi libenter cedunt, quem gloriosum in bellorum certamine cognouerunt. Ignauus forte audacibus iubere nil possit, nemo plus præsumentibus imperat, cũ quem sua facta commendant.

ANNAE

ANNAE. V.S. COMITI . THEOD. REX

GOnsuetudo est nostræ clementię, probatę nobis fidei agenda cõmittere. vt cum iudices delegamus prædictos tractatu maturo, locum praua nequeat inuenire surreptio. Dudum siquidem ad nos multorum suggestione peruenit, Laurentium presbyterum effossis cineribus funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatum, concussionemq; mortuis intulisse, quem oportet viuentibus quieta prædicare. Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio pijs dicatas cõsecrationibus manus, aurum execrabili quæsisse fertur affectu, quem suam decuisset egentibus dare substantiam, vel sub æquitate collectam. Quod te diligenti examinatione præcipimus indagare. Vt si veritati dicta perspexeris conuenire, hominis ambitum eo tantum fine concludas, ne possit supprimere, quod eum non licuit inuenire. Scelus enim, quod nos pro sacerdotali honore relinquimus impunitum, maiori pondere credimus vindicandum.

GEMELLO . V.S . THEOD. REX

DEcet principalem prouidentiam fessa refouere. vt asperitatem casuum mitiget lenitas iussionum. Non enim sentitur incommodum, si quod per aduersitatem cõstat oppressum, concessa prosperitas ostenderit subleuatum. Siliquatici nanq; præstationem, quam rebus omnibus nundinandis prouida definiuit Antiquitas, in frumentis vino & oleo dari presenti tempore nõ iubemus. vt hæc remissio solutionis copiã possit prestare prouincijs, & respirent aliquatenus fessi præsentis salubritate decreti. Quis enim ad vendendum non incitetur largius, cui solita dispendia subtrahuntur. Portus nostros nauis veniens non pauescat. Vt certum nautis possit esse refugium, si manus non iucurrerint exigentium, quos frequenter plus affligunt damna, cũ solent nudare naufragia. Sit hoc forsitan sub quiete tolerandum. nunc autem, dum prouincialibus præstare cupimus, mercium dominis interim consulamus.

GEBERICH . V.S . THEOD . REX

SI desideramus locũ beneficijs inuenire, vt titulos possimus nostrę pietatis erigere, quãto magis aliena beneficia intacta volumus defendi, qui propria cupimus sponte largiri? Maxime quãdo & illud conscientiæ nostræ reponitur, qđ de fisco sub antiqua solennitate prestatur. Proinde viri venerabilis Episcopi Constantij supplicationę comperimus, sacrosanctę Ecclesię ipsius vnũ iugum, veterum principũ pietate collatum, & nũc quorundã vsurpatione violenta retineri. Sed quia nos vti nullũ volumus fraudibus suis, presertim cũ in dispendio pauperum detestabili mente versetur, presenti auctoritate decernimus, vt ea quæ retro principum cõstiterint humanitate deputata, supra memorata Ecclesia sine

aliqua

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliqua imminutione percipiat, manente pœna etiam peruasori, qui & veterum dona, & Ecclesiæ probatur violasse compendia.

GEMELLO . V.S . THEOD . REX

QVanuis efficaciam tuam insistere credamus iniunctis, & studiose deflectere, quæ nobis cognoueris displicere, tamẽ solicitum admonitio nostra non deserit. Vt instructior reddaris, dũ infrascriptis Breuibus definita susceperis. Proinde ordinatio nostra nulli videri debet ingrata, cum necessitas temporis excuset onera iussionis. Esto itaq; ad iniuncta solicitus. Quia licet sit semper adhibenda, maxime tamen vtilis est in necessitate, custodia. Parebis ergo cõmonitus. vt sic possis cum prouincialibus agere, quemadmodum nos eis respicis velle præstare. quatenus securus de nostra gratia consequaris, quicquid solicitus de prauo studio habere contempseris.

ARGOLICO . V.I . PRAEF . VRB . THEOD . REX

INtolerabilis excessus est, qui supernæ maiestatis affectat iniuriã, & oblitus pietatis, crudelia sectatur erroris. Quem enim sperauit veniæ locum, qui reuerendum contempsit auctorem? Abscedat ritus de medio iam profanus. Conticescat pœnale murmur animarum. Versari non licet in magicis artibus temporibus Christianis. Magnitudinis itaq; tuæ relatione comperimus, Basilium atq; Prętextatum, artis sinistræ iam diu contagione pollutos, in accusationem tui examinis personarum intẽtione deductos. Super qua re nostram te asseris spectare sententiam. vt confidentius fiat, quod pietatis nostræ mandat auctoritas. Sed nos, qui nescimus a legibus discrepare, quorum cordi est in omnibus moderatam tenere iustitiam, præsenti auctoritate decernimus, vt quinq; Senatoribus, id est, magnificis, & patritijs viris, Symmacho, Decio, Volusiano, atq; Celiano, necnon illustri viro Maximiano, hanc causam legitima examinatione pensetis. Et per omnia iuris ordine custodito, si crimen, quod intenditur, fuerit comprobatum, ipsarum quoq; legum districtione plectatur. vt rei, abditi atq; secreti, per hoc vindictę genus a culpis talibus arceantur, quos ad leges trahere non potest incerta notitia. De qua re illustri viro Comiti Arigerno præcepta direximus. Vt omniũ violenta defensiõe summota, si se occulunt ad iudicium protrahat impetitos, & vobiscũ in hac causa residens, nec opprimi faciat innoxios, nec leges sinat euadere criminosos.

ARIGERNO . V.I . COMITI . THEOD . REX

QVanuis oporteat commissam tibi disciplinam Romanæ ciuitatis in omnibus custodiri, tamen in eis maxime studiosior esse debes, quæ nostra tibi auctoritate delegata cognoscis. vt circa te augeat gratiam custodita iustitia, & augmenta sumas nostri iudicij

dicij, qui nobis hactenus de integritate placuisti. Præfectus igitur vrbis sua nobis relatione declarauit, Basilium atq; Prætextatum magicis artibus involutos, impeti accusatione multorum. quos elapsos intimat mentis alienatione custodum. Eos te præcipimus vbicunq; repertos ad iudicium Quinqueuirale ducere, qd' in præsenti negocio nostra delegauit auctoritas. vbi re residere censemus, vt violenta omnium defensione summota, hanc causam discuti facias legibus, & finiri. Et si rei criminis, cuius impetuntur, fuerint approbati, sententiam subeant, quam iuris definita sanxerunt. Si vero innocentia eorum detestabili pulsatur inuidia, opprimi eos nulla ratione patiaris. Quia in omnibus causis, consideratione diuina, illud fieri volumus, q̃ opinionem nostræ pietatis accummulat.

HELPIDIO . DIACONO . THEOD . REX

IN lucrum cedunt, quę benemeritis conferuntur. Et de ipso munere magis acquiritur, cum optimis digna præstantur. Petitionis tuæ proinde tenore comperimus, loca in Spoletina ciuitate, quæ iam longo situ squalor vetustatis obnupserat, splendorem reparationis expetere. vt rebus antiquitate confusis nouitatis facies adulta reddatur. & beneficio tuo rediuiua consurgant, quæ annositate inclinata corruerant. Quod nos, respectu meritorum tuorum, & impensi lõga sedulitate seruitij, libenti animo duximus annuendum. vt & votis iusta poscentium tribuatur effectus, & ciuitati reparationis crescat ornatus. Atque ideo petitioni tuæ robur præsenti humanitate largimur. vt porticum cum areola post Curasi thermas, si tamen publico vsui nõ deseruit, absoluta liberalitate potiaris. quia in licentiam reparationis accipiuntur potius præmia, q̃ donantur. Hac igitur auctoritate suffultus, in supradictis locis ædificandi sume fiduciam. nec aliquam in posterum metuas quęstionem, cum te & ciuitatis tuetur vtilitas, & principis reuerenda voluntas.

ARGOLICO . V.I . PRAEF . VRB . THEOD . REX

CONstat, eum de se prę sumere, qui ad Sacri Ordinis cupit fastigia peruenire. Merita enim suggerunt bonæ apparentiæ nisus, & in qualitate desiderij potest mens honesta cognosci. Quis enim palestricæ artis ignarus in stadium luctaturus introeat? Aut quis certamini misceatur, quod virtutis conscientiam non suadet? In ipsis conatibus ægra langueſcunt, quæ meritorum præsumptionibus non iuuantur. Prę coniorũ ergo professio est, collegium desiderasse summorum. bonumq; de se iudicium tradit, qui celsæ gradus expetit dignitatis. His ergo desiderijs pietas se nostra libenter indulget, qui etiam in spem erigimus vota marcentia. vt dum prouectus quæritur, probitatis studia plus amentur. Proinde illustris magnificentia tua Petrum, parentum luce conspicuum, suaq; grauitate iam Senatorem, in album Sacri Ordinis secundum priscam consuetudinem curet referri. vt & tanto cœtui proficiat numerus, & candidato de Sacro Ordine crescat ornatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MASSILIENSIBVS . THEOD . REX

IBenti animo antiqua circa vos beneficia cuſtodimus, cum noua vtilitatibus veſtris pręſtare cupiamus. Seruare quippe terminos ignorat humanitas, et nouellis decet blandiri beneficijs, poſt longa tempora reſtitutis. Proinde immunitatem vobis, quam regionem veſtram conſtat principum priuilegio cõſecutam, hac auctoritate largimur. Nec vobis aliquid nouæ præſumptionis patiemur imponi, quos ab omni volumus grauamine vendicari. Cenſum præterea præſentis anni relaxat vobis munificentia principalis. vt & illa poſſitis accipere, quæ vos nõ contigit poſtulaſſe. Ipſa eſt enim perfecta pietas, quæ antequam flectatur precibus, nouit conſiderare fatigatos.

TERVTHAR . SAIONI . THEOD . REX

DEteſtabilis eſt quidem omnis iniuria, & quicquid cõtra leges admittitur, iuſta execratione damnatur. ſed malorum omniũ probatur extremũ, inde detrimenta ſuſcipere, vnde credebantur auxilia prouenire. Exaggerat eĩ culpam in contrarium verſa crudelitas. & maius reatui pondus eſt, inopinata deceptio. Vir ſpectabilis itaq; Petrus admiranda nobis ſorte conqueſtus eſt, Saionis Amaræ tuitionem, quã ei contra violentos indulſimus, in ſe potius fuiſſe craſſatã, ita vt ictum gladij in ſe demerſum, aliquos poſt vim retardaret obiectio. ſubiecta eſt vuleri manus. quæ vt in totum truncata nõ caderet, ianuarũ percuſſa robora pręſtiterũt. vbi laſſato impetu coruſca ferri acies corporis extrema perſtrinxit. O execrabilem caſum, impugnauit hominem auxiliũ ſuũ, vt ſolatij proſperitate ſubtracta creuit ex defenſione neceſſitas. His multo acerbiora ſubiungens, vt quaſi læſio veniret ad prętium, ita ſcelus proprium enormi exactione taxatũ eſt. Atq; ideo iuſte in illos pietatis noſtræ ira cõſurgit, qui benigna iuſſa in truculẽta miniſteria mutauerũt. Nam quę erunt refugia ſupplicantibus, ſi & noſtra beneficia vulnerabunt? Proinde præſenti iuſſione cenſemus, vt quicquid ſupraſcriptus Amara cõmodi nomine de cauſis memorati ſupplicantis accepit, quaſi oppugnator ingratus a te conſtrictus, in duplo ei cogatur exoluere. Quia ſub pęna reſtitui dignum eſt, quod improba temeritate conſtat extortum. De plaga vero, quam educto gladio temerarius præſumptor inflixit, ad iudicium comitis Dudæ ſæpe dicti Saio te compellente veniat audiendus. Vt ſecundum edictorum ſeriem, quæ male commiſſa claruerint ſine aliqua dilatione componat. Tuitionem vero poſtulanti contra ciuiles impetus ex noſtra iuſſione ſalua ciuilitate præſtabis, non exemplo accuſati, ſed conſideratione decenter electi.

DVDAE . V.S . COMITI . THEOD . REX

COnſcientiam probamus, cui iudicanda committimus. Quia dignus eſt inter alios ſequenda decernere, qui ſibi modum viſus eſt legitimæ conuerſationis imponere. Petrus itaque vir ſpectabilis Amaram Saionem noſtrum, qui contrario omine pro eius tuitione

tuitione directus eſt, educto gladio ſe aſſerit vulneraſſe, defenſoremque feciſſe, quod vix inimicus potuiſſet audere. Hoc te & legitima volumus diſceptatione cognoſcere, et probabili ſententia terminare. quatenus nullus tentare auſus ſit, quod nobis diſplicere cognoſcit.

ARGOLICO . V.I . PRAEFECTO . VRBIS

THEODERICVS . REX

SI loci veſtri cogitaretur auctoritas, ſi reuerentiæ cura Romanæ, vltro debueratis expetere, in quibus arguimini. Quid enim præſenti tempore potuiſtis culmini vrbano tam proprium, cũ Senatus cremenţa, cogitare? quando famæ præſulis proficit, quod Ordo Sacer acquirit. Sed quãtum viri clariſſimi Armentarij teſtatur miſſa ſuggeſtio, in contrarium fœdo ambitu de mora quæritis commoda, cuius vos optare debuiſſe conſtat augmenta. Quid enim amplius eſſe poſſit incongruum, cũ noſtris iuſſionibus expeditis ſupplicantium vota ſuſpendere? & poſt ſacræ præceptionis affatum, ſi dici fas eſt, adhuc regium ſuſpendiſſe iudicium? Sed nos, quibus cordi eſt poſt primam culpam non ſtatim deſiderare vindictam, ad admonitionem potius iuſſa conuertimus. ne ſit noſtra diſtrictio nimia, quam leuis patientia non præcedat. Ideoq; præſenti auctoritate decreuimus, vt iuſſionibus noſtris nulla dilationis calliditas aferatur. quia non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.

ALBINO . V.I . PATRITIO . THEOD . REX

DEcet quidem cunctos, patriæ ſuę augmenta cogitare, ſed eos maxime, quos Reſpub. ſibi ſummis honoribus obligauit. Quia ratio rerum eſt, vt eum neceſſe ſit plus debere, qui viſus eſt maiora ſuſcipere. Porrecta itaq; ſupplicatione teſtatus es, Curbæ porticus, quæ iuxta domum Palmatam poſita, forum in modum areæ decenter includit, ſuper imponendis fabricis licentiam condonari. vt & priuatarum ædium habitatio protendatur, & antiquis mœnibus nouitatis creſcat aſpectus. Ita fit, vt quod per incuriam poterat labi, manẽtium videatur diligentia ſuſtineri. Quia facilis eſt ædificiorum ruina, incolarum ſubtracta cuſtodia. & cito vetuſtatis decoctione reſoluitur, quod hominum pręſentia non tuetur. Vnde nos, qui Vrbem nitore cupimus fabricarũ ſurgentium componi, facultatem concedimus poſtulatam. ita tamen, ſi res petita aut vtilitati publicę non officit, aut decori. Quapropter rebus ſperatis ſecurus innitere. vt dignus Romanis fabricis habitator appareas, perfectumque opus ſuum laudet auctorem. Nulla enim res eſt, per quam melius poſſit agnoſci & prudentis ingenium, & largitatis effectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AEMILIANO. VIRO. VENERABILI. EPISCOPO
THEODERICVS. REX

AD finem decet perducere, quę prudentum intentio visa est susce-pisse. Quia sicut perfectam laudem pariunt, ita & vituperatio-nem generant, quæ in medijs conatibus ęgre deseruntur. Defe-ctus enim rerum aut cōsilium titubare, aut vires arguit defuisse. Quapropter sanctitas vestra a tali oblocutione refugiens, quę in aquæ du-ctu reficiendo probabili cura ex nostra auctoritate susceptit, celeriter ad effe-ctum faciat peruenire. Nam quid aptius, q̄ vt sitienti plebi prouideat aquas sanctissimus ille sacerdos? & humana prouidentia satiet, quos etiam mira-culis pascere debuisset? Imitaris enim antiquissimum Mosen, qui Israëli-tico populo longa ariditate siccato, de saxi sterilitate copiosos latices eduxit. & ad implendum miraculum, inde fecit currere humidos liquores, vbi erat sicca durities. Tu autem si fontes irriguos saxorum constructione deducis, hoc labore tuo præstas populis, quod ille miraculis.

DVDAE. SAIONI. THEOD. REX

CVm in omnibus causis velimus iustitiam custodiri (quia regni decus est æquitatis affectus) in eis maxime, quæ fisci nostri no-mine proponuntur, nequaquam detestabilis calumnia in inui-diam regnantis affligat. Patimur enim superari salua æquitate per leges, vt inter arma semper possimus esse victores. Nam quem licenter subiectus superat, non debellat aduersus. Marini itaq; relatione comperi-mus, res Tuphæ apud Ioannem quondā sub emissione chyrographi fuisse depositas. Et quia nobis competere manifestum est, quod ad proscriptum poterat pertinere, ideo præsenti auctoritate præcipimus, vt vxorem su-pradicti Ioannis filiumq; eius Ianuarium moderata executione conuenias. Qui si intentata iniuste se retinere cognoscunt, æquitatis consideratione re-stituant. minusue, competenti sponsione præmissa, ad consularem Campa-niæ veniant legibus audiendi. Vt coram partibus positis, te imminente, qd' forma continet sanctionum Diualium, censeatur. Ita tamē, vt nullo præiu-dicio, nulla iniuria, nullo damno, innocentia prægrauetur. ne alienæ accusa-tionis inuidiam, tuam facere videaris offensam.

VNIVERSIS. IVDAEIS. GENVAE. CONSTITVTIS
THEODERICVS. REX

CVstodia legum, ciuilitatis indicium, & reuerentia priorum prin-cipum, nostræ quoq; testatur deuotionis exemplum. Quid enim melius, cū plebem sub præcepto degere velle iustitiæ? vt cōuen-tus multorum disciplinabilium sit adunatio voluntatum. Hæc enim populos ab agresti vita in humanæ conuersationis regulam congre-gauit

gauit. Hæc ratio a feritate diuisit. ne arbitrio casuali vagarentur, quos regi consilio diuina voluerunt. Oblata itaq; supplicatione deposcitis, priuilegia vobis debere seruari, quæ Iudaicis institutis legum prouida decreuit Anti-quitas. quod nos libēter annuimus, qui iura veterum ad nostram cupimus reuerentiam custodiri. Atq; ideo præsenti auctoritate censemus, vt quæ-cunq; legum statuta monuerunt, circa vos illibata seruentur. quatenus qd' ad ciuilitatis vsum constat esse repertum, perpeti deuotione teneatur.

DVDAE. SAIONI. THEOD. REX

PRudentiæ mos est, in humanos vsus terris abdita talenta reuo-care, commertiumq; viuentium non dicere mortuorum. quia & nobis in fossa pereunt. & illis in nulla parte profutura loquun-tur. Metallorum quippe ambitus solatia sunt hominum. Nam diuitis auri vena similis est reliquæ terræ, si iaceat. vsu, crescit ad prætium. quando & apud viuos sepulta sunt, quæ tenacium manibus includuntur. Atq; ideo moderata iussione decernimus, vt ad illum locum, in quo latere plurima suggeruntur, sub publica testatione conuenias. & si aurum, vt dicitur, vel argentum fuerit tua indagatione detectum, compendio publico fideliter vindicabis. ita tamen, vt abstineatis manus a cineribus mortuo-rum. Quia nolumus lucra quæri, quæ per funesta possunt scelera reperiri. Aedificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent sepulchra, talenta non teneant, qui viuendi commertia reliquerunt. Aurum enim sepulcris iuste detrahitur, vbi dominus non habetur. immo culpæ genus est, inutili-ter abditis relinquere mortuorum, vnde se vita potest sustētare viuentium. Non est enim cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat ami-sisse. Primi enim dicuntur aurum Bacus, argentum Indus rex Scythiæ re-periisse, & humano vsui summa laude tradidisse. Quod nos in contrarium negligere nō debemus. Ne sicut latentia cum laude sunt prodita, ita inuen-ta cum vituperatione videantur esse neglecta.

AVCTORIBVS. ALBINI. THEOD. REX

COnsulto prouida decreuit Antiquitas, minores contractus li-beros non habere. vt & insidiantium laquei frustrarentur, & la-psis ætas lubrica subueniret. Obrueretur quippe innocētia, si re-laxetur audacia. esset q; cunctis fallendi studium, si fraus subre-pticium lucraretur effectum. Et ideo priscæ consuetudinis supplicatione porrecta suggeritis, patronum vestrum in annis minoribus constitutum, facultatibus suis potius aggregasse dispendia, dum ignara pueritia contra-ria gerit, quæ profutura putauerit. & nunc ad tempus ætatis agere, quo lapsis possimus per ignorantiam subuenire. allegantes, vt quod iura tribue-runt, nostra quoq; beneficia largiantur. Atq; ideo, si petitio vestra a veri-tate non deuiat, & intra annorum spatia deget, quibus hoc beneficium le-ges sacratissimæ prestiterunt, nihilq; est, quod iure contra referatur, patro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num vestrum solenniter causa cognita in integrum restitui, nostra quoque permittit auctoritas. Ita tamen, vt omnia secundum iustitiam legesq; peragantur. Quia sic supplicantibus cõsulere volumus, vt eorum aduersarios per iustitiam non grauemus.

FAVSTO. PRAEPOSITO. THEOD. REX

PRouidentissimi principis est, grauiter imminutis relinquere tributariam functionẽ. vt rediuiuis studijs ad implenda solẽnia recreentur, qui pressi damnorũ acerbitate defecerant. Nam si fessis minime releuetur onus, necessitate cernit iacere prostratus. Melius est enim præsentia damna contemnere, q̃ exiguo questu perpetua commoda non habere. Atq; ideo illustris magnificentia tua prouincialibus alpium Cottiarum assem publicum per tertiam indictionẽ nos relaxasse cognoscat. quos transiẽs noster exercitus more fluminis, dũ irrigat oppressit. Nam licet pro generali securitate frementi adunatione proruperit, præteriens tamen istorum culta vastauit. Radit enim semper fluuius alueum suum, & licet molliter egrediens vicina fœcundet, illud tamen reddit sterile, quo collectus influxerit. Vnde necesse fuit, ciuica vastatione deiectis porrigere dextram salutarem, nec ingrati dicant se periisse solos pro defensione cunctorum. misceantur potius lætitiæ, qui viam Italiæ defensoribus præstiterunt. Tributa enim non debent tristes exigi, per quos tributarios feliciter acquisiui. Dicat pro illis noster animus, quod Regi non potest imputare subiectus. Emimus nostro dispendio prosperitatem Gothorum, nos necessaria præbuimus, vt hostis vinceretur illæsus.

THEODAGVNDAE. ILLVSTRI. FOEMINAE. THEOD. REX

DEcet prudentiæ nostræ curam, subiectorum negocijs adhibere custodiam. quia nobis ordinantibus illa fieri debent, quę regiam possunt demonstrare præsentiam. Sic enim credimus, quia memor natalium tuorũ a te abijcias omne vicio sum. & illa sola diligere possis, quæ & nos amare cognoscis. Proauorum forsitan obliterentur exempla, longi generis minus facta recolantur, similes autem filij patrũ præconia mox sequuntur. Renatus itaq; flebili nobis aditione conquestus est, nobis delegantibus cognitores iudicatum se contra Iquilinam nomine, post longa temporis interualla metuisse, & excubijs damnisque confecto, vestram tandem perspexisse iustitiam, nec tamen litigatoris improbam cessare calumniam. dum rediuiuis litibus tenuitatem insequitur supplicantis, vt non tam vincendi votum, q̃ aduersarij videatur quæsisse detrimentum. Quapropter si nobis iubentibus iudicata cognoscitis, nec constat aduersarium prouocasse legaliter finitum iure negocium in sua facias firmitate manere. Ne longa quæstio litigantium non tam augeat patrimonia, q̃ euertat. & quod fit ambitu lucri, causa videatur esse dispendij.

FAVSTO

FAVSTO. PRAEPOSITO. THEOD. REX

CVm omnes Reipublicæ nostræ partes æquabiliter desideremus augeri, crementa tamen fiscalium tributorũ iustissimo sunt pensanda iudicio. quia seruiẽtium imminutio est huius illationis accessio. quantumq; pars illa proficit, tantum se hęc a firmitate subducit. Sed a nobis, qui fisci vtilitatem stabili volumus diuturnitate consistere, excludenda est dispẽdiosa semper enormitas. Ne augmento suo tumens summa deficiat, incipiatq; magis deesse, quia immaniter visa est accreuisse. Proinde illustris magnitudo tua Grauasianos atq; Pontonates nobis supplicasse cognoscat, a Ianuario sed & Probo discussoribus, iniquis se oneribus ingrauatos. cũ sterilitas ieiuna locorũ nulla sibi augmẽta fieri patiatur. Repugnante siquidem natura, quælibet cædit industria. nec prodest studiũ laboris impendere, quem vbertas loci non cognoscitur adiuuare. Ibi potest census addi, vbi cultura profecerit. Inde & varia tributa, quia non est agrorum vna fœcunditas. Atq; ideo cõsuetudinem eis pristinam censemus esse reuocandam. vt sicut Odouacris tempore tributa soluerunt, ita & nunc ab eis publicis vtilitatibus seruiatur. & si quid amplius probatur adiectũ, consideratione defectarum virium submouemus. Nolumus enim tale aliquid indici, quod sit necesse remoueri.

THEODAHADO. VIRO. ILLVSTRI. THEOD. REX

INter ceteras, quibus humanũ genus solicitatur, illecebras, prę cipue vitanda est alienarũ rerũ turpis ambitio. quia in immensum iactata rapitur, si iustitię ponderibus non præmatur. Auaritiam siquidẽ radicem esse omnium malorũ, & lectio Diuina testatur. quę tali sorte punita est, vt cũ multa rapiat, semper egeat. Quapropter vicinitatẽ generis nostri sic in animis vestris coalescere volumus, vt illi nec initia cõcedamus. Quid enim faciunt sordes animorum in splendore natalium? Illud te potius decet eligere, quod nos possit ornare. Hamalis sanguinis virum non decet vulgare desiderium. quia genus suum conspicit esse purpuratũ. Corrigamus itaq; te per incitamenta præconij, in quo adhuc non debemus esse districti. Domitius itaq; vir spectabilis data nobis supplicatiõe cõquestus est, possessiones iuris sui, id est illam atq; illã, ab homibus vestris ne glectis legibus fuisse peruasas, dũ ciuiliter oportuerit recipi, si ire videat exposci. Sed quia de vobis nõ patimur diutius obscura iactari, qui generis claritate fulgetis, prę senti auctoritate cẽsemus, vt imminẽte Guda Saione nostro, si momenti tempora suffragãtur, occupata nuper cũ omnibus quæ direpta sunt supplicãti faciatis sine aliqua dilatiõe restitui. Et si quid partibus vestris de legibus creditis posse cõpetere, instructam personã ad nostrũ Comitatũ destinare vos cõuenit. Vt intẽtionibus partiũ sub æquitate discussis, feratur sententia, quam iuris dictat auctoritas. Generosos quippe viros omnia conuenit sub moderata ciuilitate pagere. quia tantũ potẽtibus læsionis crescit inuidia, q̃tum præmi posse creditur, qui fortuna inferior cõprobatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AVCTORIBVS . PROBINI . THEOD . REX

DIstrictius aliqua iubere compellimur amore iustitiæ, dum circa minores fortunas clemẽtiora sunt nostri pectoris instituta. Trahit enim ad misericordiam, qui potuit subdi, & hoc habet beneficiũ mediocritatis suæ, vt probatione salua interim moueat ad dolorem. quia credulitas subleuat humiles, præmit inuidia potiores. Datis itaque precibus allegatis, Basilium virum spectabilem, nostra dudum præcepta meruisse, vt possessio Arcinatina, quam patronus vester a coniuge eius Agapita iuris fuerat solennitate mercatus, postposita dilatione cum documentis omnibus prædicto coniugi redderetur, dum a suis penetralibus solicitatam lachrymabili quæstione quæreretur vxorem. addentes more nostræ iustitiæ postea fuisse præceptum, vt si patroni vestri de causæ qualitate præsumerent, ad nostrum Comitatum ocius destinarent. vt quæ ratione conuenire poterãt, velut a iustitiæ fontibus emanarent. Quapropter si nullo mendatio vitiantur asserta, per officium nostræ sedis Basilium decernimus admoneri, vt si nihil est, quod pro suis partibus possit opponere, quo minus in hac causa pulsetur, vestris intentionibus responsurus occurrat, seu ad Comitatum venire, seu in competenti foro iurgare maluerit. quia nullis necessitatem longinquitatis imponimus, nisi qui suis hoc commodis expedire cognoscunt. In locum siquidem beneficij nostram præsentiam damus. & ideo non decet inuitis imponi, quod meretur optari.

IOANNI . ARCHIATRO . THEOD . REX

PRopositum regale est, pressis labe fortunæ, pietatis remedio subuenire, & acerbos casus iniurię meliore sorte mutare. Data siquidem supplicatione cõquereris, virum spectabilem Viuianum legum artificio, quo callet elatum, personam tuam obiectis criminationibus insecutũ, et eousq; peruentũ, vt indefensus contra iuris ordinem Vicarij vrbis Romæ sententia damnareris. Nunc aũt religioſę mentis affectu, odia mundana damnasse, auctoricq; suo tuum displicuisse periculũ. Et ideo si nullis impugnationibus eneruantur asserta, læsionem non patimur miseris inhærere, quam suis constiterit machinatoribus displicere. Quapropter inabolitum missa sententia, quæ a Vicario vrbis Romę super hac parte noscitur promulgata, patriæ te rebusq; omnibus nostra reddit auctoritas. Nec vllo tempore calumniã super hac parte formides. Sed ne cuiusquã forsitan plectenda temeritas in te impetus reparare possit audacia, Patritij Albini, saluis legibus, tuitio te deputata cõmuniet. Quia nihil fieri volumus inciuile, cuius quottidianus labor est, pro generali quiete tractare.

ARGOLICO . V.P . THEODERICVS . REX

BEne principalis clementia suscipit, quos pietas paterna destituit, quia sub parente publico genitoris minime sentiri debet amissio. Ad nos siquidẽ iure recurrit infantia destituta, qbus vniuersorũ hominũ proficiunt incremẽta. Clarissimorũ igit̃ adultorũ, Marciani

ciani atq; Maximi nos querela pulsauit, cũ paschalibus diebus paterni luctus essent vulnere sauciati, & in ipso lætitię tempore soli cogerent̃ tristitiã sustinere, vtilitatẽ suam pio neglexisse contemptu, cum vel firmæ ętati inter lachrymasista cogitare, genus videreť insaniæ. Cessat em̃ lucri ambitus, cum vacat̃ ad planctus, nec mens quodlibet aliud capit, cũ eam qualitas pietatis impleuerit. Hac crudeli surreptione captata turrem Circi, atq; locũ Amphitheatri illustris recordationis patris eorum detestabili ambitu a vestris sugerunt fascibus expetitum. Quorum insidiatorem nõ humanitatis vllus reuocauit affectus, non similis terruit casus. grauauit infantiam, cui non subuenire, merito pudoris æstimatur esse iactura. Sed nos, qui regulas Veterũ, qui seruamus momẽta pietatis, salubri ordinatione censemus, vt si quondã patritius atq; magnificus vir Volusianus pater supplicum commemorata loca communi iure possedit, filijs perire non debeant. Præsertim cum germen senatorium nouis cupiamus beneficijs enutrire, non inter ipsa initia spem adultæ ætatis aliqua læsione comprimere. Atq; ideo illustris magnificentia tua si quid tale factum esse meminit, illico nouerit corrigendũ. ne venerandum examen Senatorij ordinis iniqua præsumptione temeretur.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

VRbis Romanæ celebris opinio suo conseruanda est nihilominus instituto. nec vitia peregrina capit, quæ semper se demorum probitate iactauit. Leuitates quippe seditionum, & ambire propriæ ciuitatis incendium, non est velle Romanum. Ideoq; in auctoribus facti legum est seruanda districtio. ne detestabilis aspectus ad imitationem nefandam vulgi pectora comprehendat. Viri illustris itaque Comitis Arigerni suggestione comperimus, Iudæorum querela se fuisse pulsatum, q; in dominorum cæde proruperit seruilis audacia. in quibus cum fuisset pro districtione publica resecatum, statim plebis inflammata contentio Synagogam temerario duxerunt incendio concremandam, culpas hominum fabricarum excidio vindicantes. dum si quis Iudæorum probaretur excedere, ipse debuisset iniuriæ subiacere, non autem iustum fuit ad seditionum fœda cõcurri, aut ad fabricarũ incendia festinari. Sed nos quibus, Deo propitiante, cordi est perperam commissa dirigere, vt cũctis possit placatis moribus conuenire, præsenti auctoritate decernimus, vt causam supra memoratam legitima discussione noscatis. & in auctoribus paucis, quos potueritis huius incendij reperire, habita districtione resecetis. quia nolumus aliquid detestabile fieri, vnde romana grauitas debeat accusari. illud pari ratione censentes, vt si aliquid sibi contra Iudæos rationabiliter quispiam crediderit suffragari, ad vestrum iudicium veniat audiendus. vt quem reatus inuoluerit, censura condemnet. Hoc enim nobis vehementer displicuisse cognosce, vt intentiones vanissime populorum vsq; ad euersiones peruenerint̃ fabricarum, vbi totum pulchre volumus esse compositum.

ANTONIO

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANTONIO. VIRO. VENERABILI. POLENSI. EPISCOPO. THEOD. REX

TNuidiosa est contra eum querela, cui sunt reuerētiæ iura seruanda. quia nescio quid admissum graue creditur, vbi contra tales silentium non tenetur. Stephanus siquidē flebili aditione conquestus est, causam sui iuris ante decessorem prædecessoremque vestrum longa ætate possessam, ante hos fere nouem menses ab hominibus Ecclesiæ, cui præsidetis, despecto ciuilitatis ordine fuisse peruasam. Quod si ita factum esse cognoscitis, eam iustitiæ consideratione momenti iure restituite supplicanti. Decet enim a vobis corrigi, quod a vestris familiaribus non debuisset admitti. Veruntamen si partibus vestris in tam momentaria vel principali iustitia adesse cognoscitis, tractato prius diligenter inspectoq; negocio (quia sacerdotem non decet protendere improbam litem) instructam legibus ad Comitatum nostrum destinate personam. vbi qualitas negocij agnosci debeat & finiri. Quapropter sanctitatis vestræ animus non grauetur, nec se fallacibus verbis doleat accusatum. multo maior est opinio purgata, cū si desinentibus querelis non fuerit impetita.

COMITIBVS. DEFENSORIBVS. ET. CVRIALIBVS TICINENSIS. CIVITATIS. THEOD. REX

AD Comitatum supplices Herulos, auctore Deo, nostris venire iussimus constitutis. quibus nauis est præbenda subuectio. ne in patria nostra adhuc prouinciæ suæ laborare videantur inopia. Itaq; præsenti iussione commoniti, & nauis eis vsum, vsque ad Rauennatē vrbem, & annonas dierum quinq; sine aliqua dilatione prestate. nec aliquid eis necessariū deesse faciatis. Quatenus prouinciam se deseruisse ieiunam de copiæ inuentione cognoscant. sitque illis vberior peregrina terra, cū patria.

MARABADO. V.I. THEOD. REX

CONuenit, pietatem nostram petitiones supplicum salubri ordinatione disponere. quia subiectorum animi releuantur, quoties merentium querela componitur. Vir spectabilis itaq; Liberius dolenda nobis aditione suggessit, coniugem suam in vestro iudicio contra iuris ordinem prægrauatam. Quod si ita est, remotis præiudicijs, apud arbitros, quos partium consensus elegerit, te imminente, causa legibus audiatur. Qd' si illic finis negocij nequiuerit inueniri, per instructas personas, si tamen ipse venire non eligunt, nostro Comitatui concurrendi licentiam partibus non negamus. vbi nec redemptio sit forte suspecta, nec insidiosa possit nocere calumnia.

GODISCALCO

GODISCALCO. SAIONI. THEOD. REX

ASsidua solicitudine refouenda sunt, quę continuis exercitijs subiacere noscuntur. Quemadmodum enim subiecti veredorum necessario sufficiant labori, si permittatur excedi? Incitamentum siquidē improbæ presumptionis est, neglecta custodia. Legatorū itaq; nostrorū suggestione comperimus, Cursuales equos frequenti vsurpatione fatigari. & quos nos necessitatibus publicis cupimus custodiri, in vsum cognouimus priuatę voluntatis assumi. Atq; ideo in vrbe Roma ordinatione Prefecti prætorio & magistri Officiorum quouscq; vtilitas publica suaserit te residere censemus. vt nullum Gothorum vel Romanorum exinde egredi patiaris, nisi quos predictarū dignitatū Vices Agentes forte dimiserint. Et quod nobis frequēter vsurpatum esse suggeritur, si quis iuuitis his, quibus hæc cura mandata est, veredos presumere fortassis assumpserit, cuiuslibet nationis fuerit vel honoris, per vnum equum centum solidos mulctæ nomine cogatur inferre. Non q̄ tanti est vnius æstimanda iumenti læsio, sed quia grandi damno reprimēda est importuna præsumptio. Nullum præterea Saionum discursus facere patiaris. sed ad causam, quam directus fuerit, vno tantum itinere permittatur accedere, vel redire. Quibus in superiorem mulctam cadat interdicta frequentia paphipporum. Quin etiam onera centum librarū nullus excedat. Expeditos enim properare mittendarios volumus, non migrare censemus. Inertiam suam prodit, quisquis secum multa portauerit. nec cogitat de celeritate, qui delicata se malurit conuersatione tractare. Grues denicq;, pelagos transiturę, paruos lapillos vncis pedibus amplectūtur, vt nec eorum leuitas nimio vento rapiatur, nec natiua celeritas iniquis ponderibus ingraueť. Hoc imitari nequeunt, qui se ad publicas necessitates electos esse cognoscūt? Et ideo quinquaginta solidorū mulctā iam non veredarius, sed catabulnensis incurrat, quisquis vltra centum libras paphippum crediderit onerādum. His aūt, qui suprascriptarum dignitatum vicibus in Vrbe præsunt, te obseruare præcipimus. quatenus excessus, qui ab illis detectus fuerit, executione tua supradicta condemnatione puniatur. Si quos autem intemperans culpa perculerit, collectam quantitatem per Vices Agentes mancipibus mutationū volumus applicari. vt cursualis tractus inde habeat remedium, vnde hactenus sumpsit incōmodum. Mundanis siquidem rebus frequēter nascitur de aduersitate prosperitas. & homines cum lædere cupiunt, beneficia frequenter impertiunt. Sed omnia sic efficaciter ac diligenter implebis, vt prouocati bonis actibus deuotioni tuæ maiora committere debeamus.

EVSEBIO. V.I. THEOD. REX

POst tumultuosæ vrbis solicitudines tędiosas, & obseruationum molestias ingrauātes, magnitudo tua prouinciali desiderat amœnitate recreari. asserens, occupationum tibi causas præsentibus emersisse temporibus, quibus expeditis rurali desideras suauitate

gaudere

Universidad de Deusto
Biblioteca

gaudere. Et quia vera illa ſecuritas eſt, quæ noſtris iuſſionibus datur, cum tempus tibi fuerit occupationis emerſum, octo menſium inducias in Lucaniæ dulces receſſus noſtra auctoritate concedimus. vt ex illo tempore ſupputentur, cum te egredi ex Vrbe diuino fauore cõtigerit. Quibus peractis multorum deſiderio ad Romanas ſedes venire feſtina, cõuentui nobilium, & digna tuis moribus conuerſatione reddendus.

VNIVERSIS. PROVINCIALIBVS. ET. CAPILLATIS
DEFENSORIBVS. ET. CVRIALIBVS. SVAVIA
CONSISTENTIBVS. THEOD. REX

DIſtrictio ſemper ſubtrahi non decet regiæ iuſſionis. vt & audaces metus comprimat, & laceratos ſpes futura refoueat. Plerũq; enim denuntiata comminatio plus efficit, q̃ pœna componit. Et ideo, Deo auſpice, Fridibadum locis veſtris præeſſe cenſuimus. qui abactores animalium legitima ſecuritate coerceat, homicidia reſecet, furta condemnet, quietosq; vos a ſceleratis auſibus reddat, quos nunc præſumptio iniqua dilacerat. Viuite compoſiti, viuite bonis moribus inſtituti, nullum ratio, nullum promeritus honor excuſet. Neceſſe eſt, vindictæ ſubiaceat, qui prauis moribus obſecundat.

FAVSTO. PRAEPOSITO. THEOD. REX

CAmpani, Veſuuij montis hoſtilitate vaſtati, clementiæ noſtræ ſupplices lachrymas profuderunt. vt agrorum fructibus enudati, ſubleuentur onere tributarię functionis. Quod fieri debere noſtra merito pietas acquieſcit. Sed quia nobis dubia eſt vniuſcuiuſque indiſcuſſa calamitas, magnitudinem veſtram ad Nolanum ſiue Neapolitanum territoriũ probatæ fidei virum præcipimus deſtinare. vbi neceſſitas ipſa domeſtica quadam læſione graſſatur. vt agris ibidem diligenter inſpectis, in quantum poſſeſſoris laborauit vtilitas ſubleuetur. quatenus menſuratæ conferatur quantitas beneficij, dũ modus integer cognoſcitur læſionis. Laborat enim hoc vno malo terris deflorata prouincia. quæ ne perfecta beatitudine frueretur, huius timoris frequenter acerbitate concutitur. Sed nõ in totum durus eſt euẽtus ille terribilis. prẽmittit ſigna grauia, vt tolerabilius ſuſtineãtur aduerſa. Tantis enim molibus natura rixante montis illius hiatus immurmurat, vt excitatus quidam ſpiritus grãdiſono fremitu vicina terrificet. Fuſcantur enim aëra loci illius exalatione teterrima. & per totam pene Italiam cognoſcitur, quando illa indignatio commouetur. Volat per mare magnum cinis decoctus, & terrenis nubibus excitatis, tranſmarinas quoq; prouincias puluereis guttis compluit. Et quid Campania pati poſſit agnoſcitur, quãdo malũ eius in Orbis alia parte ſentitur. Videas illic quaſi quoſdam fluuios ire puluereos, & arenam ſterilem impetu feruente velut liquida fluenta decurrere. Stupeas ſubito, vſq; ad arborum cacumina dorſa intumuiſſe camporum, & luctuoſo ſubito calore vaſtata,

vaſtata, quæ lætiſſima fuerant viriditate depicta. Vomit fornax illa perpetua puniceas quidẽ, ſed fertiles arenas. Quæ licet diuturna fuerint aduſtione ſiccatæ, in varios fœtus ſuſcepta germina mox producũt. et magna quadam celeritate reparant, quæ pauloante vaſtauerat. Quæ iſta ſingularis exceptio? vnum montem ſic infremere, vt tot mundi partes probetur aëris permutatione terrere, & ſic ſuam ſubſtantiã vbiq; diſpergere, vt non videatur damna ſentire, longe lateq; pulueres rorat. vicinis autem quaſdam moles eructuat, & tot ſæculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur. Quis credat, tam ingentes glebas vſq; in plana deductas, de tam profundis hiatibus ebuliſſe? & ſpiritu quodam efflante montis ore cõſputas, quaſi leues paleas fuiſſe proiectas? Alibi cacumina magna terrarum localiter videntur ardere, huius incendia pene mundo datum eſt poſſe cognoſcere. Quemadmodum ergo non credamus incolis, quod teſtimonio poteſt vniuerſitatis agnoſci? Quapropter, vt dictum eſt, talem eligat veſtra prudẽtia, qui & remedia læſis conferat, & locum ſurreptionibus non relinquat.

SYMMACHO. PATRITIO. THEOD. REX

CVm priuatis fabricis ita ſtudueris, vt in laribus proprijs quædã mœnia feciſſe videaris, dignum eſt, vt Romam, quam domuum pulcritudine decoraſti, in ſuis miraculis continere noſcaris. Fundator egregius fabricarum, earumque comptor eximius. quia vtrunq; de prudentia venit, & apte diſponere, & extantia competẽter ornare. Notum eſt enim, quanta laude in ſuburbanis ſuis Romam traxeris. vt quem illas fabricas intrare contigerit, aſpectum ſuum extra vrbem eſſe non ſentiat, niſi cum ſe & agrorum amœnitatibus intereſſe cognoſcat. Antiquorum diligentiſſimus imitator, Modernorum nobiliſſimus inſtitutor. mores tuos fabricæ loquũtur. quia nemo in illis diligens agnoſcit, niſi qui & in ſuis ſenſibus ornatiſſimus inuenitur. Et ideo theatri fabricam, magna ſe mole ſoluentem, conſilio veſtro credimus eſſe roborãdam. Vt quod ab auctoribus veſtris in ornatum patriæ conſtat eſſe conceſſum, nõ videatur ſub melioribus Poſteris imminutum. Quid non ſoluas, o ſenectus, quæ tam robuſta quaſſaſti? Montes facilius cedere putarẽtur, q̃ ſoliditas illa quateretur. quando & moles ipſa ſic tota de cautibus fuit, vt præter artem additam, & ipſa quoq; naturalis eſſe crederetur. Hęc potuiſſemus forte negligere, ſi nos cõtigiſſet talia non videre. Caueas illas ſaxis pendentibus abſidatas, ita iuncturis abſcõditis in formas pulcherrimas cõueniſſe, vt cryptas magis excelſi montis crederes, q̃ aliquid fabricatũ eſſe iudicares. Fecerunt Antiqui locum tantis populis parem. vt haberent ſingulare ſpectaculum, qui Mundi videbantur habere dominatum. Sed quia nobis ſermo probatur eſſe cum docto, libet repetere, cur Antiquitas rudis legatur hæc mœnia condidiſſe. Cũ agricultores feriatis diebus ſacra diuerſis numinibus per lucos vicosq; celebrarent, Athenienſes primum agreſte principium in vrbanum ſpectaculum collegerunt. Theatrum Græco vocabulo viſorium nominantes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod eminus astantibus turba conueniens sine aliquo impedimento videa tur. Frons autem theatri Scœna dicitur,ab vmbra luci densissima,vbi a pa floribus inchoante verno diuersis sonis carmina cantabãtur. Ibi actus mu sicus & prudentissimi sęculi dicta floruerunt. Sed paulatim factũ est,vt ho nestissimæ disciplinæ, improborum consortia fugientes, verecunda se ex inde consideratione subtraherent. Tragœdia ex vocis vastitate nominatur. Quę concauis repercussionibus roborata, talem sonum videtur efficere, vt pene ab homine non credatur exire. Erigitur autem in hircinos pedes, quia si quis inter pastores tali voce placuisset,capri munere donabatur. Comœ dia a pagis dicta est. Comus enim pagus vocatur. vbi rustici gestientes, hu manos actus lætissimis carminibus irridebant. His sunt additæ horcista rum loquacissimæ manus,linguosi digiti,silentium clamosum,expositio ta cita, quam musa Polymnia reperisse narratur. ostendens, homines posse & sine oris affatu suum velle declarare. Musæ vero Eoa lingua quasi ho musæ dicuntur,qp inuicem sicut virtutes necessariæ sibi esse videantur. His leuium pennarum acumina ideo in fronte pinguntur,quoniam earum sen sus celeri cogitatione subuectus res altissimas intuetur. Pantomimo igitur, cui a multifaria imitatione nomen est,cum primum in scœnam plausibus inuitatus aduenerit,assistunt consoni chori diuersis organis eruditi. tunc il la sensuum manus oculis canorum carmen exponit,et per signa composita, quasi quibusdam literis edocet intuentis aspectum. in illaqꝫ leguntur apices rerum. & non scribendo facit,quod scriptura declarauit. Idem corpus Her culem designat & Venerem,fœminam præsentat & marem,Regem facit & militem, senem reddit & iuuenem. vt in vno credas esse multos, tam va ria imitatione discretos. Mimus etiam, qui nunc tantummodo derisui ha betur,tanta Philistionis cautela repertus est, vt eius actus poneretur in li teris. quatenus mundum curis edacibus æstuantem, lætissimis sententijs temperaret. Quid acitabulorum tinnitus? quid dulcissimi soni referam varia percussione modulamen? quod tanta gratia iucunditatis accipitur. vt inter reliquos sensus auditum sibi ad munus summum tunc homines æsti ment fuisse collatum,vt ætas subsequens miscens lubrica priscorum inuen ta traxit ad vitia. & quod honestæ causa delectationis repertum est,ad vo luptates corporeas præcipitatis mentibus impulerunt. Hos ritus Romani, sicut cæteras culturas, ad suam Rempub. vtiliter trahentes, ædificium alta cogitatione conceptum magnanimitate mirabili condiderunt. Vnde non immerito creditur,Pompeius hinc potius Magnus fuisse vocitatus. Et ideo siue Masculis pilis contineri, siue talis fabrica refectionis studio potuerit in nouari, expẽsas vobis de nostro Cubiculo curauimus destinare. vt & vobis acquiratur tam boni operis fama,& nostris temporibus videatur Antiqui tas decentius innouata.

MAGNI

MAGNI AVRELII CASSIODORI

VARIARVM . LIBER . QVINTVS

REGI.VNARNORVM . THEODERICVS . REX



Vm piceis, tymbribus,&pueros gentili candore lucentes,& spathas nobis,etiam arma desecantes, vestra fraternitas destinauit, ferro q̃p auri prætio ditiores. Splendet illic claritas expolita,vt intuen tium facies fideli puritate restituant. quarũ mar gines in acutum tali æqualitate descendunt,vt nõ limis compositæ,sed igneis fornacibus credantur effusæ. Harum media pulchris alueis excauata, quibusdã videntur crispari posse vermiculis. vbi tanta varietatis vmbra concludit, vt intextum magis credas varijs colori bus lucidum metallum. Hoc vestra cotis diligenter emundat. hoc vester splendidissimus puluis ita industrioſe detergit, vt speculũ quoddam viro rum faciat ferream lucem. qui ideo patriæ vestræ natura largiente conces sus est,vt huius rei opinionem nobis faciat singularem. Enses, qui pulchri tudine sui putentur esse Vulcani. qui tanta elegantia fabrilia visus est exco lere,vt quod eius manibus formabatur,non opus mortalium,sed credere tur esse diuinũ. Proinde per illum & illũ Legatos nostros soluentes debitæ salutationis affectum, arma vestra libenter nos accepisse declaramus. quæ bonæ pacis studia transmiserunt, vicissitudinem muneris pro expensarum vestrarum cõsideratione tribuentes. quę tantum vobis reddantur accepta, quantũ nobis vestra fuere gratissima. Pręstent diuina concordiam. Vt hęc inter nos grata mente facientes, gentium nostrarum velle iungamus, & in uicem soliciti mutuis possimus vtilitatilus obligari.

HAESTIS . THEODERICVS . REX

ILlo & illo legatis vestris venientibus,grande vos studium noti tiæ nostræ habuisse cognouimus. vt in Oceani litoribus consti tuti,cum nostra mente iungamini. suauis nobis admodũ & grata petitio. vt ad vos pueniret fama nostra, ad quos nulla potuimus destinare mandata. Amate iam cognitũ, quem requisistis ambienter igno tum. Nam inter tot gentes viam præsumere, non est aliquid facile concu pisse. Et ideo salutatione vos affectuosa requirentes,indicamus succina,quę a vobis per harum portitores directa sunt,grato animo fuisse susceptа.quę

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad uos Oceani vnda descendens,hanc leuissimam substantiam, sicut & vestrorum relatio continebat,exportat. sed vnde veniat incognitum vos habere,dixerunt,quam ante omnes homines patria vestra offerente suscipitis. Hæc quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis Oceani ex arboris succo defluens,vnde & succinũ dicitur,paulatim Solis ardore coalescere. Fit enim sudatile metallum tenuitudo perspicua. modo croceo colore rubens, modo flammea claritate pinguescens. vt cum in maris fuerit delapsa confinio,æstu alternante purgata,vestris litoribus tradat̃ exposita. Quod ideo iudicauimus indicãdum, ne omnino putetis notitiam nostram fugere,quod occultũ creditis vos habere. Proinde requirite nos sæpius per vias,quas amor vester aperuit. Quia semper prodest diuitũ regum acquisita concordia. Qui dum paruo munere leniuntur, maiore semper compensatione prospiciunt. Aliqua vobis etiam per Legatos vestros verbo mandauimus. per quos quæ grata esse debeant, nos destinasse declaramus.

HONORATO. V.I. QVAESTORI. THEOD. REX

VSu quidem prouenit,benemeritos dona nostra suscipere. Sed tu iure hereditatis principis tibi beneficia vendicasti. Honorem fratris adipisceris,quia sapientia quoq; germanus es. Ab eisdem bonis non repellimus,quem similem comprobamus. Eant nunc parentes ac liberi, & bonarum artium studia incitamento similitudinis æmulentur. Nouam in te fecimus legem, parentes in administratione succedere. Hic prouectus non adimitur, & mutatur. quia licet persona subrogata sit, familię tamen non deficit,quod gratissimus germanus acquirit. O vere vestris meritis electi, & auspitio nominis honorati. Præsentiunt quædam parentes,positis in prole vocabulis. et vt venturarum rerum cursus ex alto est imperio diuinitatis,cogitatio præsagantis instruitur. loqui datur, quod nos sensisse nescimus. sed post casum reminiscimur, quod ignorantes veraciter dixeramus. Tali igitur homine decoratus eualuit. eualuit inquam, ac se honoribus Palatinis, iudicio nostro laudatus immiscuit. dignitatem sumens, quam solemus dare prudentibus. Hoc plane supra cæteros adipiscens, q̃ potuit emergere post electos. Sub genij nostri luce intrepidus quidem, sed reuerenter astabat,oportune tacitus,necessarie copiosus,curarũ nostrarum eximium leuamen,& cum potestatis nostrę gratia ditaretur,morum magis laude contentus, mediocribus se potius exæquabat. Viuit apud nos recordatio bonorum,quia fides hominis nescit cum morte deficere. Secreta nostra, quasi obliuisceretur,occuluit. iussa,quasi scriberet,per ordinẽ retinuit. sine auaritia seruiens, & gratiam nostrã summa cupiditate perquirens. Diuertimus quidem ad benemeriti laudes,sed compendio sermonis assumpti, cum illum referimus, te docemus. Fuit nimirũ gratus, q̃ apud nos & post fata esse nõ desinit. Tristes querimus,quem nos amisisse dolemus. Sed acerbum casum mitigat,quod ei vicaria virtute succedis. Quia nemo perdidisse se sentit,quod in alterũ inuenisse cognoscit. Non extranea secteris exempla, cui

cui domestica suppetunt tam magna præconia. Tu decõratus ex illo es, ille honoratus ex te est. Adunent se merita,quãdo se iunxere sic nomina. Nam de te iustius credimus meliora, qui sequeris. quia semper est diligentior imitator prioris. quando te præcedentis bona licet eligere, & noua cumulare. Atq; ideo ab Indictione tertia Quęsturę te dignitate subuehimus,facimusque nostri consilij claritate viuere honoratum. vt esse nunc incipias, quod ante vocabaris. Age nunc inhærendo iustitiæ. vt qui inexperto honorem dedimus,meliora tibi probatissimo conferamus.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEOD. REX

CErtum est P. C. prudentibus viris vestrum florere consilium. Sed & hoc probatur egregium,quod vobis permiscetur dignitas literarum. Omnes enim,quos ad Quæsturæ culmen euehimus,doctissimos æstimamus. quales legum interpretes,& consilij nostri decet esse participes. Dignitas,quę nec diuitijs nec solis natalibus inuenitur,sed tantũ eam doctrina cum coniuncta potest impetrare prudentia. Nam licet in honoribus alijs beneficia conferamus, hinc semper accipimus. Est nimirum curarum nostrarum felix portio. ianuam nostrę cogitationis ingreditur. pectus,quo generales curę voluuntur,agnoscit. Æstimate quid de illo debeat iudicari, qui tanti particeps sit secreti. Ab ipso legũ peritia postulatur. illuc vota confluunt supplicantium. & quod est omni thesauro preciosius, penes ipsum ciuilitatis nostræ fama reponitur. Quæstore iusto innocentũ conscientia sit secura, improborum tantũ vota redduntur anxia. & cum malis surripiendi spes tollitur,studium bonis moribus adhibetur. Vnicuiq; propria iura custodit, pecunię continens,æquitatis profusus,nescius decipere,promptissimus subuenire. ingenio principis seruit,q̃ vniuersa superat. illius ore loqui cogit̃,cui nullus similis inuenitur. Hunc locum vitijs vacuum,virtutibus plenum,qui sub nostra potuit expedire præsentia,nonne vobis dignus est esse collega? Scitis enim qua glorietur stirpe prouectus. Meministis enim Decoratum,aduocationis laboribus insudantem,qua se vnicuiq; bonorum probitate coniunxerit. Causis vestris fidelis orator affuit,necessarijs rebus assistens,iudicantis portauit animum ad subsellia cognitorũ. cui merito frequens palma contigit,quia sapienter alleganda tractauit. Pudoris enim sustinere iacturam nesciunt, qui se prius iudice corriguntur. Inferior gradu præstabat viris consularibus se patronum, & cum honoribus vestris impar haberetur, Patritius ei dictus est in celeberrima cognitione susceptus. Nimis rarum est P. C. solidum loqui,& cui multa necesse est dicere,titubantia non proferre. Hoc in Decorato certissimum fuit. hoc & ante nostra iudicia vos probastis. Quis enim tempore suo eum quasi gubernatorem litium ignorare potuit,qui causarum scopulos transire contendit? Legibus profecto minus indiguit, qui eius solatia non quæsiuit. Iam non de morte festinata conquerimur. ex huius fœcunda pullulauit stirpe germanus. Nã qui prius fratris vmbra tegebatur, illo naturę lege

Universidad de Deusto
Biblioteca

subducto, famæ suæ comas per aperta distendit. Bona siquidē germinis iu-stæ præcox intulit, qui nascendi ordine primus eualuit. Sed sœtura nobilis fructū, quem in decessore perdidit, in successore seruauit. Cōcordat huic fa-miliæ ramus ille ditissimus, qui Virgiliano carmine semper enascitur. Hoc enim auulso, non deficit alter aureus, & simili frondescit virga metallo. Nu-triuit quippe & hic aduocatione facundiam, opinionem Romanæ vrbis ce-dens fratri, Spoletinorum se maluit miscere negocijs. res tantum dura, quā-tum a vestra prudentia cognoscit segregata. Inter bene moratos enim asse-ruisse iustā, facillimum fuit. prouincialibus autem, se vaga libertate tractan-tibus, nimis arduū. Videtur iuris suasisse modestiam, vbi ipsi quoq; iudices improba plerunq; cupiditate rapiūtur. & quantū sibi inter mediocritatem videntur esse præcipui, tantū non sinunt suis volūtatibus obuiari. Inter ta-lia leges vindicare difficile est, & magnæ persuasionis vis ad propositū recti venalitatem reuocare iudicantis. Sumite ergo P. C. libenter nostra iudicia, & Honoratū Quæsturę culmine prouectum gremiū vestrū gratāter exci-piat. Dignus est em̄ a vobis diligi, qui par tantis honoribus meruit reperiri.

MANNILAE . SAIONI . THEODERICVS . REX

LAudabile est, in illa parte geminare custodiā, quam constat Rei-pub. necessitatibus exquisitam. Per hanc em̄ & legationum vtili-tas, & ordinationum nostrarū celeritas explicatur. Hæc & auli-cis potestatibus per varias iussiones ministrat effectū. Hæc cre-bris illationibus nostrū ditat ærariū, vt pene quicquid in Repub. gerit̄, cura-sualī ministerio compleat̄. Decet proinde semp esse paratū, quod vtilitatibus publicis ꝓbatur accommodū, ne qd̄ ad celeritatem repertū est, incongruā potius festinantibus inferat tarditatē. Atq; ideo Præfecti Prętorio & Ma-gistri Officiorū, vbi pro publica vtilitate delegerint, ordinatiōe locatus, ex cedentiū improbam pręsumptionē tali te præcipimus districtione resecare. vt siue Gothus sit, aut Romanus, qui sine nostra, vel eorū, quorū interest, euectione veredū pręsumit attingere, per vnū equum centū statim Solidos a te cogat̄ exoluere. & de illis quoq; pari seueritate censemus, qui supra eue-ctionum numerū Cursuales equos vsurpare pręsumūt. Parhippis quinetiā non vltra q̄ centum libras iubemus imponi. Nimis em̄ absurdum est, vt a quo celeritas exigitur, magnis ponderibus opprimat̄. Auis ipsa onere gra-uata pigrescit. Carinæ, quæ labores non sentiunt, repletæ grauius mouent̄. Quid quadrupes facere possit, qui præssus nimietate succūbit? Si quis aūt a modulo definito amplius fuerit habere repertus, duarū vnciarū auri dam-no feriatur. Quam summā protinus exactam, sicut iam anterioribus edictis constitutū est, per officiū Magisterię dignitatis cursui proficere debere cen-semus. Iustum est enim, vt cogatur illa vendere, vnde publicum equū male noscitur oneraſſe. sit nuditatibus expeditus, qui voluntate noluit esse celer-rimus. Præterea cōmonemus, vt Prępositorū cōmoda non præsumas, nec quicquid eos potestatis habere, reuerēda sanxit Antiquitas, aliqua vsurpa-tione degenies. Nos enim per te geminare volumus custodiam, nō antiquę consuetudinis remouere cautelam.

STABV.

STABVLARIO . COMICIACO . THEOD. REX

SVscipienda precatio est, quæ publicis vtilitatibus nō repugnat. & amplectenda desideria priuatorū, quæ sic remediū quærunt, vt nobis non videantur generare dispendiū. Viri itaq; clarissimi Ioannis querela cōperimus, Thomatē domus nostrę certa prę-dia suscepisse, idest illud atq; illud, & nunc decem millia Solidorū reliqua-torem nostris vtilitatibus extitisse, & per diuersas ludificationes nō implere debitam quantitatē. quod apud nos quoq; procerum nostrorū suggestione perclaruit. Ideoq; causam tali credimus remedio muniēdam, vt vniuersam substantiā supradicti Thomatis sub hac conditione fixis titulis publico de-beas applicare, quatenus si intra Cal. Septembrium diem, quod ratione-biliter exponitur, a Thomate minime fuerit exolutum, prædicta substantia Ioanni viro clarissimo contradatur, qui eius debitum luere nostro promisit ærario. Quod si obligationem suam prædictus Thomas soluere intra præ-finitum tempus fortasse potuerit, vniuersa ei, quæ sublata sunt, illibata red-dantur. ita vt nec fiscus noster sustinere videatur incōmoda, & nos cogno-scamur subiectis solitam prestitisse iustitiam. Possemus enim adhuc vltra differre, si quid prodesset negligentissimū sustinere, quem per tam longum temporis spatium semper inuenimus imparatum.

IOANNI . V.C . ARCARIO . THEOD. REX

DEcet eorum vota in tantū reddere, qui malunt vtilitates publicas continere. nec patimur de damno proprio esse solicitos, qui nos a dispēdijs fecere securos. Tua igit̄ suggestione comperimus, per illā Indictionē patrimonij nostri prædia in Apulia prouincia cō-stituta, id est illud atque illud, honesto viro Thomati libellario titulo cōmi-sisse. Sed cum male administrando suscepta, vsq; ad decem millia Solidorū de Indictiōibus illa atq; illa reliqua torem publicis ratiōibus extitisse. Qui a proceribus nostris frequenter admonitus, debita reddere detestabili callidi-tate neglexit. Et ne tibi aliqua in posterū quæstio nasceret̄, publicis vtilitati-bus debitā quantitatē, sub hac ratione satisfacere te velle testaris, si tibi præ-dia supradicti debitoris loco pignoris contradant̄. Hinc est, ꝙ desiderium tuū, iusta ratione conceptū, præsenti iussione firmamus. Primū vt nullā ex hac re nomine publico metuas quæstionem. deinde sub hac conditione tibi vniuersam substantiā, quā vel nunc tenet, vel primo tempore possidebat cū nostris rationibus obnoxius esse iā ceperat, Thomatis debitoris addicimus, quā pridē nostro nomīe fixis titulis fecimus vēdicari. Hoc tantū humanita-tis intuitu relaxantes, vt vsq; ad Cal. Septembriū spatiū habeat reddēdi de-bitā quantitatē. minusue, cū ad supradictā diem tu pecuniā viro illustri Co-miti Patrimonij nostri, quę debet̄, intuleris, facultas eius vniuersa, sicut dixi-mus, tuis cōpendijs applicetur. Quod triste nō credimus esse perdenti, quā-do nec ex toto videt̄ amittere, quod te generū suū cognoscit acquirere. Nā quod poteras adipisci iure successionis, conditione a te possidetur emptoris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANASTASIO . CONSVLARI . THEOD . REX

GOnuenit,ſublimitatem tuam noſtris iuſſionibus obedientię tri-buere ſedulam firmitatem,quatenus ad effectum trahatur,quod ſalubri ordinatione diſponitur. Moderate ſiquidem nouit iniū-cta ſibi complere prudentia,& ſine ingratitudinis næuo delega-ta explicabili procurare conſilio. Atq; ideo ad Fauentinam ciuitatē ciuilem executionem te præcipimus deſtinare,vt ſine cuiuſquā cōcuſſione vel dam-no quadrati ad Rauennatem vrbem ex noſtra iuſſione deuehātur. Quate-nus & noſtro deſiderio gratulemur impleto,& querulis vociferandi ampu-tetur occaſio.

POSSESSORIBVS . FELTRINIS . THEOD . REX

NEceſſitas publica multorum debet deuotione compleri,quia nō decet paucos ſuſcipere,quòd conſtat plurimis expedire. ne regia iuſſa tepefacta lenteſcant, dum res vtilis delegatur infirmis. In Tridentina igitur regione ciuitatem conſtrui noſtra præcepit auctoritas. Sed quia territorij paruitas magnitudinē operis ſuſtinere non poteſt,hoc ſolicitudo noſtra proſpexit,vt acceptis mercedibus competenti-bus pedaturam murorum omnes in commune ſubeatis, qui vicinitate iun-gimini. Quatenus accōmodato ſolatio ſecurius impleatur,quod paucis in-explicabile fortaſſe cognoſciē. Hac conditione ſcilicet,vt nullus ab his one-ribus excuſetur,vnde nec diuina domus excipitur.

VERANO . SAIONI . THEODERICVS . REX

CVm, Deo iuuante,pro defenſiōe generali feliciſſimus producā-tur exercitus,prouidendum eſt,ne aut ipſi penuria inconſulta fa-tigentur,aut (quod dici nefas eſt)vaſtationem noſtræ videātur prouinci æ ſuſtinere. Primus enim proſperitatis gradus eſt, ſuis non eſſe damnoſum. vt pro quorum compendio laboramus,eorum nō vi-deamur afflixiſſe fortunas. Et ideo deuotioni tuæ præſenti auctoritate de-legamus,vt multitudinem Gepidarum,quam fecimus ad Gallias cuſtodiæ cauſa properare,per Venetiam atq; Liguriam ſub omni facias moderatio-ne tranſire. Quibus ne aliqua excedendi præberet occaſio, per vnāquanq; hebdomadam ſumptus eis tres Solidos largitas noſtra direxit. Vt illis cum prouincialibus noſtris non rapiendi votum,ſed commercij ſit facultas. Il-lud plane pro cunctorum quiete laborātibus indulgentia noſtra concedit, vt ſi aut eorum carpenta itinere longiore quaſſantur, aut animalia attrita langueſcūt,te cuſtode atq; mediante cum poſſeſſoribus ſine aliqua oppreſ-ſione mutētur. Vt qui daturi ſunt corpore aut qualitate meliora, quanuis paruis ſanis animalibus acquieſcant. Quia incerta eſt vita eorum,qui nimia fatigatione laſſantur. Ita fit, vt nec illis deſit ſubuectio neceſſaria, & nullus ſe læſum tali permutatione cognoſcat.

GEPIDIS

GEPIDIS . AD . GALLIAS . DESTINATIS . THEOD . REX

IVerat quidem diſpoſitionis noſtræ,vt vobis iter agentibus an-nonas iuberemus expendi. ſed ne ſpecies ipſæ aut corrupte aut difficile præberentur,in auro vobis tres Solidos per hebdomadam eligimus deſtinare. vt & manſiones vobis,prout herbarum co-pia ſuppetit,poſſitis eligere , & quod vobis eſt aptū magis,emere debeatis. Nam & poſſeſſorem hæc res occurrere facit, ſi vos neceſſaria comparare cognoſcit. Mouete feliciter. Ite moderati. Tale ſit iter veſtrum,quale debet eſſe,qui laborant pro ſalute cunctorum.

THEODAHADO . VIRO . ILLVSTRI . THEOD . REX

SI iuſtitiam colere vniuerſos & amare præcipimus,quanto magis eos,qui noſtra proximitate gloriātur? quos omnia decet ſub lau-de gerere,vt regię poſſint fulgorem conſanguinitatis oſtendere. Hęc eſt enim indubitata nobilitas,quę moribus probatur orna-ta. Quia pulchrum eſt commodum famæ, fœda neglexiſſe lucra pecuniæ. Argolici itaque viri illuſtris, & Amandiani viri clariſſimi hæredes, ſuppli-ci nobis aditione conquesti ſunt, Palentianam maſſam , quam eis pro com-penſatione largitas noſtra transfuderat,vt caſæ Arbitanæ amiſſionem hac commoditate ſolarentur,ab hominibus veſtris,nullis cauſis extantibus,in-decenter inuaſam. & inde creuiſſe culpandæ ſurreptionis vitium,vnde dari debuit glorioſæ moderationis exemplū. Quapropter ſi nullo mendacio aſ-ſerta viciantur,magnitudo veſtra,quæ ſunt ablata,reſtituat. & ſi quid vo-bis creditis poſſe competere,ad Comitatum noſtrum inſtructam iure per-ſonam modis omnibus deſtinate. vt ciuiliter plantata cauſatio finem de le-gibus ſortiatur. Ibi enim quicquid geritur,inuidiæ tuę potius applicatur. & maiora detrimenta famæ ſuſcipis, dum talia non vitare contendis. hic au-tem confligunt cauſæ iuribus ſuis , & ſine derogatione quilibet mediocris addicitur,quando iuſtitia teſte ſuperatur.

EVTROPIO . ET . ACRETIO . THEOD . REX

STudium veſtrum Reipub. grata mente debetis impendere, quia nos agnouiſtis benemeritis multa preſtare. Nam pietatis intuitu viciſſitudinem pollicemur, cum tamen pro vobis omnia iubea-mus. Atq; ideo preſenti iuſſione vos credidimus admonēdos, vt annonas conſtitutas,exercitui præbere debeatis. quatenus nec illi negligan-tur aduerſo voto,nec prouinciales pernicioſa debeat grauare direptio. Cō-modius enim ſub expenſarum lege tenetur exercitus,cū ſi cuncta fuerit va-ſtare permiſſus. Ignorat modum ſeruare præſumptio,nec poteſt ſub modo redigi,cui licentia fuerit viſa concedi. Quapropter conſequatur exercitus a-limoniam deputatam, ne qua pars prædictam poſſit ſuſtinere moleſtiam.

SEVERIANO

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEVERIANO . V.I . THEODERICVS . REX

VStitiæ ratio persuadet, excedẽtes reprimere, vt ad cunctos posſit quietis suauitas peruenire. Nam quemadmodum æquabilitas agitur, si vires mediocrium consurgere non sinantur? Prouincialium itaq; nostrorum sæpius querela comperimus, possessores idoneos Suauiæ non solum causarum suarum tributariam functionem in tenuem relisisse fortunam, verumetiã scelerato commercio aliquid exinde suis applicare compendijs. vt functio publica cõmoditas sit priuata. Hoc quidem per plurimos desiderauimus corrigi. sed hactenus in tuam laudem videtur potuisse differri. quatenus fides haberetur acceptior. Quando post multos neglectus studium vestrum efficacissime cõprobatis. Atq; ideo prudentia, qua notus es, vniuersum possessorem cõsiderata iustitia te iubemus inspicere. & æquabilitatem tributi hac ratione moderari, vt quę sub alijs facta est omnium redemptione cassata, pro possessionũ atq; hominum qualitate assis publicus imponatur. Sic em̃ & iustitia perficitur, & vires nostrorum prouincialium subleuãtur. Eos autem, quos sine iussione nostra censum imposuisse constiterit, & pro libito suo quorundã onera in alios proiecerunt, legum seueritas insequatur. vt omnia illis detrimenta sarciant, quibus incompetenter damna fecerunt. Illud quoq; prȩcipimus inquirendum, vt inter Defensores, Curiales, & Possessores illatorũ ratio vestigetur. & quicquid ab octaua Indictione nuper exempta, super tributariũ solidum se possessor probauerit intulisse, nec nostro ærario constat illatum, aut in expensis necessarijs, quæ in prouincia factæ sunt, iusta ratione non claruerit erogatum, iniqua præsumptio modis omnibus corrigatur. Hanc quoque partem non estimes negligendam, vt si hoc, quod tabularius a cubiculo vestro suscepit, rationabiliter non docetur expensum, ab iniusto retentatore reddatur. Quid enim tam absurdum, nisi vt liberalitas nostra, quam vniuersis proficere volumus, nunc a paucis furtiuo compendio opprimatur? Iudices quoq; prouincię vel Curiales atq; Defensores tam de cursu, q̃ de alijs rebus, illicita dicũtur possessoribus irrogare dispendia. Quod te perquirere, & sub ratione legum emendare censemus. Antiqui Barbari, qui Romanis mulieribus elegerint nuptiali fœdere sociari, quolibet titulo prędia quę siuerint, fiscũ possessi cespitis persoluere, ac super indicticijs oneribus parere cogantur. Iudex vero Romanus propter expensas prouincialium, quæ grauare pauperes suggerũtur, per annum in vnumquodq; municipium semel accedat. cui non amplius, q̃ triduanę prębeantur annonæ, sicut legum cauta tribuerunt. Maiores enim nostri discursus iudicũ non oneri, sed compendio prouincialibus esse voluerunt. Domestici Comitis Gothorum, nec non et Vicedomini aliqua dicuntur prouincialibus concinnatis terroribus abstuliſse. Quibus iustitia vestra in examinationẽ deductis, quicquid super hac parte inique gestum esse cognouerit, amotis dilationibus, legaliter ordinabit. His ergo ac talibus, quę ad vtilitatem publicam vel prouinciales pertinent, sub omni ratione discussis, ea te per omia volumus agere, quę nostrę

manſuetudini non debeant displicere. Illud sane prouidentia nostra respexit, vt omnibus a te solicita atque æquabili indagatione compertis, polipticí iubeantur adscribi. Quatenus & testimonia fidei vestræ clareant, et nulla post hac, quæ abrogari volumus, semina fraudis iterentur.

VNIVERSIS . POSSESS . IN . SVAVIA . CONSTITVTIS . TH . REX

LIcet cunctis laborantibus Comitatus noster concedat, Deo auxiliante, iustitiam. & hinc remedia subiectis ad reliquas regni partes, quasi a viuo fonte descendant. tam frequenti aditione permoti, ingeniosa pietate reperimus, & equitatem vobis concedere, & fatigationẽ longi itineris abrogare. Quia dulciora sunt beneficia, quę nullis difficultatibus obtinentur. Misimus itaque illustrem & magnificum Seuerinum nostris institutionibus eruditũ, vt hoc apud vos gereret, quod nobis semper placuisse cognouit. Vidit enim q̃ honorabilis apud nos iustus habeatur, quemadmodum bonis actibus clementia nostræ serenitatis arrideat. Exercet profecto, qđ nos gratanter estimat accipere. nec potest amari rapacitas, cõtinenti principi nulla redẽptione placitura. Prȩsumentes ergo conueniat ad eum læsorum tumultus. speret remedium qualibet pressus iniuria. Difficultatem vobis querelæ submouemus, dum in ipsis cunabulis scelera cõmissa resecantur, sine aliqua formidine alieni tributi sarcina grauatus exclamet accepturus remedium, quod de legibus habet. Sic enim confidimus. quia per eos, quos instituta nostra componunt, innocentibus detrimenta non veniant. Qualia vero pro quiete vestra, vel æqualitate tributorum disponẽda censuimus, oracula nostra, quę dedimus ad supradictum virum illustrem Seuerinum, vulgata declarabunt. vt vnusquisq; vnde supplicare debeat, euidenter agnoscat.

ABVNDANTIO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

VAnuis vtilia Reipub. nostra semper consuetudine censeamus. & ob id omnibus possint esse gratissima, quę iubemus, quia cunctis profutura noscuntur. tractandum tamen est, vt principis desiderium nulli existere debeat onerosum. Nam & si præclare cogitata nõ bene agantur, ingrata sunt. illud autem solummodo perfectum dicitur, quod de voluntate simul & actione laudatur. Cum nostrum igitur animum frequens cura pulsaret, naues Italiam non habere, vbi tanta lignorum copia suffragatur, vt alijs quoq; prouincijs expetita transmittat, Deo nobis inspirante decreuimus, mille interim dromones fabricandos assumere. Qui & frumẽta publica possint conuehere, & aduersis nauibus, si necesse fuerit, obuiare. Sed tantæ rei quem desideramus effectũ, magnitudinis vestræ solicitudine credimus esse procurandũ. Ideoq; per cunctam Italiam directis artificibus apta operi ligna perquire. Et si cubi cupressos aut pinos repereris in vicinitate litoris, dato cõpetenti prætio dominis consulaẽ. Hæc enim tantũ sunt, quæ ad taxationem vocentur. Cætera vilitate sui nõ indigent estimari. Sed ne prouisio nostra in medijs conatibus deserta lãguescat, nautarũ te iubemus sub moderatione iam nunc cõpetentẽ numerũ, deitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuuãte procurare. Et ſi is qui nobis neceſſarius ęſtimatur, ſeruus fuerit alienus, aut conducat eũ claſſibus ſeruiturũ, aut ſi hoc ipſe magis elegerit, accepto prætio rationabili publico cedat ſui iura dominij. Si vero libertate gaudet electus, quinos Solidos Donatiuũ & Annonam ſe nouerit accipere cõpetentem. Eo modo & illi tractandi ſunt, qui a ſuis dominis exuunt. quando libertatis genus eſt, ſeruire rectori. Frequenter enim laborum patientes exiſtunt, quibus diſtricti domini colla præſſerunt. ita tamen, vt ſupradicti nautæ curarum nomine pro hominum qualitate, binos aut trinos ſolidos, a noſtra debeant ſede percipere. quatenus vnuſquiſq; cũ fuerit admonitus, paratus debeat inueniri. Piſcatores vero nõ iubemus in hac definitione concludi, quia dolenter amittit, qui ad procurandas delitias poſſidetur. Quando & altera conſuetudo eſt ventis ſæuientibus occurrere, & litora piſcoſa ſulcare.

ABVNDANTIO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

ALacriter incumbendum eſt inchoatis, cum iam vicinitas perfectionis arriſerit. quando ſpes effectus tædium laboris excludit. & magnum genus incitamẽti, credere deſiderata compleri. Dudum igit magnitudini veſtræ, ex Italiæ litoribus officia iuſſimus præparare nautarũ. vt dromones quos induſtria fabricare valuiſſet, manus remigũ prouiſa ſuſciperet. Sed tu iudicio noſtro, electionicq; reſpõdens, oſtendiſti q̃ fuerit indubitata perfectio, efficaciſſimis imperaſſe, quod quęritur. Renuntias illico completũ, quod vix credi poterat inchoatũ. Vt pene quanta velocitate nauigari ſolet, conſtructio nauiũ tanta ſit celeritate completa. Nec ſolum verba narrata ſunt. obtuliſti oculis noſtris ſubito claſſeam ſyluam, domos aquatiles, exercituales pedes, qui nullo labore deficiant, ſed inconcuſſos homines ad deſtinata perducant. Trireme vehiculũ, remorum tantum numerum prodens, ſed hominũ facies diligenter abſcondens. Hoc primum inſtituiſſe legimus Argonautas. Quod & armatis aptum, & congruum probatur eſſe cõmercijs. vt qui peregrinas claſſes optabamus aſpicere, nũc mittamus alijs prouincijs & terrorem pariter & decorem. Ornaſti Rempub. tua inſtitutione reparatam. Non habet quod nobis Græcus imputet, aut Afer inſultet. Illud apud nos inuidi vigere reſpiciunt, vnde illi per magna prætia ſua vota complebant. Nũc prædictis rebus armamenta procura, vela præcipue alas nauium facientia, linum volatile, quidã ſpiritus currentium carinarum, prænuntia mercium, auxilia quieta nautarum. quorum beneficio conficiunt ocioſi, quod a celerrimis auibus vix probatur impleri. Hoc Iſis rati prima ſuſpendit, cum per maria Apochran filium ſuum audaci fęmina pietate perquireret. Ita dum materna caritas ſuum deſideriũ feſtinat explere, Mundo viſa eſt ignota reſerare. Atq; ideo diuino nobis auxilio ſuffragante, cuius virtutis eſt hominum vota perficere, proxima die Iduum Iuniarũ ad vrbem Rauennatem congregatio nauiũ cuncta conueniat. quatenus res vicino fine gaudentes, ad pleniſſimũ perducãtur effectũ.

ſed

ſed quoniam dromonum numerum, iuuante Deo, cupimus ampliari, ſiqua ligna fabricis eorum neceſſaria per vtranq; Padi ripam potuerint inueniri, nullo obſiſtẽte iubemus abſcidi. Quia ſine præiudicio dominorũ, operi tantum præſenti volumus iniuncta cõcedi. Mittat Padus noſter indigenas pelago naues, & abies quę fluentis amnicis nutrita ſurrexit, marinarum ſuperare cumulos diſcat vndarum. Illud etiam magnopere credidimus amputandum, quod veſtra fieri ſuggeſtione comperimus, ne quis in fluminibus nauigeris diuerſis territorijs meantibus, id eſt in Mincio, Ollio, Auſere, Arno, Tiberi, audeat fluminum alueos piſcandi ſtudio turpiſſima ſæpe concludere. & quæ ſunt præſumpta protinus auferantur. Pateat amnis in nauium curſus. ſufficiat humano deſiderio conſuetis artibus delitias quærere, non cõmento ruſtico libertatem fluminis impedire. Ne, quod dici nefas eſt, vtilitati publicæ voluptas priuata obſtitiſſe videatur.

VVILIAE . V. I . COMITI . PATRIMONII . THEOD . REX

VTilitas publica ſicut ad conſeruationem reſpicit omnium, ita debet perfici ſtudio ac labore cunctorum. Quia magnæ laudis occaſio eſt, ſi in cauſa cõmuni aliquid ſingulariter videatur impleri. Facit enim vnde commendetur & reliquis, qui tamen & ſibi ſe profuiſſe cognoſcit. Pridem igitur nos iuſſiſſe meminiſti, vt per domũ noſtram nauigandi quærerentur artifices. Quos, Deo auxiliante, prouiſos ad Rauennatem vrbem die Iduum Iuniarum præcipimus incunctanter occurrere. vt aduẽtus eorũ conſtructioni nauium oportune videatur offerri. Ne res diuiſę generare ſibi videantur aliquam tarditatẽ. & parum ſit vnam perficere, niſi cõtingat vtranq; procurare. Si qua etiam per ripam fluminis Padi ligna, fabricandis apta dromonibus, in prędijs regalibus potuerint inueniri, artificibus huic operi a magnifico viro Abundantio Præfecto Prætorio deputatis, abſcindendi ſit permiſſa licentia. Volumus enim hoc exemplum a noſtris prædijs inchoare, vt nulli grauis ſit iuſſio, quæ conſtringit & principem.

GVDINANDO . SAIONI . THEODERICVS . REX

MAiora ſibi facit credi, quiſquis efficaciter iniuncta peregerit. Quia indubitanter illi aliquid committitur, qui optime comprobatur. & honeſtum ſuffragium eſt ſecundi iudicij, documentum prioris. Atq; ideo ordinatione magnificorum virorum Abundantij Præfecti Prætorio atq; Vuiliæ Comitis Patrimonij, ad illam prouinciam te iubemus excurrere. Vt tam de domo regia, q̃ in locis alijs habitantes, ſecundum priora præcepta prouiſos nautas ad vrbem Rauennatem die Iduum Iuniarum, Deo auxiliante, feſtinare compellas. Quatenus nulla tarditas tam præclaris iuſſionibus afferatur. Caue ergo, ne te venalitas maculet, aut neglectus vrbis inuoluat. & tam magnæ rei ſupra te ruentis pondere comprimaris, ſi tantis ac talibus rebus impar extiteris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AVILFO . SAIONI . THEODERICVS . REX

PEr vtranque ripam Padi reperiri ligna comperimus, fabricandis apta dromonibus. Ideoq; tibi præsenti iussione delegamus, vt secundum ordinationem magnificorũ virorum Abundantij Prę fecti Prętorio, atq; Vuilię Comitis Patrimonij ad loca designata cũ artificibus incunctanter accedas. & siue in domo regia, seu in priuata reperta fuerit, sine aliqua facies tarditate procurari. Quia nulli graue credimus præbere, quod, Deo auxiliante, pro cõmuni vtilitate præparatur. Verũ ita volumus te iniuncta peragere, vt nihil ad lædendum possessorem studiose videatur inquiri. sed tantũ quæ sunt necessaria vtilitatis nostræ causa prę sumantur. Non exquiratur aliquid a domino, quod postea publico non dicatur acceptum. Ligna syluestria iubemus cedi, non aliquid de alienis facultatibus violenter abscidi. Talia nobis prosunt, qualia nostros grauare non possunt. Quæ si causa præsens non exquireret, ille se crederet non habere. In Mincio, Ollio, Ausere, Tiberi, & Arno, fluminibus comperimus quosdam sepibus cursum fluminis, quantũ ad nauigandi studium pertinet, incidisse. Quod te volumus, ordinatione magnifici viri Abundantij Præfecti Prętorio, modis omnibus amputare. nec tale aliquid permittatis quẽquam vltra præsumere. sed inuiolati aluei tractus nauiũ relinquatur excursibus. Scimus enim retibus nõ sepibus esse piscandum. Nam hinc quoq; detestabilis auiditas proditur, vt sibi tantum festinet includere, quantum ad multos poterat peruenire.

CAPVANO . V.S . THEODERICVS . REX

SI te tyronem nostra iudicia delegissent, si ad examinis trutinam veniisses incognitus, æstimaremus monendũ, quali te prudentia, quo decore tractares. sed omnium crederis intelligentiam habere virtutum, qui exerceri meruisti militia literarum. Aestimas enim qua te debeas modestia continere, qui alieni negocij visus es vota peregisse. Nam si te iudicis suspitio sæua tetigisset, laudando iustitiam leni ac penetrabili remedio eius animum corrigebas. obtinens suaui persuasione, quod superiori non potuisses imponere. Quis ergo dubitet, illa te diligere, quę constat voce publica suasisse? Professa bona nõ habentur ambigua. nec cuiusquam acquiescit ingenium, vbi quod ipse potuit emeritus prosequi, ab alijs tanquam rudis videatur edoceri. Prolati documẽti fidem fieri, legitima voce poscebas, examinans si retinerent incorruptam scrinia veritatem. Iudex nunc exhibe, quod te volebas apud alios obtinere. Age ne tua tibi obijciatur oratio. Quia pondus est pudoris grauissimi, propria voce conuinci. Sume igitur, auctore Deo, Recturam Decumanarum, humanorũ actuum verissimum testem, securitatem possidentiũ, publicæ fidei splendidissimum templum. Vnde tantum tibi laudis acquiritur, quantorum illic vtilitas incorrupta seruatur. Viuat tibi perpetuis sæculis decedentiũ voluntas. transeant

seant in posteros iudicia parẽtum. scrinijs tuis seruetur omnium quies. Alij honores habeant & terribiles fasces, tibi vitæ humanæ gratissimi videntur militare custodes. ibi enim ad solutiones sunt hominum, vincla causarum, cathena litium, carcer furoris. De quo verius diceret vates mantuanus, Claudunt̃ litis portę, furor impius intus incluſus, fremit horridus ore cruẽto. Decuriales igitur, habita meritorum æstimatione, deligito. quia non decet, tantæ Vrbis appellare, quod vile est. maioris etiam naturæ, cum fuerit necesse sententia, factus tot patribus senior, tantis tacentibus vox Senatus. Vide quid dignitatis acceperis, vt inter tot eloquentes viros sis dicendi primarius, quos etiam nobis profitemur esse reuerendos. Assume ergo concedere quæ iubemus, præstare quę credimus. Vt illis aperias ianuas curiæ, quos nostra electio aulam iusserit libertatis intrare.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

ICet caute semper eligendus sit, qui vobis mittitur approbandus (quia ipse magis traditur examini, cuius sententia noscitur prolata pensari) illas tamẽ prudentibus viris sociari cupimus dignitates, quæ Romanis arcibus quasi gemmæ nobiles affigunt. Vbi enim dignius eloquens, cẽ in ciuitate proficiat literarũ? vt ibi declaret meritum, vbi nutriuit ingenium. Aptum est omne bonum locis suis. & laudabilia quęq; sordescunt, nisi congrua sede potiantur. Requirit pugna validas manus. desiderat nauigium pectus animosum. sic scrinia nostra fidele propositum. sic Curia facunda disertum. Multa ergo deliberatione pensandus esse creditur, qui quottidie nostris sensibus offerat. Capuanum igitur spectabilem virum æstimatio nostra respexit, qui Curiæ vestrę sententiam maioris natu auctoritate facundus ediceret, & Senatus scrinia conscientiæ puritate seruaret. vt actus illos mundo celeberrimos sua reddat integritate laudandos. Magnũ munus est P.C. ad integritatẽ deligi. Nec mediocriter probatur conscientia, cui est veritas commissa sæculorum. Nam si prædicatur testis, qui in præsenti negotio vera dixerit, qua laude cẽseri poterit, qui cunctis temporibus certa transmittit? Sed quanuis alumni vestri habeatis cuncta notissima, iuuat magis illa repetere, quæ omnium consensus possit agnoscere. Adest semper electa quædam sermonum gratia, blanditur auribus, mentem trahit, vtitur perspicuitate facundiæ, qualẽ de pura conscientia decet emanare. Est enim quoddam speculum morum agẽtis oratio. nec maius potest esse mentis testimoniũ, cẽ qualitas inspecta verborum. Nam vt eius propria describamus, patitur in simplicibus rebus linguæ retinacula. his eo tamen torrentior cum perorat. & hoc illi ad gratiam datũ est prouidente natura, vt quem præ foribus hæsitantem videras, eloquentẽ in certaminibus obstupescas. Illa vero memoria, quæ Oratorũ thesaurus iure vocitatur, tanta in eum firmitate cõsedit, vt semel audita scripto apud eum putes esse recondita. Magnum beneficiũ, obliuionis nescire defectum. & quędam similitudo vere cœlestiũ est, tempore decursa semper habere præsentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quę nunc ideo declaramus,vt cognoſcatis,ſubiectorum gratas nos habere virtutes,& iudicium noſtrum nō per caſuale votum,ſed per electionis ſtudium doceamus eſſe conceptum. His ergo P. C. Capuanum bonis dotatū, a pręſenti Indictione Decuriarū Rectorem eſſe præcipimus,maioris etiam natu auctoritate ſubuehimus, vt qui ſe morum cana maturitate tractauit, quod eſt ampliſſimū reuerentiæ genus,in veſtro ordine ætatis honore gratuletur. Augebit eloquentiam officio meliore ditatus. Quoniam multū facundior eſt, qui ſententiam dictat, cę ille qui ſupplicat. Libertas verba nutrit,metus autem copiam frequenter intercipit. Actus quoq; ipſe longe diſſimilis. vt qui pridem aſſiſtebat etiam mediocribus humilibusq; fortunis, nunc introducat veſtræ Curiæ Conſulares.

ABVNDANTIO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

TAtanem ſaionem noſtrum cum ſagittarijs ad illuſtrem virum Comitem Iulianum æſtimauimus eſſe dirigendum. vt maius ſumeret robur duplicatus exercitus. Oſtentent iuuenes noſtri bellis,quod in gymnaſio didicere virtutis. Schola martia mittat examina,pugnaturus ludo,qui ſe exercere cōſueuit in ocio. Atq; ideo illuſtrem magnitudinē tuam,eis annonas & nauigia ſecundū cōuetudinem præbere cenſemus,quatenus iuuante Deo quo directi ſunt debeāt peruenire. Veſtrę enim ſolicitudini damus noſtrarum efficaciam iuſſionum. Quia nullatenus deſtitui poſſe creditur,quod, Deo iuuāte,tuis ordinatiōibus inchoat.

EPIPHANIO . V.S . CONSVLARI . PROVINCIAE DALMATIAE . THEODERICVS . REX

IOanna Andreæ quondā iugali ſuo ſucceſſiſſe legis munere perhibetur. Quę inteſtata nullis exiſtentibus proximis luce dicitur eſſe priuata. Cuius ſubſtātia a diuerſis,nullo legitimo iure ſuffultis,vſurpatione voluntaria ſuggeritur poſſideri. Et quia caduca bona fiſco noſtro competere,legum cauta decreuerunt, ideo te pręſentibus oraculis admonemus,vt huius rei veritate diſcuſſa,ſi re vera,vt ad nos perlatum eſt, nullus ei aut teſtamento heres extitit, aut proximitatis iure ſucceſſit,fiſci noſtri eam facies compendijs aggregari. Quando innocentię noſtræ profeſſio eſt, iuſta compendia non negligere, apud quem calumnia nunquā locum potuit inuenire. Rogari enim in talibus, non fraudari principem decet. Quia negligentię vitium eſt, præſumptiones relinquere, quas iura præcipiunt amputare. Si quid autem cōtra repereris,quietos dominos habere patieris. Quia magis illa noſtra ſunt patrimonia,quæ a ſubiectis legitime poſſidentur.

BACAVDAE . V.S . THEODERICVS . REX

TEſſos annos munificentia noſtra corroborat. dum ætatem occiduam penuriæ non facit detrimenta ſentire. Iuuenum ſiquidem virtus præſumptione laboris animatur,ſola ſenum vita eſt, quietis inueniſſe remedia. Atq; ideo tua ſupplicatione permoti, deſignati

deſignati tribunatus curā in Mediolanenſi vrbe diligētiſſime peragendam, ad te decreuimus pertinere. Ita vt, quod eſt in Reipub. militia nouū,donec vixeris nunquam tibi ſucceſſorem tribuat cuiuſquam plectenda præſumptio. Quatenus in exhibendis voluptatibus officij huius cura manſuetudinis noſtræ beneficio iugiter perfruaris. Habens in vtroq; quod tuam conſoletur ætatem,loci commodum,& lætitiam voluptatum.

VNIVERSIS . GOTHIS . PER . PICENVM . ET . SAMNIVM CONSTITVTIS . THEODERICVS . REX

QVanuis munificentia noſtra ſit omnibus vbiq; gratiſſima, multo tamen acceptiora credimus,quæ noſtri præſentia conferuntur. Quia maiora de cōſpectu principis populi ſumunt,cū de largitate beneficia conſecuntur. Nam pene ſimilis eſt mortuo, qui a ſuo dominante neſcitur, nec ſub aliquo honore viuit,quem Regis ſui notitia non defendit. Et ideo præſenti iuſſione mandamus, vt octauo Iduum Iuniarum die, Deo auxiliante, ad præſentiam noſtram venire debeatis, qui ſolenniter regalia dona ſuſcipitis, ſi venire protinus feſtinatis. Illud tamen neceſſario commonentes, vt venientium nullus prouenire poſſit exceſſus, nec poſſeſſorum ſegetes aut prata vaſtetis. Sed ſub omni continentia properātes,de cuſtodita diſciplina grata nobis eſſe veſtra occurſio poſſit. Quia ideo exercituales gratanter ſubimus expenſas,vt ab armatis cuſtodiatur intacta ciuilitas.

GVDVIM . SAIONI . THEODERICVS . REX

CONſuetudine liberalitatis regiæ commonemur, vt Gothis noſtris debeamus ſolennia dona largiri. Et ideo deuotio tua Millenarios prouinciæ Piceni & Samnij ſine aliqua dilatione cōmoneat,vt eos,qui annis ſingulis noſtrę manſuetudinis prędmia cōſecuntur, pro accipiendo donatiuo ad Comitatum faciat incunctanter occurrere. Quatenus qui bene nobis meriti fuerint maiore munificentia gratulentur. Inculpabiliter enim neceſſe eſt viuat, qui ſuam præſentiam nouit principibus offerendam. Bonos enim laus,malos querela comitatur. Decet etiam nos ſub hac occaſione ſingulorum facta perquirere. vt nulli poſſit perire,quod fecit in acie. Nam ſi ſemper conſuetudinarias res expectet exercitus, virtutem non poteſt amare neglectus. Trepidus diſcat ad iudicem venire, qui ſe non meminit audacter aliquid egiſſe. Vt melius poſſit hoſtibus violentus inſurgere,qui noſtræ mauult imputationis vulnera declinare.

CARINO , V.I . THEODERICVS . REX

HAbent hoc glorioſum præiudicium bonarum merita perſonarum, vt ocio torpeſcere non ſinantur, qui probis actionibus innoteſcunt. Et ideo tam deſiderio veſtro ſatisfacientes, cę q; vos neceſſarios eſſe credidimus,iuſſis præſentibus euocamus. Quatenus

tenus & viris nobilibus obſequia noſtra decorẽtur,& quæ vtilia nobis credimus per te expedire poſſimus.

NEVDI . V.I . THEODERICVS . REX

MOuit nos quidem Oceri fuſa precatio,ſed magis miſerabiliorem reddidit virũ luminis ſui ademptus ornatus. quia neceſſe eſt, vt amplius permoueat viſa q̃ audita calamitas. Is enim perpetua nocte ſuperſtes ad remedia noſtra mutuati luminis beneficio feſtinauit. vt quẽ videre non poterat,ſaltem clementię ſuauitate ſentiret. Clamat enim ſibi Gudila vel Oppane incognitam ſuo generi conditionem ſeruitutis imponi. cum pridem ſub libertate noſtros fuerit ſecutus exercitus. Mirati ſumus talem in famulatum trahi, qui a vero domino debuiſſet expelli. Nouus ambitus,talem quęrere,quem poſſis horrere,ſeruumq; dicere, cui debeas diuina conſideratione ſeruire. Adijciens enim huiuſmodi calumnias Pithiæ Comitis celebratæ opinionis viri ſibi examinationem ſummotam. Nunc autem infirmitatis ſuæ mole compreſſum,manu vindicare non poſſe, quæ patrona fortibus probatur aſſiſtere. Sed nos, quorum eſt proprium inter pares ac diſpares ęquabilem iuſtitiam cuſtodire,preſenti iuſſione decernimus, vt ſi in iudicio ſupra memorati quondam Pithiæ ſe probauit ingenium, calumniantes protinus amouete. Nec audeant vlterius neceſſitatibus alienis illudere,quos ſemel conuictos decuerat ſua vota dãnare.

GVDVI . VIRO . SVBLIMI . THEOD . REX

QVos duces eligimus, eis ſimul & æquitatis momenta iure delegamus. Quia non tantum armis,quantum iudicijs nos effici cupimus clariores. Coſtula igitur atque Daila cum, Deo propitio, Gothorum noſtrorũ libertate lætentur,onera ſibi ſeruilia a vobis cauſantur iniungi. quæ nec ipſos deceat perpeti, nec cuiquam irrationabiliter fas ſit imponi. Quod ſi ita geſtum eſſe cognoſcis,ſine aliqua dilatione facias amoueri. Ne ad nos exinde vlterius querela reuocetur,& incipiat grauis eſſe animo noſtro in ducem reuoluta cauſatio, quæ magis oportet talia peragere,quem nos delectet audire.

DECORATO . VIRO . DEVOTO . THEOD . REX

THomas vir clariſſimus inter Apuliam Calabriamq; prouincias de Siliquatici titulo Indictionũ octauæ, nonæ, vndecimæ, primæ, ſecũdę,& quintę decimę, quas ad conductionẽ ſuam pertinuiſſe commemorat,nonnullos maximam pecuniæ quantitatẽ redhibere conqueritur. Et quia vtilitatem publicam diuturna nõ conuenit ludificatione differri, ideo deuotio tua præſentia decreta ſuſcipiens, Marcum preſbyterum, Andream & Simeonium,vel reliquos,quos breuis ſubter annexus eloquitur,ſeruata in omnibus ciuilitate cõueniat. Vt ſi eos non per calumniam, ſed manifeſtos reuera fiſco conſtiterit eſſe debitores, ſummam

mamque rationabiliter poſtulatur, ſine aliqua imminutione perſoluant. Prouidendum eſt enim, ne ſpiritus contumacium perſonarum publicis rationibus aliquod videatur afferre diſpendiũ. Qui vero minus intentata cognoſcunt,ad iudiciũ competens te imminente cõueniant. vt quod æquitati congruit,vtrarunq; partium allegatione recognita, ſaluis legibus impleat.

BRANDILAE . THEODERICVS . REX

ADijt nos innumeris vicibus Patzenis repetita conqueſtio. Qui cum eſſet in expeditione felicißima cõſtitutus, a Procula coniuge tua vxorem ſuam aſſeruit trina fuiſſe cæde laceratam. ita vt ſolo beneficio deſperationis euaderet. cum non plagis feſſa, ſed iam crederetur extincta. Hanc nos, ſi tamen vera eſt, in fœmina q̃ maxime mirantes audaciam,tranſire non patimur impunitam. Atq; ideo decretis te præſentibus admonemus,vt ſi factũ euidenter agnoſcis,delatam querimoniam pudori tuo conſulens maritali diſtrictione redarguas . quatenus ex eadem cauſa ad nos querela iuſta non redeat,& legibus noueris reſecari poſſe, quod te oportuerat domeſtica diſtrictione corrigere. Quod ſi mendacium magis petitoris accuſans cauſam dicere fortaſſe volueris,ſummoto dilationis obſtaculo, ad Comitatum noſtrum cum ſupradicta coniuge tua incunctanter occurre, exceptura aut de iniqua præſumptione vindictam, aut de mulieris improbitate victoriam.

VVILITANCHO . DVCI . THEODERICVS . REX

GRauis eſt Patzenis clementiæ noſtræ ſenſibus intimata conqueſtio. qui ſe in expeditione Gallica conſtituto, in eum Brandilam proſiluiſſe teſtatur exceſſum,vt vxorem eius Reginam,proprio ſociandam duceret eſſe coniugio.& in iniuriam noſtrorum temporum, adulterium ſimulata, matrimonium fuerit lege commiſſum. Hæc nos,ſi vera ſunt,tranſire nequaquam patimur impunita. Nam quando affectus tutos quis habeat, ſi tunc ſceleri ſubiacebit,cum pro omnium ſalute pugnauerit? Reſpicite impudicæ gementium turturum caſtiſſimũ genus. quod ſi a copula ſua fuerit caſu intercedente diuiſum,perpetua ſe abſtinentiæ lege conſtringit. gratiam coniunctionis non repetit, quam reliquit. fidem ſeruat,dum laudem pudoris ignoret. & moribus ſtudere deprehenditur,quod nulla viduitatis conuerſatione gloriatur. Mulierũ ſe,proh dolor, vota continere nequeunt,quibus caſtitatem ratio perſuadet, pęna legis imponit,terror maritalis extorquet. Perierunt profecto mores, ſi nec illis comparari poſſunt,quæ ratione carentia temperant. Et ideo ſublimitas tua impetitos ad ſuũ faciat examen occurrere.& rerum veritate diſcuſſa,ſicut iura noſtra præcipiunt, in adulteros maritorũ fauore reſecetur. Quia defenſorem Reipub.redire noluerunt, qui ſcelerata præſumptione conuincti ſunt. Confundi ſine dubio deſiderauerũt omnia, qui tentauerunt legibus inimica. Sed melius eſt, paucorum damno malorum corrigatur intentio. Quia

omne matrimonium,quod absit, incertum relinquitur,si in tanta reuerentia sine aliquo terrore peccetur.

ABVNDANTIO . PRAEPOSITO . THEOD . REX

FRontosum,sui nominis testem,frequẽti nobis insinuatione suggestũ est, pecuniæ publicæ decoxisse non minimam quãtitatem. quem a diuersis iudicibus fecimus iusta examinatione perquiri. ne forsitan,vt assolet,eum non veritas,sed infirmaret inuidia. Ille omnia confessus,reddere se posse cõstituit,si ei largæ præberentur inducię. quibus frequenter emensis,immemor promissionis suæ,ad constituta semper imparatus occurrit. Fugere siquidem nescius, sed suæ sponsionis ignarus. obliuiosus, cum relinquitur. trepidus, cũ tenetur. Mutat verba,variat constituta. nec in vna dicti sui qualitate contentus, diuersis imaginibus immutatur. Merito Chameleonti bestiæ cõferendus,quę paruorum serpentũ formæ cõsimilis,aureo tantũ capite,& reliquis membris subalbentis prasini colore distinguitur. Hæc quoties humanos aspectus incurrerit, dũ ei fugiendi velocitas denegatur,nimia timiditate confusa,colores suos multifaria qualitate commutat. vt modo veneta,modo blattea, modo prasina,modo possit cyanea reperiri. Vnde mirum est,in vna superficie tot diuersa cõspicere. Quam non immerito Pandiæ gemmæ dicimus esse consimilem. in qua vnus se fulgor nõ potest continere. fluctuat aspectibus tremulis, dum lapis teneatur immobilis. Nam quod modo videris,mox aliud ibi, si amplius intuearis,aduertis. sic mutatum credis, quod neminem eripuisse cognoscis . His permutationibus æstimatis mens Frontosi simillima reperitur. Quæ dicti sui nõ habet fidem. quæ tot varietates continet,quot verba protulerit. Protei fabulis iure sociandus. qui subito comprehensus , substantiæ suæ formam omnimodis non habebat. Nam vt cælaret hominem, aut leo frendebat,aut sibilabat anguis,aut in vndas liquidas soluebatur. Et quia sic notus est,cum facies ad tuum venire iudicium, primum agito ne promittat. caue,ne cõstituat. Quia leuissimi animi mos est,polliceri facile,quę non disponit implere. Quicquid autem persoluere considerata æquitate potuerit , constrictus sine aliqua dilatione iam reddat. Quia post tot falsitates, argutiæ suæ reputare poterit,quod se frequenter illusisse cognoscit.

LVVIRIT . COMITI . ET . AMPELIO . THEOD. REX

SVm pro incerti temporis euentu Romanas ędes inopia facie castigata pulsaret,& q̃is rara,tamen tã pulchræ ciuitati videretur esse fœdissima , æquum iudicauimus Hispaniæ triticeas illi copias exhibere. Vt antiquũ vectigal sub nobis felicior Roma reciperet. Iussis siquidem nostris viri spectabilis Marciani laude digna seruiuit industria. Sed parum diligenter impleta sunt, quæ constat optime fuisse procurata.

procurata. Hi enim, qui portanda susceperant,morarum tædia non ferentes,destinatum frumentũ in Africæ partibus pro suo dicuntur vendidisse compendio. Quod quanuis inultum minime transire debuisset (vt amor proprij commodi,tot populorum ieiuna vota suspenderet)tamen quia nobis insitum est,culpas remittere, quas possumus cauta ordinatione corrigere,Catellum et Seruandũ viros strenuos,esse credidimus dirigendos. Vt quia naucleri ducentos octoginta Solidos in triticum , & in naulis septingentos quinquaginta octo Solidos accepisse perhibentur,si apud vos facti veritas innotescit,in summã rationẽ collecta,ab eis simile triginta octo Solidorum quãtitas inferatur. Vt qui vindictam remisimus,damna minime sentiamus. In qua parte ita se sublimitas vestra diligenter impendat,vt et iustitiæ & publicis vtilitatibus satisfeciſſe videatur.

STARCEDIO . V.S . THEODERICVS . REX

CEr Ontinuatis laboribus attritum corpus debilitatem tibi causaris attulisse membrorum. vt qui ante bellicis fueras aptus insignibus , nunc vel ad ociosam vitam vix idoneus approberis , expetens vt ad expeditiones felicissimas non cogaris , a quibus non voto, sed necessitate subduceris. Atq; ideo allegationibus tuis diutius perquisitis,et ad rerum fidem deductis,ocium tibi non ignobile prę̃senti iussione largimur. Quia non est ignauiæ culpa,quem excusat miseranda calamitas. Sed sicut tibi remissam vitam concedimus, ita te donatiuo præsenti auctoritate priuamus. Quia non est æquum , vt cum de tuo cognoscaris idoneus,rem laborantium accipere debeas ociosus. Fruere igitur secura vita, aduersorum insidijs nostro munimine liberatus. Nec aliquis tibi imputabit desertoris opprobrium. quando illi quos contigerit a militia , morbi causa suspendi, ex prioribus factis habendi sunt iure reuerendi. Nec enim dignus est a quoquam redargui,qui nostro iudicio meretur absolui.

IVDAEIS . MEDIOLANENSIBVS . THEOD. REX

IL benter annuimus,quæ sine legum iniuria postulamur. maxime cum pro seruanda ciuilitate nec illis sunt neganda beneficia iustitiæ,qui adhuc in fide noscuntur errare. Atq; ideo discant rerum bonarum suauissimum saporem. Vt qui humanã iustitiam nituntur quærere,solicitius incipiant diuina iudicia cogitare. Proinde quoniã non nullorũ vos frequenter causamini præsumptione laceratos, & quæ ad Synagogam vestram pertinent,perhibetis iure rescindi, opitulabitur vobis mãsuetudinis nostræ postulata tuitio. Quatenus nullus ecclesiasticus,quæ Synagogæ vestrę iure competunt,violentia intercedente peruadat,nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat. Sed vt religionis cultu,ita & actuum sint cõuersatione discreti,hac tamẽ moderatione principalis auxilij beneficium cõcedentes,vt nec vos quod a præfatæ Ecclesiæ ius vel religiosas personas certe legibus pertinere cõstiterit, inciuiliter attrectare tentetis.

Tricennalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tricennalis autem humano generi patrona perscriptio, eo quo cunctis vobis iure seruabitur. nec commodalia vos irrationabiliter præcipimus sustinere dispendia. vt hac pietatis nostræ defensione muniti, petitio vestra ab illicitis seliberatam gratuletur incommodis. Concedimus quidē, clementiæ nostræ consuetudine, quæ rogastis. Sed quid ludæe supplicans temporalem quietem quæris, si æternam requiem inuenire non possis?

VNIVERSIS . POSSESSORIBVS . THEOD . REX

ADmonet nos formarum cura præcipua, vt quæ possunt noxie crescere, debeamus celerius amputare. Quatenus & soliditas a quæ ductus, Deo auxiliante, incorrupta seruetur, & vobis leue sit opus, quod in teneris arboribus adhibetur. Nam quę nūc virgulta sunt, erunt, si negligantur & robora. Ista enim quę modo facili auulsione dirimuntur, postea vix securibus icta succumbunt. Atq; ideo sociata debetis properatione contendere, vt præsenti diligentia futuri laboris euadatis incommoda. Hæc est enim ciuilis euersio, sine oppugnatione dissidiū, aries, vt ita dixerim, fabricarum. Quapropter omnem syluam, quæ parietibus inimica consurgit, de Rauennate forma iubemus radicitus amputari. vt Signini Albei reparata constructio talem nobis deducat liquorem, qualem potuit a fontibus suscipere puritatem. Tunc erit exhibitio decora thermarū, tunc piscinæ vitreis fontibus fluctuabunt, tunc erit quę diluat aqua, non inquinet. post, quam lauari continuo non sit necesse. Additur etiam, q; si ad potandum vnda suauis influxerit, omnia nostro victui reddūtur accepta. Quando humanę vitæ nullus cibus gratus efficitur, vbi aquarum dulcium perspicuitas non habetur. Nam si lauari cupimus purissimis liquoribus, quanto magis saciari talibus festinamus? Quę si nunc futura tractentur, nulli labor facit tædium, qui sumitur pro delectatione cunctorum.

AMPELIO . ET . LIVERIAE . THEOD . REX

DEcet, prouincias regno nostro, Deo auxiliante, subiectas, legibus & bonis moribus ordinari. Quia illa vita vere hominum est, quę iuris ordine continetur. Nam beluarum ritus est, sub casu viuere. quæ dū rapiendi ambitu feruntur, improuisa temeritate succumbunt. Agrum suum deniq; a dumosis sentibus doctus purgat agricola. quia laus excolentis est, si agreste solum dulcissimis fructibus amœnetur. Sic quies suauissima populi & tranquilla dispositio regionum, præconium probatur esse regnantium. Multorum itaque querela comperimus, in prouincia Hyspaniæ, quod summū inter mortales crimen est, vitas hominum vaga præsumptione populari, & leuium occasione causarum subire multos interitum. Sic mala pace quasi ludo corruunt, quanti vix potuissent cadere sub necessitate bellorum. Dehinc non polipticis publicis, vt moris est, sed arbitrio compulsorum suggeruntur prouincialium subiacere fortunæ. Quod genus euidentis est prędę, pro illius voluntate dare, qui ad suum commodum

commodum amplius festinat exigere. Cui rei nos regali prouidentia succurrere cupientes, sublimitatem vestram per vniuersam Hyspaniam loco muneris credidimus destinandam. Vt sub ordinationis nostræ nouitate inueteratæ possit consuetudini nil licere. Verum vt, more medicorum, sæuioribus morbis accelerata remedia tribuamus, inde curationis nostræ fiat initium, vbi magis noscitur esse periculum. Homicidij scelus legum iubemus auctoritate resecari. sed quantum vehementior pœna est, tanto eius rei debet inquisitio plus haberi. ne amore vindictæ innocentes videantur vitæ pericula sustinere. Pereant itaque soli nocentes, in correctione multorum. quando & hoc pietatis genus est, coërcere infantiam criminis, ne iueneſcat augmentis. Exigentes vero assem publicum per grauamina ponderum, præmere dicuntur patrimonia possessorum. vt non tam exactio, q; pręda esse videatur. Sed vt totius fraudis abrogeē occasio, ad libram Cubiculi nostri, quæ vobis in pręsenti data est, vniuersas functiones publicas iubemus inferri. Quid enim tam nefarium, q; præsumptoribus liceat in ipsa etiā trutinæ qualitate peccare? vt quod est iustitiæ proprie datum, hoc per fraudes noscatur esse corruptum? Conductores domus regiæ, quacunq; gente sint editi, ad liquidum veritate discussa, tantum decernimus soluere, quantum nostra prædia constiterit pensitare. Et ne cuiquam labor suus videatur ingratus, salaria eis pro qualitate locatæ rei, vestra volumus æquitate constitui. Non enim nostra, sed illorum iura dicenda sunt, si pro voluntate conducentis modus eueniat pensionis. Transmarinorum igitur canonem, vbi non parua fraus fieri vtilitatibus publicis intimatur, vos attonite iubemus exquirere. atq; statutum numerum pro iurium qualitate definire. Quia cōtra fraudes vtile remedium est, nosse quod inferatur. Monetarios autem, quos specialiter in vsum publicum constat inuentos, in priuatorum didicimus transisse compendium. Qua præsumptione sublata, pro virium qualitate functionibus publicis applicentur. Thelonei quinetiam canonem nulla faciatis vsurpatione confundi. Sed modum rebus vtillimum, quem præstare debeat, imponentes, commerciandi licentiam æquabili ratione reuocate. Ne se tendat in vagum ambitiosa enormitas exigentium. Actus prēterea Læti, cuius conscientia summa pulsatur inuidia, sub consueta nobis censemus ęquitate perquiri. Vt nec fraus astutis machinationibus occulatur, nec innocentia falsis criminationibus ingrauetur. Quoscūq; vero in furtiuis actionibus reperitis fuisse versatos, pro fortunarū quantitate suppressam, reddant vestra æstimatione pecuniam. Quod si hæc per alios dispersa esse constiterit, et illi nihilominus teneant obnoxij, qui scientes passi sunt in tali actione misceri. Complices enim extiterunt criminis, qui non detexerunt facta raptoris. Prębendarum tenor ascriptus, quem nostra diuersis largitur humanitas prouincialibus, suggerit intolerabilis causa esse damnorū. quando & in specie exigitur, & impudenter eius prætium postulat. Detestabilis cupiditatis ista sunt documēta, cōpetentia sibi distrahere, & ad exigendi impudentiā mox redire. Quod nimis improbū, nimis videt absurdum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum.vt & noſtra cõſtituta prętereant,et tributariorũ,qui fouendi ſunt,vi-
deantur afflixiſſe ſubſtantiã. Sint igitur prefixo modo contenti,ſiue ibidem
poſiti,ſiue hinc nihilominus deſtinati.habeãt liberum arbitriũ,vnum tantũ
de duobus expetere. dummodo geminata exactione fortunas alienas non
debeant ingrauare. Exactorum quoq; licẽtiam fertur amplius a prouincia-
libus extorqueri,quã noſtro Cubiculo cõſtat inferri. Qđ diligenti exami-
natione diſcuſſum,ad hunc vos modum functiones publicas reuocare de-
cernimus. quem Alarici atq; Eurici temporibus conſtat illatas. Paraueren-
dorum itaq; ſubuectiones exigere,eos qui habent veredos adſcriptos, pro-
uincialium querela comperimus. quod nullum penitus ſinatis præſumere.
quando per turpiſſimos quæſtus & poſſeſſor atteritur,& cõmeantium ce-
leritas impeditur. Villicorum quoq; genus,quod ad damnoſam tuitionem
quæruntur inuentum,ęq; de priuata poſſeſſione,ęq; publica funditus volu-
mus amoueri. Quia non eſt defenſio,quæ præſtatur inuitis. ſuſpectum eſt,
quod patiuntur volentes. Nam hoc eſt reuera beneficium, ſi ſine murmu-
re feratur acceptum. Seruitia igitur, quæ Gothis in ciuitate poſitis ſuper-
flue præſtabantur, decernimus amoueri. Non em̃ decet,ab ingenuis famu-
latum quærere,quos miſimus pro libertate pugnare.

CYPRIANO . COMITI . SACRARVM . THEOD . REX

QVanuis vltra deſideria ſupplicum frequenter nos præſtitiſſe be-
neficia gaudeamus. & quod eſt difficillimum,humanę ambitio-
nis interdum vota ſuperemus. hæc tamẽ libẽtius amplectimur,
quæ nos merito feciſſe gloriamur. Diu quippe trutinandus eſt,
cui traduntur examina. taliſq; debet a principe deligi, qualis ab ipſa poteſt
lege dictari. Gemmarum diuites venæ auri fulgore prætiantur, & gloriam
pulchritudinis capiunt,quia nulla de generi vicinitate ſordeſcunt. Sic bona
merita ſplendidis dignitatibus ſociata,alternis præconijs adiuuantur, & v-
nius rei facies de addita venuſtate pulchreſcit. Nõ em̃ de te aliquid redem-
ptæ laudi aut loquaci famæ credidimus, qui nobis expectantibus ſæpe pla-
cuiſti. Interpellantium ſiquidem confuſas querelas diſtincta nimis ac luci-
da relatione narrabas. Et qui proprios dolores exprimere nõ poterant,tuis
commendati allegationibus obtinebant,& ne fauoris alicuius putaretur ex
ceſſus,deſideria ſupplicum ipſis preſentibus intimabas,Ori tuo altercantiũ
deſideria conuenerunt. & quod difficillimũ gratiæ genus eſt, alternæ parti
indiſcreta laude placuiſti. quæ res ipſos Oratores quoq; poſtponit. Nam
cum illis ſit propoſitum diu tractata vnius partis vota dicere,tibi ſemper ne
ceſſe fuit repentinum negocium,vtroq; latere declarare. Additur etiam re-
galis præſentiæ geminatiſſimum pondus. ſub quo te ita facile contigit ex-
peditum, vt quod illi vix poſſunt artificioſis ſchematibus a iudicibus obti-
nere,tu probareris a principe puris allegatiõibus impetrare. Erat nimirum
ſerenitatis noſtræ in bonum publicum parata ſententia, quia nullam tardi-
tatem in cognoſcendo negocio ſuſtinebat. Mox em̃ a te narrata cauſa con-
ſpecta

ſpecta eſt. & cur tardaret negocij finis, cũ tu ſuggeſtionem lucida breuitate
concluderes? Didiciſti, vt credimus,iudicare noſtris ſeruiendo iudicijs. Ita
quod efficaciſſimum diſcipulatus genus eſt, agendo potius inſtructus es,ęq;
legendo. Talibus igitur inſtitutis edoctus, Eoæ ſumpſiſti legationis offi-
cium,miſſus ad ſummæ quidem peritiæ viros. ſed nulla inter eos confuſus
es trepidatione,quia nihil tibi poſt nos potuit eſſe mirabile. Inſtructus enim
trifarijs linguis,non tibi Grecia quod nouũ oſtentaret inuenit, nec ipſa qua
nimium prævalet,te tranſcendit argutia. Acceſſit meritis tuis,cunctis laudi-
bus pretioſior, fides. quam diuina diligunt,mortalia venerantur. Nam in-
ter mundi fluctuantes procellas vnde ſe humana fragilitas contineret,ſi no-
ſtris actibus mentis infirmitas non adeſſet? Hęc inter ſocios amicitiam ſer-
uat. hæc dominis pura integritate famulatur. hæc ſupernæ maieſtati reue-
rentiam piæ credulitatis impendit. & ſi beneficium tantæ rei latius quæras,
incõmutabilis fidei eſt omne,quod bene viuitur. Sume igitur per Indictio-
nem tertiam Sacrarum Largitionũ,Deo propitio,dignitatem. Vtere con-
gruis tuis natalibus inſtitutis. Meruiſti hactenus, vt honorum faſtigia cre-
deremus. age nunc, vt tibi gratiæ noſtræ celſiora nihilominus cõferamus.

SENATVI . VRBIS . ROMAE . THEOD . REX

LIcet candidatos vobis frequenter genuerit munificentia princi-
palis, & fœcunda indulgentia noſtra vobis altera ſit natura, ha-
betis nunc profecto virum,quẽ & nos elegiſſe deceat, & vos ſu-
ſcepiſſe cõueniat. Cui ſicut fortunatum fuit a nobis eligi, ita lau-
dabile erit, veſtro cœtui honorũ lege ſociari. Hoc tamen Curię felicius pro-
uenit,quod nobis & impolitus tyro militat, illa vero nõ recipit, niſi qui iam
dignus honoribus potuerit inueniri. Conuenienter ergo ordo veſter æſti-
matur eximius, qui ſemper eſt de probatiſſimis congregatus. Nõ enim illic
profanis reſeratur introitus, ſed tales illuc permittuntur accedere, quales
inde etiam cernuntur exire. Suſcipite itaq; collegam,quẽ palatia noſtra lon-
ga examinatione probauerũt. qui regijs ita intrepidus militauit affatibus,
vt iuſſa noſtra ſæpe nobis expectantibus atq; laudantibus explicaret. Co-
gnoſcitis profecto quæ loquimur. Quis enim veſtrum a Cypriani deuotio-
ne ſummotus eſt? Nam qui ſolatia eius petijt, mox beneficia noſtra ſuſce-
pit. Obtinuit ille ſępius inuectationibus noſtris,quod in conſiſtorijs agi ſo-
lebat antiquis. Si quando enim releuare libuit animũ, Reipub. cura fatiga-
tum,æquina exercitia petebamus. vt ipſa varietate rerum ſoliditas ſe corpo-
ris vigorq; recrearet. tunc nobis cauſas multiplices relator delectabilis in-
gerebat. eratq; eius infaſtidita ſuggeſtio,ſub iudicis animo tędioſo. Ita dum
cauſas preſtandi benignus artifex ingerebat,reficiebatur animus beneficio-
rum auiditate ſuccenſus. His igitur adhęſit obſequijs candidatus. qui ſic mi-
litauit animo noſtro, vt nulla eum grauaret offenſio. Iraſcebamur ſæpe cau-
ſis improbis,nec tamẽ diſplicere poterat lingua relatoris. damnabamus in-
terdum negociũ, cuius placebat aſſertor. & impetũ noſtri animi frequẽter

 ſuſtinuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sustinuit, qui gratiæ momenta possedit. Gloriatur etiam non extrema luce natalium. Nam pater huic, sicut meministis, Opilio fuit vir quidem abiectis temporibus ad excubias tamē Palatinas electus. Qui multo amplius crescere potuit, nisi fides sub auidissima remunerationis sterilitate iacuisset. Quid enim conferre poterat tenuis donator? Qui si tamen non ditauit, innotuit. Quia magnę abundantiæ laudis est, in penuria Reipub. vel mediocria munera meruisse. Vicit ipse Maiores suos felicitate sęculorū. & quod amplius euectus est, nostris est temporibus applicandum. Talis quippe est in subiectis mensura prouectuum, qualis fuerit & distantia dominorum. Quapropter P. C. prædictum Cyprianum, suis meritis & natalium splendore fulgentem, ad Sacrarum Largitionum culmen eueximus. vt & vester augeatur numerus, & incitetur deuotio seruientium. Aestimate reuerentissimi Patres, quid de vestro ordine censeremus, quando eos, quos vobis aggregandos credimus, multiplici allegatione prædicamus.

MAXIMO . V.I . THEODERICVS . REX

SI Consularem munificentiam prouocant, qui peruncta corporū flexibilitate luctant. si organo canentibus redditur vicissitudo præmiorū. si venit ad prætium delectabilis cantilena. quo munere venator explendus est, qui vt spectātibus placeat, suis mortibus elaborat? Voluptatem præstat sanguine suo, & infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat euadere. Actus detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat inuenire. Sola est ergo in fallendo præsumptio, vnicum in deceptione solatium. Qui si feram nō mereatur effugere, interdum nec sepulturam poterit inuenire. Adhuc superstite homine perit corpus. & antequam cadauer efficiatur, truculenter assumitur. Captus esca fit hosti suo, & illum (proh dolor) satiat, quem se perimere posse suspirat. Spectaculum tantū fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat. O miseræ deceptionis errorem, illam desiderasse colere, quę hominū morte placabatur. Primum sibi per lucos & syluas agrestium populorum vota & venationibus dedita, hanc triplicem deam falsa imaginatione finxerunt. ipsam in cœlo Lunam, ipsam in syluis Dianam, ipsam apud Inferos Proserpinā esse, firmantes. Sed solum Herebi potentem, non improbe forsitan æstimarunt. quando tali falsitate decepti, in profundas viui tenebras cum suis erroribus intrauerunt. Hunc ludum crudelem, sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam (vt ita dixerim) feritatem, Athenienses primū ad ciuitatis suæ perduxere culturam, iustitia permittente diuina, vt ad illusionem spectaculi peruenirent, quod falsæ religionis ambitus inuenisset. Hoc Titi potentia principalis diuitiarum profuso flumine cogitauit ædificium fieri, vnde caput vrbium potuisset. Et cum Theatrū, quod est hemisphærium, græce dicatur, Amphitheatrū quasi in vnum iuncta duo visoria, recte cōstat esse nominatū, ui O speciem eius

eius arena concludens, vt concurrentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixa rotunditas vniuersa collegerat. Itur ergo ad talia, quæ refugere deberet humanitas. Primus fragili ligno confisus currit ad ora beluarum. & illud, quod cupit euadere, magno impetu videtur appetere. Pari in se cursu festinat & prædator & præda. nec aliter tutus esse potest, nisi huic, quem vitare cupit, occurrerit. Tunc in aëre saltu corporis eleuato, quasi vestes leuissimę supinata mēbra iaciuntur, & quidam arcus corporeus supra beluam libratus, dū moras discedendi facit, sub ipso velocitas ferina discedit. Sic accidit, vt ille magis possit mitior videri, qui probatur illudi. alter angulis in quadrifaria Mundi distributione compositis, rotabili facilitate præsumens non discedendo fugit, non se longius faciendo discedit, sequitur insequentem, poplitibus se reddens proximum, vt ora vitet vrsorum. ille in tenuem regulam venire suspensus inuitat exitiabilem feram. & nisi periclitatus fuerit, nil vnde viuere possit, acquirit. alter se gestabili muro cannarum, contra sæuissimum animal, ericij exemplo, receptatus includit. qui subito in tergus suum refugiens, intra se collectus abscondit̄ur. & cum nusquā discesserit, eius corpusculum non videtur. Nam sicut ille veniente contrario reuolutus in sphæram, naturalibus defensatur aculeis, sic iste consutili crate præcinctus, munitior redditur fragilitate cannarum. alij tribus, vt ita dixerim, dispositis osteolis paratam in se rabiem prouocare præsumūt, in patenti area cancellosis se postibus occulentes, modo facies, modo terga monstrātes. Vt mirum sit euadere, quos ita respicis per leonum vngues dentesq; volitare. alter labenti rota feris offertur. eadem alter erigitur, vt periculis auferatur. Sic hæc machina ad infidi Mundi formata qualitatē, istos sæpe refouet, illos timore discrutiat, omnibus tamen vicissim, vt decipere possit, arridet. Longum est per tot periculorum casus sermonibus euagari. Sed apte iungendum est, quod ait de Inferis mantuanus, Quis scelerum compræhendere formas? quis omnia pœnarum percurrere nomina possit? Sed vobis, quibus necesse est talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, vt hæc miseris faciatis esse votiua. Alioqui violenta compulsio est, solennia dona subtrahere, & mortes detestabiles imperare. Et ideo quicquid in longam consuetudinem antiqua liberalitate peruenit, sine aliqua dilatione cōcedite supplicanti. Quia homicidij reatus est, illis esse tenacē, quos editio vestra inuitauit ad mortem. Heu mundi error dolendus. si esset vllus equitatis intuitus, tantę diuitiæ pro vita mortalium deberent dari, quantæ in mortes hominum videntur effundi.

TRANSMVNDO . REGI . VANDALORVM . THEOD . REX

QVanuis a diuersis regibus expetiti pro solidanda concordia, aut neptes dedimus, aut filias, Deo nobis inspirante, coniunximus. nulli tamen æstimamus nos aliquid simile contulisse, cū q; germanam nostram, generis Haniali singulare præconiū, vestrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecimus esse coniugium. fœminam prudentiæ vestræ parem, quę non tantum reuerenda regno, quantū mirabilis possit esse consilio. Sed stupeo vos his beneficijs obligatos Gesalecū, qui nostris inimicis dum a nobis foueretur adiunctus est, in vestram defensionem sic fuisse susceptam, vt qui ad vos viribus destitutus, priuatusq; fortunis venerat, subita pecunię vbertate cōpletus, ad gentes exteras probetur transmissus, qui quanuis, Deo iuuante, lædere nil possit, tamē animum vestrę cogitationis aperuit. Quid expectent extraneorum iura, si sic meretur affinitas? Nam si causa misericordiæ susceptus est in regno vestro, teneri debuit. si nostri propter expulsus est, non oportuerat cum diuitijs ad aliena regna transmitti. quæ ne vobis redderentur infesta, nostra fecerūt absolute certamina. Vbi est qđ tanta lectione saginatus, alios solebas docere de moribus? Hoc si voluisses cū sorore nostra tractare, vticq; vobis nō potuisset accidere. Quia nec fratrem permiserat lædi, nec maritū fecerat in rebus talibus inueniri. Atq; ideo per illum & illum Legatos nostros salutantes honorificentia competenti, petimus vt hanc iustitiam deliberatio vestra pertractet. ne parentum vestrorum animus euidentibus causis excitatus, cogitet aliquid tentare, quod pacem videatur irrumpere. Grauiter siquidem dolet iniuria, quæ contigerit insperata, & si inde proueniat dolus, vnde credebatur auxilium. Quædam vero per harum portitores verbo vobis insinuanda cōmisimus. vt æstimantes omnia, quid fieri in tanta causa oporteat, prouidentia vestra reponat. Quia non est leue, prudentes viros in pacis constituta peccare.

TRANSMVNDO . REGI . VANDALORVM . THEOD . REX

OStendisti prudentissime Regum, post erroris euentum sapientibus subuenire posse consilium. nec pertinaciæ vitium vos amare, quod brutis hominibus videtur accidere. Obligastis animum meum tanta vos in melius celeritate mutando. Nam cum Rex satisfacit, quælibet dura dissoluit. quia sic est in principibus humilitas gloriosa, quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia. Nuper vobis obiecimus Gesaleci quondam Regis dolosa meditatione discessum. Sed vos nobilitatis vestræ memores & honoris, actum rei nobis sub veritate declarastis. Vnde nō fuit sic vituperabile, hominum prauis suspitionibus locum dedisse, quantum gloriosum est dominantē tam celerrime se potuisse purgare. Ille enim, qui minus poterat cogi, animæ non passus est arcana violare. Cui laudi vicissitudinē, in qua possumus parte reddentes, synderem purgationē pura mente suscepimus. sed auri transmissi munera non tenemus. vt & ipsi intelligatis, causam per iustitiam fuisse motam, quā nulla potuit finire venalitas. Fecimus vtriq; regalia. Sic nos superauimus tyrānicam cupiditatem, sicut & vos vicisse constat errorem. Redeant ad Cubiculum vestrum munera, quorum tantum oblatio videtur esse gratissima. Negligatur aurum, vbi electum est conscientiæ premium. patiatur aliquando repulsam, quod semp auaris Regibus imperabat. Eat nunc actus iste per gentes,

gentes, carum parentem nō excusasse culpam, & læsos animos respuisse pecuniam. Ita qđ per bella solebat quæri, amoris studio declaratū est, potuisse contemni. Intelligant parentes tales fuisse, qui studio auaritię causas sibi nequiuerint excitare. Omnia siquidem superauit affectus. tunc cœpit petitio magis desinere, quando pulsatus obiecta non passus est abnegare. Recipite igitur munera sensibus susceptа, non manibus. Suauius nobis fuit, ista reddere, q̄ multo grandia suscepisse. Estote nunc ad similia cauti, ad ventura solliciti. quia instructus redditur animus in futuris, quando præteritorū commonetur exemplis. Quapropter illo & illo Legatis vestris redeuntibus plenissime reddimus salutationis affectum, optantes vt sospitatem vestram diuina concedant, cuius nobis animos validissime cognoscimus esse sociatos.

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM · LIBER · SEXTVS

FORMVLA . CONSVLATVS

PRiscorum iudicio qualis sit Consulatus, hinc omnino datur intelligi, quando inter Mundi dignitates eximias, solus meruit habere palmatas, vestes quas felicitas dabat, præmia vincentium, nomen annorum, cōpensatio sola cui debebantur omnia. Statum Reipub. Romanæ viri fortis dextera tuebatur, fortunas omnium ac liberos huius consilia vindicabant, & tot magnis debitis sola erat huius retributio dignitatis, reperta in libertatis ornatū, inuēta ad generale gaudiū. Per illam nimirū status imperij iugiter creuit, illā semper felix Roma suscepit. merito quidem genus habebat imperij. merito supra omnes ciues poterat, qui ab hoste patriam vēdicabat. vtilitates publicas sub æquitate disponēs, ius dicebat etiā capiti. sed tuto illi cōmissa est potestas necis, qui fuerat auctor salutis. Hinc est, q̄ etiā fasces atq; secures tanta potestati præceptæ sunt illigari. vt cū tardius soluerentur, moram deliberationis acciperent, si de cæde aut nece hominis aliquid censuissent. ita vt cū omnia eius traderentur arbitrio, ne insolesceret animo, Consul dictus est, a consulendo. Hinc tanta largitas profluebat, vt illa dextra, quæ sanguinē copiose fuderat hostium, vitę auxiliū ciuibus manaret irriguū. Sic quos felices

Universidad de Deusto
Biblioteca

per bella fecerat, ſtudiò largitatis explebat. In argumentum etiam publicæ gloriæ ſoluebat famulos iugo ſeruili, qui libertatem tantæ dederat ciuitati. Sed nunc ſumitis iſta felicius. quando nos habemus labores Conſulum, & vos gaudia dignitatum. Palmataæ ſiquidem veſtræ, noſtræ probantur eſſe victoriæ. & proſperrimæ conditionis euentu vos in pace ingenuitatem cedítis famulis, cum nos ſecuritatẽ demus per bella Romanis. Atq; ideo per illam Indictionem Cõſulatus te decoramus inſignibus. Pinge vaſtos humeros vario colore palmatę. validam manum victoriali ſcipione nobilita. lares proprios etiã calceis auratus egredere. ſellam Curulem pro ſua magnitudine multis gradibus eniſus aſcende. vt in ocio ſubiectus merearis, qđ nos per maximos labores aſſumimus imperãtes. Rem victoriarum agitis, qui bella neſcitis, nos, iuuante Deo, regimus. nos conſulimus, & veſtrum nomen annum deſignat. Viciſtis felicitate principes, qui & honores ſummos geritis, & dominationis tædia non habetis. Quapropter erige confidentiam mentis tuæ. Conſules eſſe magnanimos decet. Opes priuatas non cogites, qui gratiam publicam donando habere decreuiſti. Hinc eſt enim, q̃ alios ludíces, etiam nõ rogantes, euehimus, Conſules aũt ſperantes tantùmodo promouemus, vt ſoli ad has largitates veniatis, qui vos pares tãtis expenſis eſſe cognoſcitis. Alioq; onera eſſent potius, nõ honores, ſi ſupra vires aliquid imponeremus inuitis. Fruere igit̃ decẽter optatis. Hic eſt ambitus qui probat̃. Eſto mũdo clarus, tibi proſperrimus, tuis autẽ poſteris feliciter imitandus.

FORMVLA . PATRITIATVS

SI antiquitatis ordinem perſcrutemur origine dignitatum, Patriciorũ familia Ioui noſcitur fuiſſe dicata. vt ſummi Dei (ſicut putauere) cultura locũ primarium poſſideret. Sed quia vos aliquid habere decebat eximiũ, et nomen ipſum Patribus magna ſe vicinitate iungebat, ſuperſtitione derelicta, ad veſtrum cœtum felici conditione migrauit, Quia pontificalis laus conſcientiæ Senatui recte poterat conuenire. Sic ex augurali familia Reges quoq; legis inſtitutos, non iniuria, quia decuit a tali propoſito venire, qui nulla publica poterat iura tractare. Hinc eſt, q̃ & honor ipſe cinctus eſt, cum vacaret, nihil iuriſdictionis habens, & iudicantis cingulum nõ deponens. in quo felicitas perpetua naſcitur, dum ſucceſſoris ambitio non timetur. Nam mox vt datus fuerit, in vitæ tempus reliquũ homini fit coeuus, ornatus indiuiduus, cingulum fidele, quod neſcit ante deſerere, q̃ de Mundo homines contingat exire. credo ad ſimilitudinẽ pontificatus, vnde venerat, rem fuiſſe formatã. qui ſacerdotium nõ deponunt, niſi cum vitæ munera derelinquunt. Additur, q̃ leges tantã illis reuerentiam detulerũt, vt in ſacris poſitus, cũ hoc fuerit honore præcinctus, paternę poteſtatis nexibus exuatur, niſi contra ſpecialiter a principe caueatur. Quod conſtat ratiõe probabili conſtitutũ. vt qui ampliſſimũ genium precioſæ libertatis acceperat, viliſſimam conditionem cũ ſubditis non haberet. Præfectorios & aliarum dignitatũ viros præcedit vnitatũ, cedens fulgori, quem

quem interdum etiam a nobis conſtat aſſumi. Proinde neceſſario laudatam intellige dignitatẽ. ne aut nos parũ dediſſe videamur, aut tu negligẽtius tractes, ſi te aliquid mediocre ſuſcepiſſe putaueris. Quapropter ab illa Indictione noſtro munere ſubleuatus, Patritiatus culmẽ aſcende. quod quidam iuridicorum a patribus dictum eſſe voluerunt. facturus omnia, quæ tantam reuerentiam decent. Nam q̃is magna contulerit noſtra clementia, habes adhuc quod expectes, ſi te probabiliter tractare contendas.

FORMVLA . PRAEF . PRAET .

SI honoris alic uius eſt origo laudabilis, ſi bonũ initium ſequentibus rebus poteſt dare prę̃conium, tali auctore Præfectura Prętoriana gloriatur. qui & Mundo prudentiſſimus, & diuinitati maxime probatur acceptus. Nam cum Pharao Rex Aegyptius de periculo futuræ famis inauditis ſomnijs vrgeretur, nec viſionem tantam humanũ poſſet reuelare conſiliũ, Ioſeph vir beatus, inuẽtus eſt, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitãti populo prudentiſſime ſubueniret. Ipſe primum huius dignitatis infulas conſecrauit. ipſe carpentum reuerendus aſcendit. ad hoc gloriæ culmen euectus, vt per ſapientiam conferret populis, quod præſtare non potuerat potentia dominantis. Ab illo nanq; patriarcha, & nunc pater appellatur imperij. ipſum hodieq; reſonat vox præconis, inſtruens iudicem, ne ſe patiat̃ eſſe diſſimilem. Merito, vt cui tanta poteſtas potuit dari, videretur ſemper ſubtiliter admoneri. Quędam em̃ huic dignitati & nobiſcum iura communia ſunt. Exhibet enim ſine præſcriptione longinquos, magna quãtitate mulctat errantes, fiſcũ pro ſua deliberatione diſtribuit, euectiones ſimili poteſtate largitur, vacantia bona proſcribit, delicta prouinciarum iudicum punit, verbo ſententiam dicit. Quid eſt, qđ nõ habeat commiſſum, cuius eſt vel ipſe ſermo iudicium? Pene eſt, vt leges poſſit condere, quando eius reuerentia poteſt negocia ſine appellatione finire. Ingreſſus palatium noſtra conſuetudine frequenter adoratur. & tale officium morem videtur ſoluere, quod alios potuit accuſare. Poteſtate igit̃ nulla dignitas eſt æqualis. Vice Sacra vbique iudicat. Nullus ei miles de fori ſui auctoritate præſcribit, excepto officiali Magiſtri Militũ. credo vt vel illis aliquid Antiquitas cederet, qui videbantur pro Repub. bella tractare. Curiales etiam verberat, qui appellati ſunt legibus Minor Senatus. In officio ſuo ius retinet ſingulare, & talibus tantiſq; noſcitur iubere, quos etiam prouinciarum non audeant iudices in aliqua parte contemnere. Officium plane geniatum, efficax, inſtructũ, & tota animi firmitate prævalidum. qui ſic peragẽt iuſſa, vt nullis morentur dilationibus imperata. Militia perfunctis Tribunorũ & Notariorum honorem tribuit. & milites ſuos illis exæquat, qui inter proceres mixti, noſtris conſpectibus obſecundant. Gratanter implemus, quę ille conſtituit. cuius reuerentia & nos ita conſtringimur, vt ſine dubitatione faciamus, quæ illum decreuiſſe cognoſcimus. Non immerito, quando palatium ſua prouiſione ſuſtentat, ſeruientibus nobis pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

curat annonas, humanitates quoque iudicibus ipsis facit. Legatos gentium voraces explet ordinationibus suis. Et licet aliæ dignitates habeant titulos præfinitos, ab ista totum pene geritur, quicquid in imperio nostro æquabili moderatione tractatur. Hanc denique curarum omnium pulcherrimam molem (quod prosperum nobis, vtile Reipub. sit) abilla Indictione tuis humeris decenter imponimus. Quam tu & ingenij virtute sustineas, & summa fide tractare contendas. Quæ quantum diuersis solicitudinibus constringitur, tanto magis laudes amplissimas dignitas hæc triumphat. Et ideo tantum lumen glorię fit actionibus vestris, vt & in palatio nostro fulgeat, & in prouinciarum longinquitate reluceat. Par tibi sit cum potestate prudentia, conscientiæ tuæ quadrifaria virtus assideat. Tribunal tuum ideo tam excelsum factum esse noueris, vt locatus ibi nihil humile abiectumq; cogitares. Considera quid debeas dicere, quod a tantis excipitur. Monimenta publica talia contineant, quæ se legisse nullus erubescat. Præsul mirabilis partem non habet cum delictis. quia si nihil aliquid egregium assidue fecerit, culpam vel ociosus incurrit. Nam si prædictus auctor sanctissimus ille recolatur, quoddam sacerdotium est, Præfecturæ Prætoriænæ competenter agere dignitatem.

FORMVLA . PRAEFECTVRAE . VRBANAE

QVm de dignitate commissa laus semper iudicis æstimetur, & potior habendus est, q̃ sint illi, quibus præesse cognoscitur, nemo amplius videtur erigi, q̃ cui potuit Roma committi. Grande est quidẽ, procerem esse. sed multo grãdius, de proceribus iudicare. Senatus ille mirabili opinione glorioſus probatur habere præsulem, quem mundus suscipit iura condentem. Eoq; fit, vt illi vtantur in Senatu potestate perfecta, qui apud te trepidant dicere proprias causas. Verum hæc quoque modestia cognoscitur esse prædicanda, vt optent se legibus teneri, quæ ab ipsis sciuntur posse constitui. Quæres pro parte nobis absolute communis est. sed hac sola ratione discreti, q̃ alteri subdi non possumus, qui iudices non habemus. Respice tot doctos viros, et considera quale sit his aliquid dicere, nec erroris verecundiam formidare. De talibus disceptas, quos tibi cognoscis esse potiores. Sic ergo locum tuũ tracta, vt omnes te iudicem honoratę congregationis agnoscant. Consides supra omnes scilicet Consulares, sententiam primus dicis, & in illa libertatis aula reuerendus aspiceris, in qua cõmissos habere Mundi primarios approbaris. Quis iam de obscuro vitio cogitare possit, qui se inter morũ limina tot esse cognoscit? Vis odium non recipere? studium a te gratificationis exclude. Publicũ amorem necesse est habeas, si secretius nil promittas. Erit nimirum magnũ & singulare præconium, si Iudices nõ accipiant, vbi sunt qui multum dare contendant. Dictioni tuæ non solum Roma cõmissa est (q̃uis in illa contineantur vniuersa) verumetiam intra centesimã potestatem te protendere, antiqua iura voluerunt. ne tantę ciuitatis iudicẽ muralis agger includeret, cũ Roma omnia possideret.

possideret. Tu etiam ex delignatis lege prouincijs, ab appellatione cognoscis. Aduocati tibi militant eruditi. quando in illa patria difficile non est oratores implere, vbi Magistros eloquentiæ contingit semper audire. Carpento veheris per nobilem plebem. publica te vota comitantur. fauores gratissimi consona tecum voce procedũt. Bene age, quia te veniente licet populis conticere. Habes copiose vnde tibi gratiã tantę ciuitatis acquiras. si merces diuersæ sub nulla venalitate vendantur. si exhibitio salubriter accensa thermarum, rapinarum ardoribus non tepescat. si spectaculũ, quod prębetur voluptati, non sit causa litigij. Suauiter enim cogit gratũ esse populum, quisquis in certaminibus partiũ declinat iniustum. Tanta est enim vis gloriosæ veritatis, vt etiam in rebus scœnicis æquitas desideretur. Admonitionum igitur ordine decurso, per Indictionem illam habitu te togatæ dignitatis ornamus. vt indutus veste Romulea, iura debeas affectare Romana. Nã si isti dignitati par fueris, nihil est q̃d a nobis minime consequaris. Ad omnia enim tali suffragio eris nihilominus dignus, si actionem tuam laudet Senatus. Perfecta em̃ rei fides est, vbi consentanei testes probant esse sum̃ates.

FORMVLA . QVAESTVRAE

SI tantum claræ sunt dignitates, quantum nostris affatibus perfruuntur. si præsentia frequẽs prodit dominantis affectum. nullus ita iudicũ potest esse glorioſus, q̃ ille, qui est incogitationum nostrarum participatione susceptus. Alijs enim pecuniæ publicę committimus procurationem. alijs causas concedimus audiendas. alijs patrimonij nostri iura delegamus. Quęsturam toto corde recipimus, quã nostræ linguæ vocem esse censemus. Hæc nostris cogitationibus necessario familiariter applicatur. vt proprie dicere possit, quod nos sentire cognoscit. arbitriũ suæ voluntatis deponit, & ita mentis nostræ velle suscipit, vt a nobis magis putetur exisse, quod loquitur. O q̃ arduum est, subiectum verba dominantis assumere, loqui posse quod nostrũ credatur, & prouecti in publicum decorem glorioſam facere felicitatẽ. Cõsiderate quid ponderis habeatis pariter et decoris. Si quid dubitamus, a Quęstore requirimus. qui est thesaurus famæ publicæ, armariũ legum, paratus semper ad subitũ, & (vt ait Tullius magister eloquentiæ) Nihil præstabilius videtur, q̃ posse dicendo tenere hominum mentes, allicere voluptates, impellere quo velit, vnde autem velit, deducere. Nam si oratoris est proprium, grauiter & ornate dicere, vt possit animos iudicum commouere, quanto facundior debet esse, qui ore principis populos noscitur admonere? vt recta diligant, peruersa contemnant, bonos sine fine laudent, pessimos vehementer accusent. Vt pene feriata sit districtio, vbi pręualet eloquentiæ fortitudo. Sit imitator prudentissimus Antiquorum, mores alienos corrigat, et suos debita integritate custodiat. Talem denicq; oportet esse Quęstorem, qualem portare principis decet imaginem. Nam si nos (vt assolet) causam gestis audire contingat, quæ auctoritas erit linguæ, quæ sub oculis regale genium possit implere?

Adesse

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adesse debet scientia iuris, cautela sermonis. vt nemo debeat reprehendere, quod principem constiterit censuisse. Opus erit præterea firmitas animi, vt a iustitiæ tramite nullis muneribus, nullis terroribus auferatur. Nam pro æquitate seruanda & nobis patimur cõtradici, cui etiã oportet obediri. Sed vide vt tantũ doctrinę deferas, quatenus probabiliter omnia perquisitus exponas. Alię quippe dignitates assessorum solatia quærant. tua vero dignitas principi consilia subministrat. Atq; ideo prudentiæ vel eloquentiæ tuæ fama prouocati, Quęsturam tibi, gloriam literarum, ciuilitatis templum, genitricem omnium dignitatum, continentię domicilium, virtutum omnium sedem, per illam Indictionẽ, Deo prestante, concedimus. Vt sic agas, quemadmodum te parem rebus prædictis esse contendas. Ad te enim prouinciæ sua vota transmittunt. a te Senatus iuris quærit auxilium. a te docti probantur expetere, quod nouerũt. Et necesse tibi est, omnibus sufficere, quantos a nobis contigerit legum remedia postulare. Sed cum hæc omnia feceris, nullis elatiõibus efferaris, nulla mordearis inuidia, alienis calamitatibus non leteris. Quia qđ odiosum est principi, non potest cõuenire Quæstori. Exerce potestatem principis, conditione subiecti. Sic ore vero glorificatus eloquere, vt te tamen rationẽ credas nobis iudicibus redditurũ. vbi aut culpabilis vicissitudinem recipit, aut boni propositi gloriam laudatus acquirit.

FORMVLA . MAGISTERIAE . DIGNITATIS

REuerendum honorem sumit, quisquis Magistri nomẽ acceperit. Quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum. Ad eum nimirum palatij pertinet disciplina. ipse insolentium Scholarũ mores procellosos moderationis suę terminis prospere differenat. Tam multi ordines sine confusione aliqua componuntur. & ipse sustinet onus omnium, quod habet turba discretum. Sic nominis sui grauitate perfunctus, ornat actibus principatũ. Per eum Senator veniens nostris præsentatur obtutibus. admonet trepidum, componit loquentem. sua quinetiam verba solet inserere, vt nos decenter omnia debeamus audire. Aspectus Regi haud irritus, promissor collocutionis nostræ, gloriosus donator aulici consistorij, quasi quidam lucifer. nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultus nostræ serenitatis attribuit. Causarum præterea maximum pondus in eius audacię finibus optima securitate reponimus. Vt eius curis fidelibus subleuati, vtilitatibus publicis viuacius occupemur. Veredorũ quinetiam oportunam velocitatem, quorum status semper in cursu est, diligentiæ suæ districtione custodit. vt solicitudines nostras, quas consilio iuuat, beneficio celeritatis expediat. Per eum exteris gentibus ad laudem Reipub. nostræ ordinatur humanitas. & nolentes redeunt, quos merentes exceperit. Per eũ quippe nobis Legatorum, quanuis festinantium, prænuntiatur aduentus. per eum nominis nostri destinat̃ euectio. & isti principaliter creditur, quod tam necessariũ esse sentitur. His etiam laboribus æstimatis potestatem maximam

ximam huic decreuit Antiquitas. vt nemo iudicũ per prouincias fasces assumeret, nisi hoc & ipse fieri decreuisset. Subdidit eius arbitrio aliena iudicia, vt ad ipsum rediret, quod alterviſus est præstitisse. Molestias quidem non habet exigendæ pecuniæ, sed late bono fruitur potestatis adeptæ. credo, vt ex diuersis titulis defloraretur dignitas, ad leuamen principis instituta. Per Aequatores etiam victualiũ rerum in vrbe regia propria voluntate constituit, & tam necessarię rei iudicem facit. Ipse enim gaudium populis, ipse nostris temporibus prestat ornatum. Quando tales viros copiæ publicę præficit, vt plebs querula seditionem nesciat habere satiata. Officium vero eius tanta genij prærogatiua decoratur, vt militię perfunctus muneribus, ornetur nomine principatus. Miroq; modo inter Pretorias cohortes, & Vrbanæ Præfecturæ milites videantur inuenisse primatum, a quibus tibi humile soluebatur obsequium. Sic in fauore magni honoris iniustitia quædam a legibus venit, dum alienis excubijs præponitur, qui alibi militasse declaratur. Adiutor etiam Magistri nostris presentatur obtutibus. vt vicaria sorte beneficij eligamus eius præsidium, qui nobis præstat fidele solatium. Hanc igitur dignitatem, tot titulis claram, tot insignibus opulentam, per Indictionem illam gubernandam tibi, congrua grauitate, committimus. vt omnia quæ gesseris, Magister fecisse videaris. Quia nihil moribus residuum relinquitur, si (quod absit) a tanta maturitate peccetur.

FORMVLA . COMITIVAE . SACRARVM . LARGITIONVM

RAta sunt omnino nomĩa, quæ designãt protinus actiones. quãdo tota ambiguitas audienti tollitur, vbi in vocabulo concludi-tur, quid geratur. Donis enim præsidere regalibus Comitiuam Sacrarum Largitionũ, iudicia rerum verba testãtur. Quod vere decorum, vere fuit omnimodis exquisitum, in donorum regalium parte sequestratam facere dignitatem, & alterius honorem dicere, dum nos constet dona conferre. Actus innocens, pietatis officiũ, illud semper ingerere, vnde se fama principis possit augere Regalibus magna profecto felicitas militare donis, & dignitatem habere de publica largitate. Alij iudices obtemperãt residuis virtutibus regnatoris. hæc sola est, quæ tantummodo seruiat ad momenta pietatis. Nihil enim per ipsam districtũ geritur, nil seuerum forte censetur, sed tunc obsequitur, quando pro nobis vota funduntur. Suppli-cum per te fortunas erigimus Cal. Ianuarijs affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est. Verum hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, vt figura vultus nostri metallis vsualibus imprimatur, monetãq; facis de nostris temporibus futura sæcula commonere. O magna inuenta prudentum. O laudabilia instituta Maiorũ. vt & imago principũ subiectos videret̃ pascere per cõmercium, quorũ consilia inuigilare nõ desinunt pro salute cunctorũ. Sed huic (vt ita dixerim) munerariæ dignitati, pręconem largitatis nostræ, publicæ felicitatis indiciũ, locũ quoq; Primiceriatus adiũgimus, vt per te demus honores, per quẽ & nostrę pecuniæ cõferimus

largitates

Universidad de Deusto
Biblioteca

largitates. Merito, quãdo & simili gratia vtraq; prestant̃, & ab vno debuerunt iudice geri, quæ parili videntur laude cõiungi. Parũ est a ũt, cp prouinciarum iudices tuæ subiaceãt dignitati. ipsis quoq; proceribus Chartarum confirmas. dum perfectum non creditur, nisi a te fuerit pro solennitate completum. Vestis quoq; Sacra tibi antiquitus noscit̃ fuisse cõmissa, qui quod ad splendorem regum pertinet tuis minus ordinationibus obediret. Curas quoq; litorum aduentitia lucri prouisione committis. Negociatores, quos humanæ vitæ constat necessarios, huic potestati manifestum est esse subiectos. Nam quicquid in vestibus, quicquid in ære, quiquid in argento, quicquid in gemmis ambitio humana potest habere pretiosum, tuis ordinationibus obsecundat, & ad iudicium tuum confluunt, qui de extremis Mundi partibus aduenere. Salis quoque commercium, inter vestes sericas & pretiosissimam margaritam, non inepte tibi deputauit antiquitas. vt sapientiam tuam euidenter ostenderet, cui talis species deputata seruiret. Quapropter per illam Indictionem Comitiuæ Sacrarũ, & Primiceriatus tibi conferimus dignitates. vt multis laudibus decorari possis, qui honorum numero sitate præcingeris. Vtere igitur solenniter titulis tuis. & si quid tibi de antiquo priuilegio vsus abstulit, plurima certe quæ vindicare debeas dereliquit. Quando duarum dignitatum glorioſa quidem cura, sed & laboriosa custodia est. quæ tibi copiosum fructum decoris afferunt, si probis moribus excoluntur.

FORMVLA. COMITIVAE. PRIVATARVM

COmitiua Priuatarum, sicut nominis ipsius sentitur insonare vocabulum, per Rationalium curam quondam principũ priuatam fertur gubernasse substantiam. Et quia iudicis fastigium exercere non poterat inter homines, extremis cõditionibus inclinatos, alios quoq; titulos prouida deliberatione suscepit. ne dignitas latialis causam tantum videretur habere cum famulis. sed actibus vrbanis tunc se felicius occupauit, postq; agrestium causas decenter amisit. Quid enim prius facerẽt inter seruos iura publica, qui personam legibus non habebant? Nõ ibi aduocatus aderat. non se partes solenni actione pulsabant. Erat secretarium impolita seditione confusum. & appellabatur abusiue iudiciũ, vbi non allegabãtur a partibus dicta prudentium. Vtitur nunc dignitas liberorum causis, & legitimus præsul veraciter habetur, quando de ingeniorũ fortunis disceptare posse sentitur. Primum tibi contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus, quasi parenti publico, decreta custodia est. ne quis se probrosa commixtione pollueret, dum vicino sanguini reuerentiam nõ haberet. Grauitas em̃ publica proximitatis sanctitatem & coniunctionis gratiam, habita estimatione, discreuit. Quia longe aliud debetur proximitati naturæ, cp corporali possumus indulgere licentiæ. Contra hos eligeris vnicus & continens inquisitor. vt dum talia ,pbra persequeris, consequaris præconia castitatis. Defunctorum quinetiã sacram quietem equabilia

bilia iura tuæ conscientiæ commiserunt. ne quis vestita marmoribus sepulcra nudaret. ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret. ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flamma consumptos, scelerata perscrutatione detegeret. ne corpus, quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias. Nam & si cadauera furta non sentiunt, ab omni pietate alienus esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur. Vide quæ tibi commissa sunt, castitas viuentium, & securitas mortuorũ. Habes quoq; per prouincias de perpetuo iure tributorum nõ minimam quantitatem. Canonicarios dirigis, Possessores admones, & cum alijs Iudicibus non modica iura partiris, caduca bona non sinis esse vacantia. Ita quod vsurpatio potuit inuadere, tu fiscum nostrum facis iustis compẽdijs obtinere. Proximos defunctorum nobis legaliter anteponis. quia in hoc casu principis persona post omnes est. sed hinc optamus nõ acquirere, dummodo sint, qui relicta debeant possidere. Depositiuæ quoque pecuniæ, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærarijs. vt qui sua cunctos patimur possidere, aliena nobis debeant libenter offerre. Sine damno siquidẽ inuenta perdit, qui propria nõ amittit. Proinde (quod felicibus applicetur auspicijs) per Indictionem illam Comitiuæ Priuatarũ te honore decoramus. quam leges Præfectis quoque parem esse decreuerunt. est enim & ipsa aulica potestas, palatio nostro iure reuerenda. quam tu facies vltra terminos suos crescere, si susceptam cõtinenter egeris dignitatem.

FORMVLA. COMITIVAE. PATRIMONII

ANtiquæ consuetudinis ratio persuadet, chartis nostris illos imbuere, qui longe positi transmissas accipiunt dignitates. vt quos non poteramus presentes instruere, lectio probabilis commoneret. Sed te, quẽ ad patrimonij nostri curas regalis deflorauit electio, non tam destinatis præceptionibus instruimus, cp vsu sereniſſimæ collocutionis erudimus. Confabulationes siquidẽ nostræ erunt tibi instrumẽta iustitiæ. quãdo illud gratum nobis esse perspexeris, quod & diuinis potest conuenire mandatis. Patrimonium siquidem nostrum, pro subleuandis priuatorum fortunis, tibi credidimus, non premendis. Nam si tranquillitatis nostræ velis considerare rationẽ, quoddam regiæ domus famulis præiudicium humilitatis imponis. Proprias quippe vtilitates improbus dominus quoquo modo nititr̃ vindicare. cæterum qui bonæ famę studere cognoscitur, suo semper iudicio plus grauatur. Insolens libertatis genus est rusticorum, qui adeo sibi putant licere voluntaria, quoniam ad nostram dicuntur pertinere substantiam. Esto igitur illis cũ erecta potestate moderatus: Temperamentum simul damus, cui posse cõcedimus. Considera, suscepta dignitas quo debeat splendore tractari, per quam supra cęteros Iudices familiaritatem principis habere meruisti. Nam sicut Sol ortus corporum colores fugata nocte detegit, ita se morum tuorum qualitas, assidue viso principe, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

cælabit. Mens tua & oculis noſtris patebit & auribus. In vultu & in voce cognoſcimus ſeruientium mores. Si facies tranquilla, ſi vox moderata ſuggeſſerit, credimus eſſe probatiſſimas cauſas. Quicquid enim turbulẽter dicitur, iuſtitiam nõ putamus. Quapropter penſabit loqui tuum dominantis examen. quãdo nequeunt proprias tegere voluntates, qui ſuos poſſunt proferre ſermones. Speculum ſiquidem cordis hominũ verba ſunt. dum illud moribus placere creditur, quod ipſe ſibi ad agendũ legiſſe monſtratur. Superbus quinetiã varicatis greſſibus patet. Iracũdus luminũ feruore declaratur. Subdolus terrenum ſemper amat aſpectum. Leues incõſtantia prodit oculorũ. Auarus obuncis vnguibus explanatur. Et ideo ad quas prouecti eſtis, ſtudete virtutibus. Quia nemo poteſt principẽ fallere, qui etiã rerum naturalium cauſas in vobis optime probatur inquirere. Quapropter ad Comitiuam Patrimonij noſtri te per Indictionem illam (Deo iuuante) promouemus, vt inauarũ ludicem palatia noſtra teſtentur, quem nos iudicauimus eſſe promouendũ. Quid enim magis cupias, & ſi te linguas nobiliũ laudare cognoſcas? Alibi forte ludices formidentur iniuſti, hic vbi remedium preſens petitur, redempta ſententia non timetur. Querimonias poſſeſſorũ ſine venali protractione diſcinge. Omne ſiquidem iuſtum celeritatis commodo tranſit ad beneficiũ. & quod debito redditur, tali gratia munus putaẽ. Poſſeſſiones noſtræ, vel quia ſunt immobiles, nõ egrediantẽ terminos conſtitutos. ne conditione contraria qđ non poteſt moueri, malis moribus contingat extendi. Trade etiã militibus tuis quã ſectare delegeris animi caſtitatẽ. Quomõ ille iuſtus poteſt dici, ſub quo nõ prohibeaẽ excedi? Vtere igitẽ, auctore Deo, cõceſſo tibi feliciter priuilegio dignitatis. Incitet te ad bonorũ deſideriũ, ſæpiſſime qđ videris. quia in his quę feceris iudex & teſtis ero. Nã etſi epulas noſtras ſolicita ordinatione diſponas, non ſolum noſtro palatio clarus, ſed etiã gẽtibus neceſſe eſt reddaris eximius. Legati pene ex tota Orbis parte venientes, cum noſtris cœperint intereſſe conuiuijs, admirantur copioſe repertum, quod in patria ſua norunt eſſe rariſſimũ. Stupent etiam abundantiam vnius menſæ, tantas ſeruientium turbas poſſe ſaciare. vt iudicent cõſumpta recreſcere, vnde tantæ quæ probantur exire. Habent nimirum in ſua patria quod loquãtur, dum parentibus ſuis dicere geſtiunt, quæ viderunt. Sic propemodũ in toto Mundo celeberrimus redditur, qui prouidus noſtris apparatibus inuenitur. Adde, cp tempora noſtræ lætitiæ ſecretaria tua ſunt, cum pectus redditur curis alienum. & tunc tibi tribuitur ſuggerendi locus, quãdo cunctis adimitur. Merito, vt qui es iudex tanti apparatus & epularum, delinitus cibis tibi animus concedatur.

FORMVLA. QVA. PER. CODICILLOS. VACANTES. PROCERES. FIANT

PEriclitarentur grauiter boni mores, ſi aut ſolis diuitibus, aut corpore valentibus prẽſtarentur tantũmodo dignitates. dum multos inuenias excubias Palatij refugere, qui magis poſſint laudabili conuerſatione fulgere. Multis enim facultas ſua non ſufficit ad

adtriumphum. multis philoſophantibus corporis valetudo ſubtrahitur. & fit plerunqp, vt ſapientes inremunerati iaceant, ſi ſemper homines ad honores Comitatenſi obſeruatione perueniant. Rarum eſt, vni multa confluere, cum omnibus debeat regnantis pietas ſubuenire. Quid ſi expenſis Cõſulatus pauper nobilis expaueſcat? quid ſi ſapientia clarus Præfecturę nequeat ſuſtinere moleſtias? quid ſi pondera Quæſturæ affluens lingua formidet? quid ſi reliqui faſces moleſtiarum tædio vitentur forte cp meritis? Nonne ſi a magnis viris talia fugiantur inuerecundia noſtrę manſuetudinis, quandam repulſam ſuſcipiunt dignitates? Quanto iuſtius bono principi inremuneratũ nihil relinquere, quod facit Natura laudabile? Sapientia eſt, quę honores meretur, totum aliud extrinſecus venit. Sola eſt prudentia, quæ rebus omnibus præponitur. quando in homine feliciter inuenitur. Sit apud nos & fortunis integerrimus Conſularis, ſint et ſine longo labore Primates. habeant exercitia prędia ſua. ſed & iſte honorabilis locus ſit, qui tantum meritis cõparatur. Necp enim abſurde leges ſacratiſſimæ cenſuerunt, eos quos bonę opinionis fama cõmendat, Codicillis Vacantibus tales quærere ſummitates. Quos etſi facultas in tanti honoris apparatu deſereret, virtus conſcia non cælaret. Animati ſunt ad talia, qui de ſua videbantur deſperare fortuna. Hoc & validiſſimus ad labores, hoc & imbecillis corpore meretur ad laudes. Nam omnes ſub diuerſitate prędicantur, quos huius nomen honoris amplectitur. & magis neſcio quid amplius meriti extorſiſſe creditur, qui rem laborantium ocioſus meruiſſe ſentitur. Atqp ideo pręſentibus Codicillis ab illa Indictione illud tibi propitia diuinitate defende. Vt cõſiderata ratione præſentis temporis, adepti honoris ordine potiaris. Ita tamen, vt illi modis omnibus præferantur, qui ſudore maximo noſtris aſpectibus affuerunt. Neceſſe eſt enim, vt vnum credat meritum duobus euectum. Alioqui omnes ad quietas poſſunt currere dignitates, ſi laborãtes minime præferantur ocioſis. Conſequãtur illa qui poſſunt, nec vobis deſint iſta quę cedimus. Sic vtracp gratia concitati, & illi ad palatia noſtra feſtinare poterũt, & vos optati honoris gaudia comitantur.

FORMVLA. ILLVSTRATVS. VACANTIS

COnſtat felicem eſſe Rempub, quæ multis ciuibus reſplendet ornata. Nam ſicut cęlum ſtellis redditur clarum, ſic relucent vrbes lumine dignitatum. Non quia fiat homo alter honoribus, ſed quia modeſtior efficitur, a quo conuerſationis ordo melior poſtulatur. Quis enim opinionem ſuam vituperabiliter tractare velit, quam ſpecialiter ad laudes electam eſſe cognoſcit? Illum ſiquidem honores glorificant, quem commendat & vita. Nam malo inſtituto viuere, nec principi fas eſt. quando & de illo populus occulte poteſt dicere, cui mores ſuos publice nullus auſus eſt imputare. Cape igitur pro fide ac laboribus tuis Comitiuæ Domeſticorum Illuſtratum Vacantem. Vt & tuis ciuibus decoratus appareas, & quod eſt dulciſſimum mentibus bonis, iugiter proprijs vtilitatibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatibus occuperis. Quid enim fortunatius, cꝫ agrum colere, & in vrbe lucere, vbi opus proprium delectat auctorem, nec aliquid fallendo conquiritur, dum suaui horrea labore cumulant? Quapropter nos dedimus delectabilem honorem, tu conuersationis associa dignitatem (nam vtracꝫ sibi coniuncta sunt, vnum pendet ex altero. non coalescunt sparsa semina, nisi etiam terræ qualitas fuerit operata.) habiturus messem de nostra gratia copiosam, si a te iudicia nostra cognouerimus optime fuisse tractata.

FORMVLA . COMITIVAE . PRIMI . ORDINIS

MAgnum quidem multis, & inter vices videtur esse geniatum, publicæ vtilitati probis actionibus occupari. Sed quanto felicius honorem splendidum sumere, & cogitationum molestias non habere? Interdum enim assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates. dum imbecillitas humana cito solet sustinere fastidia. & quod prius ambisse creditur, postea vitare velle sentitur. Sed hoc multo prę stantius adesse conspectibus regijs, & abesse molestijs. gratiam habere loci, & vitare contumelias actionis. Dulce est, aliquid sic mereri, vt nulla possit anxietate turbari. dum multo gratius redditur, vbi prosperitatis sola gaudia sentiuntur. Hunc igitur honorem, quem tibi respicis ociosa remuneratione præstitum, cꝫ nimium laborantibus antiqua noscitur prouisione collatus. vt Rectores prouinciarum, anni actione laudatos, vix ad tale culmen adducerent, quibus confitebantur plurima se debere. Consiliarij quocꝫ Præfectorum conscientia clari, dictatione præcipui, qui in illo actu amplissimæ Præfecturæ sic videntur exercere facundiam, vt ad vtilitates publicas expediendas, alteram credas esse Quæsturam. Vnde frequenter & nos iudices assumimus. quia eos doctissimos comprobamus. Quid ergo de tali honore sentiatur, agnosce. quando præfecti viri pro tot laudabilibus institutis huius inueniunt præmia dignitatis. & merito, cum tanta pompa cedatur, quæ Senatorij quocꝫ ordinis splendore censetur. Spectabilitas clara & Consistorio nostro dignissima. quæ inter illustres ingreditur, inter proceres aduocatur. ociosi cinguli honore præcincta dignitas. quę nullum nouit offendere, nullū cognoscitur ingrauare, & super omnia bona concitare nescit inuidiam. Quocirca prouocati moribus tuis, Comitiuā tibi Primi Ordinis ab illa Indictiõe maiestatis fauore largimur. Vt Consistoriū nostrum sicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus exornes. quando vicinus honor est illustribus, dum alter medius non habetur. Delectat te imitari, quos proximitate contingis. Tu locum amplum & honorabilem facis, si te moderata consideratiõe tractaueris. Admoneat te certe, qꝫ susceptа dignitas Primi Ordinis appellatione censet. uticꝫ quia te sequuntur omnes, qui Spectabilitatis honore decorantur. Sed vide, ne quis te præcedat opinione, qui sequitur dignitate. Alioqui graue pondus inuidiæ est, splendere cinguli claritate, & morum lampade non lucere.

FORMVLA

FORMVLA . MAGISTRI . SCRINII . QVAE . DANDA . EST COMICIACO . QVANDO . PERMILITAT

SI honor frequenter defertur ociosis, si interdū aut nobilitas eligitur, aut ad promerendum aliquid personæ tantum gratia suffragatur. quo studio remunerandi sunt, qui ad agonis sui præmia peruenerunt? Considerandum, quali labore seruitum est, & sic de remuneratione cogitandum. Harum quippe rerum mensura de contrario venit. dum tale obedientibus dari debet donum, quale indeuotis potuit esse periculum. Grandia sunt, quæ sustinent excubantes personas, contumaces ad parendum cogunt, latentes in cubilibus suis prudenti sagacitate vestigant, superbis modestiā æqualitatis imponunt. Ita quod a iudicibus breuiter dicitur, ab ipsis efficacia famulāte completur. Notū est, quę pericula sustineant, cum ad causas mittuntur alienas. Si segnius agat, petitor queritur. si districte, pulsatus vociferatur. Sic inter vtruncꝫ diuersum rara laus est inuenisse præconium. Dignitatū pace dicamus, facilius est laudatum iudicem reperire, cꝫ militem iniūcta sine offensione complere. Aliud est enim tantū dicere legitima, aliud ad terminū deduxisse iustitiam. Laudabiliter quidem bonum dicit, sed multo glorioſius statuta complētur. Verba tantū diriguntur a prę sulibus, a militibus aūt postulatur effectus. Post omnia periculis subduntur, si constricti aliquid verisimile cõquerantur. Frequenter nocuit alijs ipsa quocꝫ integritas actionis. Nam multos, quos in executione cõtristari nisi sunt, ipsos postea impensos iudices pertulerūt. Offendunt emī frequenter ignari, quibus sunt postea parituri. & dum causis alienis fidem custodiunt, interdum pericula propriæ salutis incurrunt. Verum inter hæc militem euasisse laudatum, nonne iuste videtur esse miraculū? Talibus igitur meritis vicissitudo reddenda est, vt nimio labore torpentes indictis cõpensationibus excitemus. Vtere igitur confidenter quicquid veteranis munifica iura tribuerūt. nullo sordido subijciendus oneri, qui te purissima cõuersatione tractasti. Comitiuam quocꝫ tibi Primi Ordinis, quā tali militia perfunctis cana deputauit Antiquitas, secundū statuta diualia vindicabis. Hæc quidem priscorum beneficio consequeris, sed nostri nominis contra inciuiles impetus, et cõuentionalia detrimenta, perenni tuitione vallaris. Vt officium, quod nostris iussionibus speciali solicitudine famulatum est, amplius aliquid a militibus cæteris promereri potuisse videatur. Mulcta quocꝫ tot librarum auri percellendū esse censemus, si quis statuta nostra qualibet crediderit occasione violanda. Nec tamen aliquid contra te valere permittimus, quod dolosa fuerit machinatione tentatum.

FORMVLA . DE . REFERENDIS . IN . SENATV

OPtamus quidem, Curiam Senatus amplissimi naturali fœcunditate compleri, solemcꝫ eius tantum crescere, vt quod difficillimum auiditatis genus est, parentū videatur vota satiare. Sed minus amantis est, non amplius quærere, vnde tantum numerum

Universidad de Deusto
Biblioteca

possit augere. Agricola diligens præueniendo adiuuat imbrem cœlestem, & ante rigat plantaria, ꝙ pluuias mereantur optatas. Arborum quinetiam fœtus meliorare contendens, diuersi germinis fœturas instituit. vt multiplicata dulcedine fructuum, hortis sui conferat varietatis ornatũ. Sic nos virtutum iucundissimas laudes incinctum Gaium desideramus includere. vt germen alienum amplexu gratię colligatum, Curiæ moribus inolescat. Sed hæc cultura longe dissimilis est. Arboribus enim, quod melius putatur, inseritur, ad illas peregrina veniunt, vt de illorum potius suauitate dulcescant. vobis autem vt agrestia proficiant offeruntur. Nam quanuis ignis nocte reluceat, Soli tamẽ præsentatus obscurus est. Hinc est, quod ad illum ordinem nihil potest eximium deferri, nisi quod per ipsum probatur augeri. Et ideo illum natalium splendore conspicuum, & ingenij calore prudenter accensum, Senatus lumen excipiat. Hactenus fuit suis meritis clarus. sed iam erit de vestra perspicuitate prælucidus. Pandite Curiam, suscipite candidatum. Iam Senatui prędestinatus est, cui nos contulimus Laticlauiam dignitatem. Benignos esse necesse est publicos Patres. quia hoc vocabulum non tantum suo debet germini, quantum studio votoq; generali.

FORMVLA . VICARII . VRBIS . ROMAE

VIces agentium mos est, sic Iudicum voluntatibus obedire, vt suas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprij non habent iura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua priuilegia non relinquis. quando propria est iurisdictio, quæ datur a principe. Habes enim cum Præfectis aliquam portionem. partes apud te sub Prætoriana aduocatiõe confligũt. Vice Sacra sententiã dicis. & quod maximę fidei signum est, in inscriptionibus vita tibi committitur hominum, quod inter mortales constat esse precio sum. Additur, ꝙ nec salutari te sine chlamyde, iura voluerunt. scilicet, vt sub veste militari semper visus, nunquam credereris esse priuatus. Sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam iudicamus esse concessa. vt qui tantæ sedis Vicarium diceret, vmbratile nil videret. Considera qualia de te præstes, qui tanta auctoritate subueheris. exuendus a crimine non videt ab innoxia facultate. Nam quid tibi debere possit, si minimis suis imputet, ꝙ euasit? Ad similitudinẽ quippe summorum carpento veheris. Intra quadragesimum sanctissimæ Vrbis iura custodis. Prænestę ludos edis. inuicem consulis in honorem positus, dignitatemq; Senatoris acquiris. & illa tibi pandũtur atria, quæ summatibus probantur esse collata. Hinc est, ꝙ in aula cœlica libertatis locum patrium tenes. & ibi mereris consessum, vbi est vel intrasse præconiũ. Ipsi quinetiam Senatores, qui præcedunt ordine, aliqua videntur a te necessaria postulare. Habes quod præstes potioribus te. nec immerito inter præcipuos censendus es, qui aut iuuare potes, aut lædere Consulares. Erige animos sub qualitate

litate modestiæ. Talis est vnaquæq; dignitas, qualis administrantium est voluntas. Nihil adiectum est, quod in Repub. geritur, nisi malis fuerit moribus forte vitiatum. Nam si humilium priuatorum placet æqualitas, quanto magis grata est in potestatis culmine custodita? quæ difficilem modum seruat, dum ad suum velle festinat. Proinde Vicariæ tibi dignitatem, serenitatis nostræ æstimatione conferimus. Quam sic Romæ geras, vt conscientiam tuam tanta ciuitate facias esse dignissimam. Vsurus omnibus priuilegijs, quæ tuos decessores habuisse constiterit. Quia sicut a vobis antiquorum instituta deposcimus, ita & dignitati vestræ vetera non negamus.

FORMVLA . NOTARIORVM

NOn est dubium, ornare subiectos principis secretum. dum nullis æstimantur necessaria posse committi, nisi qui fuerint fide magna solidati. Publicũ est quidem omne, quod agimus. sed multa non sunt ante scienda, nisi cum fuerint, Deo auxiliante, perfecta. Quæ tanto plus debent occuli, quanto amplius desiderantur agnosci. Regis consilium solos decet scire grauissimos. Imitari debent armaria, quæ continent monumenta chartarũ. Vt quando ab ipsis aliqua instructio quęritur, tunc loquantur. totum autem dissimulare debent, quasi nesciant scientes. Nam solicitis inquisitoribus sæpe & vultu proditur, quod tacetur. Assit innocentia, quæ cuncta commendat. quia in placida mente regia decenter debent verba deponi. Sed quando te probatis moribus institutum, vernatrix bonę cõuersationis, solicitudo nostra respexit, ab illa Indictione Notarium te nostrum esse censemus. Vt ordine decurso militiæ, ad Primiceriatus feliciter peruenias summitatem. Honor qui efficit Senatorem, cui patrũ aula reseratur, non iniuria. nam qui nostris curis militat assidua lucubratione, iuste videtur et Curiam libertatis intrare. Additur etiam perfuncti laboris aliud munus, vt si quo modo ad Illustratum, vel Vacantem meruerit peruenire, omnibus debeat anteponi, qui Codicillarijs Illustratibus probantur ornari. Vnde absolute colligitur, Primiceriatus meritis datum vti. vt in vno eodemq; titulo dispar esset dignitas æqualiter acquisita. Animari debes igitur ad labores. quando tibi tale præmium propositum vides, quale se gaudent inuenisse summates.

FORMVLA . REFERENDARIORVM

QVanuis tantum sit clara quæq; dignitas, quantum eam præsentię nostrę conspectus illuminat (dum semper honorem suscipit, qui nostra colloquia decenter acquirit) nemo tamen sermones nostros tantum meretur, quam qui Referendarius esse dignoscitur. Per eum nobis causarum ordines exponuntur. per eum interpellantiũ vota cognoscimus, & ipsis respõsa reddimus. vt negotia cõpedita solua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. Magnum est in hoc agone principali seruire prudentię, & ad subitum sic dolores alienos asserere, vt conquerentium videatur vota satiare. Quale est enim, in tumultuosis processionibus nostris nulla permixtione confundi? aut minime tantis clamoribus impediri? Necesse habet, a turbatis exquirere, quod nobis possit placabiliter intimare, & distinctius referre, ꝙ potuisset audire. Arduū est, trepidātium dicta componere, & verum dicere. non tantum interpellator formidat negocij sui casum, quantum sustinet iste in relatione periculum. Si quid minus dixerit, inimicus asseritur, redemptus clamatur. Negocij dominus timoris patrocinio potest sua verba conuertere, referenti autem non licet aliquid immutare. Sententię vero nostræ tanta memorię cautela tenendæ sunt, vt nihil minus, nihil additum esse videatur. Nobis plerunꝙ audientibus nostra dicturus es, & difficili conditione constrictus, iudicio nostro subiaces, dum alienas causas explanare contendis. Quapropter Referendarium te electio nostra constituit, sed tu puritatem conscientiæ & veritatem linguę nostris iussionibus adhibeto. Eruditionem vero mirabilem collocutio tibi nostra concedit. quæ dum per te alios ordinat, qualitatem tuæ mentis exornat. Sub nobis enim non licet esse imperitos. quando in vicem cotis ingenia splendida reddimus, quæ causarum assiduitate polimus. Quapropter illa cunctis iussisse nos referte, quæ aut debuistis, aut potuistis accipere. Nostra sic probatis, si iusta redicitis. Amate quod nos glorificat. Sit velle vestrum, quale videtis nostrum esse propositum. Ad summum, tales vos esse cupimus, vt etiam per vos iudices corrigamus. Peculiare de vobis aliquod vectigal exigimus. vt sicut vobiscum familiariter miscemus affatus, ita & nostra opinio specialiter a vobis mereatur affectum.

FORMVLA. PRAEFECTI. ANNONAE

SI ad hanc mensuram censendæ sunt dignitates, vt tanto quis honorabilis habeatur, quanto ciuibus profuisse cognoscitur, is certe debet esse gloriosus, qui ad copiam Romani populi probatur electus. Tui siquidem studij est, vt sacratissimæ Vrbi præparetur annona, vbique redundet panis copia, & tam magnus populus, tanquam vna mensa, satietur. Per officinas pistorum cibosꝙ discurris, pensum & munditiam panis exigis, nec vile iudicas esse, vnde te possit Roma laudare. merito, quādo gloria singularis est, illius ciuitatis affectus. Et ne quod agis aliquid putetur extremum, carpentum Prefecti Vrbis mixta glorificatione conscendis. Tu illi in spectabulis coniunctissimus inueniris. vt plebs, quam industria tua saciat, in suam reuerentiā te honoratum esse cognoscat. Nam si querela panis, vt assolet, conciteť, tu promissor vbertatis seditiones ciuicas momentanea satisfactione dissoluis. & per te prospiciť, ne quid a populis conquerentibus excedať. Non imerito Pompeius fertur, copiæ quātitate prouisa, vsꝙ ad rerum peruenisse fastigia. Quia merito singulis est amor populi, cum potuit a penuria liberari. Hinc ille gratificationem meruit, plausumꝙ

plausumꝙ popularem. Hinc vnice semper amatus est, & in gratia ciuium omnium vicit facta malorum, qui ne aliquando in honore diceretur, cum nominis taxatione vocabať & Magnus. Hoc te exemplū inuitet ad prospera, quando ille honoris tui locum egisse cognoscitur, quem felix Roma mirabatur. Ne quis autem putet, abiectis te hominibus imperare, dignitati quoque tuæ pistorum iura famulata sunt. quæ per diuersas Mundi partes possessione latissima tendebātur. ne inopia faciente vilescereť, quod Romanæ copiæ laudabili famulatione seruiret. Suarij quoque, Romanæ copiæ causa reperti, tuo deputati videntur examini. Gloriare priuilegijs acquisitis. Tribunal tuū non est inter minimas dignitates. quando & Romana gratia frueris, & prouincijs iussa transmittis. Sed vt actionis ipsius in totum merita perscrutemur, triticas quidem copias Præfectura Prætoriana procurat. Sed non minor laus est, dispensationem probabilem facere, ꝙ frumenta colligere. quando in quauis abundantia querela non tollitur, si panis elegantia nulla seruetur. Sic Ceres frumenta dicitur inuenisse, Pan autem primus conspersas fruges coxisse, perhibetur. Vnde & nomine eius panis est appellatus. Ita & illa prædicata est quæ reperijt, & iste laudatus est, qui decenter edenda humanis vsibus applicauit. Atꝙ ideo cognoscentes industriam tuam, quę semper est amica sapientiæ, Præfecturam Annonæ per illam Indictionem nostra tibi electione deferimus. Considera nunc, quia non licet aliquid furari de populo. Nam qđ in ciuitatis damno cōmittitur, silentio non cælatur. Nescit plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod a nemine perpetratur. In fraudulentos distringe. panis ponderа æquus examinator intende. solicitius auro pensetur, vnde a Quiritibus viuitur. Quia gratior nobis est lætitia fauentis populi Romani, ꝙ copia precioſissimi metalli. Intuere certe quod loquimur. Quid habes melius quod optes, ꝙ illius populi gratiam quęrere, quam nos etiā constat optare?

FORMVLA. COMITIS. ARCHIATRORVM

INter vtilissimas artes, quas ad sustentandam humanę fragilitatis indigentiā, Diuina tribuerunt, nulla præstare videtur aliquid simile, quam quod potest auxiliaris medicina cōferre. Ipsa enim morbo periclitantibus materna gratia semper assistit. Ipsa contra dolores pro nostra imbecillitate confligit. & ibi nos nititur subleuare, vbi nullæ diuitiæ, nulla potest dignitas subuenire. Causarum periti palmares habentur, cum magna negocia defenderint singulorum. sed quanto glorioſius est expellere, quod mortem videbatur inferre? & salutem periclitanti reddere, de qua coactus fuerat desperare? Ars, quæ in homine plus inuenit, quam in se ipse cognoscit. Periclitantia confirmat. quassata corroborat. & futurorum præscia valetudini non cedit, cum se æger præsenti debilitate turbauerit, amplius intelligens quam videtur, plus credens lectioni, quam oculis. Vt ab ignorantibus pene præsagium putetur, quod ratione colligitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

colligitur. Huic peritiæ deesse iudicem, nonne humanarum rerum probatur obliuio? Et cum lasciuæ voluptates recipiant tribunum, hoc non meretur habere primarium? Habeant itaq; præsulem, quibus nostram committimus sospitatem. Sciant se huic reddere rationem, qui operandam suscipiunt humanam salutem. Non quod ad casum fecerit, sed quod legerit, ars dicatur. alioqui periculis potius exponimur, si vagis voluntatibus subiacemus. Vnde si hæsitatum fuerit, mox queratur. Obscura nimis est hominum salus, temperies ex contrarijs humoribus constans. vbi quicquid horum excreuerit, ad infirmitatem protinus corpus adducit. Hinc est, qđ sicut aptis cibis valetudo fessa recreatur, sic venenum est, quod incompetenter accipitur. Habeantur itaque medici pro incolumitate omnium. & post scholas magistrum vacent, libris delectentur antiquis. Nullus iustius assidue legit, q̄p qui de humana salute tractauerit. Deponite medendi artifices noxias ægrotantium contentiones. vt cum vobis non vultis cedere, inuenta vestra inuicem videamini dissipare. Habetis quē sine inuidia interrogare possitis. Omnis prudens consiliū quærit, dum ille magis studiosior agnoscitur, qui cautior frequenti interrogatione monstrat. In ipsis quippe artis huius initijs quædam sacerdotij genere sacramenta nos consecrant. Doctoribus enim vestris promittitis, odisse nequitiam, & amare puritatem. Sic vobis liberum non est, sponte delinquere, quibus ante momenta scientiæ animas imponitur obligare. Et ideo diligentius exquirite, quæ curent saucios, corroborent imbecilles. Nam vidēro q̄p delictum lapsus excusset. Homicidij crimen est, in hominis salute peccare. Sed credimus iam ista sufficere, quando facimus, qui vos debeat admonere. Quapropter a præsenti tempore Comitiuæ Archiatrorum honore decorare. Vt inter salutis magistros solus habearis eximius. & omnes iudicio tuo cedant, qui se ambitu mutuæ contentionis excruciant. Esto arbiter artis egregiæ, eorumque discinge conflictus, quos iudicare solus solebat effectus. In ipsis ægros curas, si contentiones noxias prudenter abscidis. Magnum munus est, subditos habere prudentes, & inter illos honorabilem fieri, quos reuerentur cæteri. Visitatio tua sospitas sit ægrotantium, refectio debilium, spes certa fessorum. Requirant rudes, quos visitant, ægrotantes, si dolor cessauit, si somnus affuerit. De suo vero langore te ægrotus interroget, audiatq; a te verius, quod ipse patitur. Habetis & vos certe verissimos testes, quos interrogare possitis. Perito siquidem Archiatro venarum pulsus enuntiat, quid intus natura patiatur. Offeruntur etiam oculis vrinæ, vt facilius sit vocem clamantis nō aduertere, q̄ huiusmodi minime signa sentire. Indulge te quoque palatio nostro. habeto fiduciam ingrediendi. quæ magnis solent præstijs comparari. Nam licet alij subiecto iure seruiant, tu rerum domino studio præstantis obserua. Fas est tibi, nos fatigare ieiunijs. fas est, contra nostrum sentire desiderium. & in locum beneficij dictare, quod nos ad gaudia salutis excruciet. Talem tibi deniq; licentiam nostri esse cognoscis, qualem nos habere non probamur in cæteros.

FORMVLA

FORMVLA. CONSVLARITATIS

QVanuis dignitatem tuam a Consulibus descendere nominis ipsius videantur testimonia declarare, tamen & insignia tanta circunstant, vt nullus possit ambigere, te de illius lampadis claritate lucere. Secures enim & fasces, quos illi dicauit genio Antiquitas, tuis vidētur faleris deputata. vt iurisdictio concessa vel tacita possit admonere prouincias. Sed quale tibi debet esse, quod curules inclytas probatur ornare? Vultus quinetiam regnātium geniata obsequij pompa prēmittit. vt non solum summi iudicis, sed & dominorum reuerētia cumulatus orneris. O magnæ temperationis inuentum. De nomine consulis promitteris clementissimus, & de principum imagine metuendus. In aliquibus adhuc prouincijs ornatus penula, carpenti etiam subuectione, decoraris. vt multis declaretur indicijs, per expressas imagines rerum vices te prēcelsæ gerere dignitatis. Considera, magnum esse, quod suscipis. & nulla criminum deiectione vitieris. Nominis tui auctor multa conferendo prædicatur. Tu age ne vllis cupiditatibus accuseris. vt si dare non præuales, certe te moderari velle festines. Proximus enim habetur donanti, de quo potest dici, abstinēs est iugiter alieni. Certe fœdissimę contrarietatis vitium est, studere furtis, & habere vocabulū largitatis. Erigat ad laudem tuos animos, quod vocaris. Non te profecto meritis imparem facis, si turpissimę ambitionis delicta calcaueris. Nam errores noxios vincere, vitia maculosa superare, & iste re vera editus est de moribus cōsulatus. Nec enim superflue prudētissimi Veterum talia rebus nomina imposuerunt. dum continentiæ magnæ præsulem prouincijs mitterent consularem. Triumpha iura publica, largire iustitiam, & ex fortiori parte imitari præuales, quem nominis proximitate contingis. Pecunijs potest indigere mediocribus, morū talenta non potest habere, qui iustus est. Non pauescas largas Consulum manus. Habent & boni pauperes diuitias suas. Illud ergo a te queritur, quod in pectore humano nascitur, non quod terræ visceribus continetur. Quanto melius triumphare ex animi thesauro, vnde nunquam nascitur pœnitudo? quia nec tenuis efficeris, cum plura concedis. quinimmo tantum locupletior redderis, quantum de bona conscientiæ sparsisse cognoscis. Quapropter opinionis tuæ laude pellecti, per illam Indictionem, in illa prouincia, Consularitatis te præcipimus agere dignitatem. vt tibi non sit acceptum, quod legibus probatur inimicum. Illa magis dilige, quæ æquitatis iura commendant. Nomen tuum actionibus proba. Consule fessis, & tunc vere diceris Consularis. Sed vt omnia æquabili moderatione pensentur, institue pecunias non quærere, & agnoscis munera tibi copiosa prouenire. Hanc enim conditionem humanis actibus diuina posuerunt, vt ille magis possit ditescere, qui lucra turpia nescit optare. Ignorantes accipiunt, qui bene agunt. Quia necesse est, vt dum parumper malorum ambitio contemnitur, superno munere plus donetur.

FORMVLA

Universidad de Deusto
Biblioteca

FORMVLA . RECTORIS . PROVINCIAE

OMnino prouide decreuit Antiquitas, Iudices ad ꝓuinciã mitti, ne possit ad nos veniendo mediocritas ingrauari. Quis enim latronum ferret audaciam, si longe positam cognoscerent disciplinam? Absolute poterat vis permissa crassari, si conquerens tardius crederetur audiri. Sed quanto melius in ipsis cunabulis adhuc mollia reprimere, cꝫ indurata crimina vindicare? In compendium mittimus mala, si p̃sentia facimus esse iudicia. Quis enim audeat peccare, cum supra cerui ces suas districtionem cognouerit imminere? Et ideo te illi prouinciæ Rectorem, per illam Indictionem, nostra mittit electio. vt reuera corrigere nitaris, quos tibi cõmissos esse cognoscis. Chlamydis tuæ proculdubio inter alia clauos intende, quos scias nõ inaniter positos. Hinc fit, vt cũ publicum agentes purpuram cernerent, de vigore semper principis admonerent. Geniatus indutus, vestis gratiosa, quã filio suo Priapo Venus dicitur texuisse, vt eximiæ pulchritudinis matrem singulariter ornatus filius testaretur. Respice, quãtum dederint leges, & ad mensuram te potestatis extende. Tibi fiscalium tributorum credita monstratur exactio. Constat esse tuę fidei commissum, principi renuntiare, quod in prouincijs probatur emergere. Tu etiam Senatorem ibidem residentem iuberis audire. tu in Prefectorum militem cum ipsius tantum cõscientia vindicare. Tuum nomẽ in subscriptionibus iusserunt Honoratis Prouincialibus anteferri. Quid de te æstimatũ sit, datur aduerti, cui tot videntur nobiles potuisse postponi. Additur, quod a principe frater vocaris. vt nobilitate pretiosi nominis a vilitate criminum tollereris. Cogita, tantorum hominum tibi commissas esse fortunas. Fama erunt nostri temporis tui mores. Esto vitæ continens, vt possis in alios esse iudex. Prima æquitas est, a se præsules inchoare. vt debeant criminosi metuere, quem nequeũt similem reperire. Nullas enim in se culpas timet reus, quas habere respexerit cognitorem. quando agentem male nisi bonis moribus nõ æstimat displicere. Suos actus nullus damnat in altero. quia natura est humani animi, vt nitatur potius vindicare, quod se cognouerit admisisse. O quale est, liberum tribunalibus insidere. non esse obnoxium reo suo. ne incipiat potior fieri, quem redemit. timeat districtum. timeat continentem. non audiat blandum. Da vt possit rigidam formidare sententiam, auari iudices nesciunt, quantũ delinquunt. Nam cum vendunt aliena crimina, sua faciunt esse peccata. Quapropter esto solicitus, vt bonæ actionis tuę laudes potius audiamus. A nobis confidẽter exigis, quod remittis. Quia tantũ de remuneratiõe tua cogitamus, q̃tum te pecunias nõ quæsisse, cognouimus.

FORMVLA . COMITIVAE . SYRACVSANAE

REgalis est prouidentiæ, tales Iudicum personas eligere, vt ad Comitatum necessitatem nõ habeant veniendi, quos in longinquis regionibus contigerit immorari. Nullum enim tale negocium est, quod siculi itineris tantas pati possit expensas, dũ cõmodius sit,

sit, causam perdere, q̃ aliquid per talia dispendia cõquisisse. Non enim querelas de Sicilia volumus venire, sed laudes. quia grauatur apud nos actio præsulis, si eam tam longinqui potuerint accusare petitores. Falsus enim dolor esse non creditur, vbi tanti laboris tædia subeuntur. Et ideo maiore cura tractanda sunt, vnde inuidia plus timetur. Proinde per Indictionem illam, Comitiuam tibi Siracusanæ ciuitatis, propitia diuinitate, concedimus. vt omnia sic agere nitaris, quemadmodum nos tibi præstitisse cognoscis. De proximis vota causantium sustinemus. inde autem vltro requirimus, vnde ad nos difficile veniri posse sentimus. Habes quę te decorare debeant, si tu tamen ibi conscientia defecatus aduenerís. Militum tibi numerus nostris seruit expẽsis. Redderis inter arma geniatus, processio tua procinctualis ornatus est. Exercitu veteris pacato, nec pericula belli subis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc ciuilem cogita disciplinam. Non permittas milites esse possessoribus insolentes. Annonas suas sub moderatione percipiant. causis non misceantur extraneis. Pro securitate se omnium cognoscat electum, qui se gloriatur habere armatum. Priuilegia dignitatis tuæ nec volumus minui, nec iubemus excedi. Sufficiat tibi tantum gerere, quantum decessores tuos constiterit rationabiliter effecisse.

FORMVLA . COMITIVAE . NEAPOLITANAE

INter cætera vetustatis inuenta, & ordinatarum rerum obstupenda præconia, hoc cunctis laudibus meretur efferri, cꝫ diuersarum ciuitatum decora facies aptis administrationibus videtur ornari. vt & conuentus nobilium occursione celebri colligatur, & causarum nodi iuris disceptatione soluantur. Vnde nos quoque non minorem gloriam habere cognoscimus, qui facta Veterum annuis solennitatibus innouamus. Nam quid prodesset inuentum, si non fuisset iugiter custoditum? Exeunt a nobis dignitates relucentes quasi a Solis radijs, vt in orbis nostri parte resplendeat custodita iustitia. Ideo enim tot emolumentorum commoda serimus, vt securitatem prouincialium colligamus. Messis nostra cunctorum quies est. quam non possumus aliter recordare, nisi vt subiecti non videantur aliquid irrationabiliter perdidisse. Et ideo ad Comitiuam te Neapolitanam per illam Indictionem libenter adducimus. vt ciuilia negocia æquus trutinator examines. tantumcꝫ famam tuam habita maturitate custodias, quantum te illi populo vel in leui culpa facile displicere cognoscas. Vrbs ornata multitudine ciuium, abundans marinis terreniscꝫ delitijs. Vt dulcissimam vitam te ibidem inuenisse dijudices, si nullis amaritudinibus miscearis. Prætoria tua officia replent, militum turba custodit. Considis geniatum tribunal. sed tot testes pateris, quot te agmina circundare cognoscis. Præterea litora vscꝫ ad præfinitum locum data iussione custodis. Tuæ voluntati parent peregrina commercia. Prestas ementibus de prætio suo, & gratiæ tuę proficit, quod auidus mercator acquirit.

Sed inter hęc præelara faſtigia optimum eſſe iudicem decet. quando ſe non poteſt occulere, qui inter frequẽtes populos cognoſcitur habitare. Factum tuum erit ſermo ciuitatis. dum per ora fertur populi, quod a iudice contigerit actitari. Habet vltionem ſuam hominũ frequentia, ſi loquar ad diuerſa. & de iudice iudicium eſſe creditur, quod multis adſtipulationibus perſonatur. Contra, quid melius, cꝫ illum populum gratum reſpicere, cui cognoſceris præſidere? Quale eſt perfrui fauore multorum, & illas voces accipere, quas & clementes dominos delectat audire? Nos tibi proficiendi materiam damus. tuum eſt ſic agere, vt ſua beneficia principem delectet augere.

FORMVLA · HONORATIS . POSSESSORIBVS . ET . CVRIALIBVS . CIVITATIS . NEAPOLITANAE

TRibuta quidem nobis annua deuotione perſoluitis. ſed nos maiore viciſſitudine decoras vobis reddimus dignitates. vt vos ab incurſantium prauitate defendant, qui noſtris iuſſionibus obſecundant. Erit noſtrum gaudium, veſtra quies. ſuaue lucrum, ſi neſciatis incommodum. Degite moribus compoſitis, vt viuatis legibus feriatis. Quid opus eſt, quenquam facere, vnde pœnas poſſit incurrere? Quærat iudex in vos cauſas, & non inueniat. Ratio motus veſtros componat, qui rationales nos eſſe cognoſcitis. Improbis iudicẽ, teſtem bonis moribus deſtinamus. vt nemo ſe cogi ſentiat, niſi quem ordo legitimæ conuerſationis accuſat. Atque ideo illi nos Comitiuam Neapolitanæ ciuitatis per illam Indictionem dediſſe declaramus. vt noſtra gubernatione laudatus, alteram mereatur de noſtro iudicio dignitatem. Cui vos conuenit prudenter obedire. quia vtrunqꝫ laudabile eſt, vt bonus populus iudicem benignum faciat, & manſuetus iudex gratiſſimum populum æquabili ratione componat.

FORMVLA . DE . COMITIVA . PRINCIPIS . MILITVM

OMnes apparitiones decet habere iudices ſuos. Nam cui præſul adimitur, & militia denegatur. Sed nos, quibus cordi eſt, locis ſuis vniuerſos ordines continere, indicamus, illi Comitiuã Neapolitanam, Deo iuuante, largitos. Vt iudicibus annua ſucceſſione reparatis, vobis ſolennitas non pereat actionis. Quapropter deſignato viro præſtate competentes obſequium. vt ſicut vos non patimur, emolumentorum commoda perdere, ita & vos parendi debeatis priſcam regulam cuſtodire.

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM . LIBER . SEPTIMVS

FORMVLA . COMITIVAE . PROVINCIAE

VAnuis omnium dignitatum officia a manu ſecludantur armata, & ciuilibus veſtibus videantur induci, qui diſtrictionem publicam docentur operari, tua tamẽ dignitas a terroribus ornatur, quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis, accingitur. Vide quo iudicio frueris euectus, quando alĳs vigorem faſcium videamus eſſe creditum, tibi autem ab ipſis legibus ferrum conſtet eſſe porrectum. Rem cruentam dederũt animo pacato, vt & noxĳ nimium metuerent, & leſi de optata vltione gauderent. Alioqui culparentur priores, ſi temperata omnia non feciſſent. Sed cum te intelligas ad moderamen electum, humanum facile non concupiſcas exitium. Reus qui dicitur, & probetur. Scito puniendi remedium datũ tibi pro ſalute multorum. Arma iſta iuris ſunt, non furoris. Hæc oſtentatio nimirũ eſt contra noxios inſtituta. vt plus terror corrigat, cꝫ pœna conſumat. Non enim cogitur ferro ſuccidere robuſtam, qui adhuc tenerã verbis curuat audaciam. Ciuilis eſt pauor iſte, non bellicus. quem tu non facies eſſe glorioſum, ſi habere non probetur exceſſum. Habes etiam & ferrum, nihilominus incruentum. Claudantur nexibus cathenarum, quos leuium criminum pulſat inuidia. Cunctator eſſe debet, qui iudicat de ſalute. Alia ſententia poteſt corrigi, de vita tranſactum non patitur immutari. Signa tua abactores timeant, fures paueſcant, latrones perhorreant, Innocentia tantũ læta reſpiciat, dum ſibi auxilia veniſſe credit, quæ legũ diſciplina tranſmiſit. Nemo redemptionibus tuum velle deflectat. Gladius cõtemnitur, vbi aurum ſuſcipitur. Tu te inermem reddis, ſi a virili animo cupiditate receſſeris. Quocirca per Indictionem illam Comitiuæ tibi in illa prouincia tribuimus dignitatem. Vt ad titulos tuos pertinentia ciuilitate potius laudabilis exequaris, nec quicquam præſumas facere, niſi quod priuatus poſſis legibus vindicare. Ipſa eſt enim recta adminiſtratio, quę & ſine poteſtate defendit. Vt tunc probetur fuiſſe iuſtus, quando ei quæ mauult obĳcere poſſit inimicus. Nec tamen ſpes veſtra velut faſtiditate deſeritur. nam ſi bene prouinciarum adminiſtrationibus præſidetis, honores vos ampliſſimos ſperare, leges merito cenſuerunt. Vnde iam videtur pene debitum, quod vobis a tanta auctoritate vltro noſcitur fuiſſe promiſſum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FORMVLA . PRAESIDATVS

PRudenter omnimodis inſpexit Antiquitas, prouinciarum dignitates annua ſucceſſione reparari. vt nec diutina poteſtate vnus inſoleſceret, & multorum prouectus gaudia reperirent. Sufficit enim vnicuiq; diſceſſiſſe laudatum. quia dum tempus poteſtatis prolixum queritur, culparum opprobria non vitantur. illa enim vel in breuitate declinare mirabile eſt, dum frequenter & his ſurripiunt, qui a faſcibus ſub velocitate diſcedunt. Annus vniuerſus & ad declaranda conſcientiæ bonę ſufficit, & facilius ſe ab errore cuſtodit. Sit in veſtro propoſito, adminiſtrationem vnius anni ſuſcipere. noſtrum eſt, merentibus tempus augere. Quia non facile remouere cupimus, quos iuſtos eſſe ſentimus. Iccirco conuerſationis tuæ moribus inuitati, per illam Indictionem Præſidatum tibi in illa prouincia, propitia diuinitate, cõcedimus. vt ſic debeas agere, quẽadmodum nobis poſſeſſor gratias cum tributis videatur exoluere. Deceſſorum bona exempla ſequere. a vitioſorum te imitatione diſiunge. non putetur omnis conſuetudo probabilis. Cautum debet reddere, nõ ſequacem, error alienus. Prodit ſtultitiæ culpam, qui ſequitur accuſatum. Sed illud melius eligitur, vnde pręſidentis opinio ſub adminiſtratione laudatur. Reſpice quãtis ſit prouincia plena nobilibus. Habes qui & bene loqui de te debeant, & derogare præſumant. Quia nulla poteſtas eſt, quæ qualitatem famæ ſuę de ore hominum poſſit auferre. Contraq; fructus eſt, opinione prædicabili per confines ire prouincias. & ibi inuenire veriſſimam laudem, vbi non imperas poteſtate. Additur, q; irremuneratum non relinquimus, ſi te egiſſe probabiliter audiamus. Horre vitium, & principis mereris affectũ. Voluntatem regiam in legibus habes. illis obtempera, & noſtra cognoſceris implere mandata.

FORMVLA . COMITIVAE . GOTHORVM . PER SINGVLAS . PROVINCIAS

GVm, Deo iuuante, ſciamus Gothos vobiſcum habitare permixtos, ne qua inter cõſortes, vt aſſolet, in diſciplinatio naſceretur, neceſſarium duximus, illum ſublimem virum, bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem deſtinare. qui ſecundũ edicta noſtra inter duos Gothos litem debeat amputare. ſi quod etiã inter Gothum et Romanum natum fuerit fortaſſe negocium, adhibito ſibi prudẽte romano certamẽ poſſit æquabili ratione diſcingere. Inter duos aũt Romanos Romani audiant, quos per prouincias dirigimus cognitores. vt vnicuiq; ſua iura ſeruentur, & ſub diuerſitate iudicum vna iuſtitia complectatur vniuerſos. Sic pace communi vtræq; nationes, diuinitate propitia, dulci ocio perfruantur. Scitote autem, vnam nobis in omnibus æquabiliter eſſe caritatem. ſed ille ſe animo noſtro amplius cõmendare poterit, qui leges moderata voluntate dilexerit. Non amamus aliquid inciuile, ſceleſtam iu-

perbiam

perbiam cum ſuis deteſtamur auctoribus. Violentos noſtra pietas execratur. In cauſa poſſint iura, non brachia. Nam cur eligant quærere violenta, qui præſentia probantur habere iudicia? Ideo enim emolumenta iudicibus damus, ideo tot officia diuerſis largitatibus continemus, vt inter vos non ſinamus creſcere, quod poſſit ad odium pertinere. Vnum vos amplectatur viuendi votum, quibus vnum eſſe cõſtat imperium. Audiat vterq; populus, quod amamus. Romani vobis ſicut ſunt poſſeſſionibus vicini, ita ſint & caritate coniuncti. Vos autem Romani magno ſtudio Gothos diligere debetis, qui & in pace numeroſos vobis populos faciũt, & vniuerſam Rem publicam per bella defendunt. Itaque deſtinato a nobis Iudici vos conuenit obedire. vt quicquid pro cõſeruandis legibus cenſuerit, modis omnibus impleatis. quatenus & noſtro imperio, & veſtrę vtilitati ſatisfeciſſe videamini.

FORMVLA . DVCATVS . RETIARVM

QVanuis ſpectabilitatis honor vnus eſſe videat, nec in his aliquid aliud niſi tempus ſoleat anteferri, tamẽ rerum qualitate perpenſa multum his creditum videtur, quibus confinales populi deputantur. Quia non eſt tale pacatis regionibus ius dicere, quale ſuſpectis gentibus aſſidere. vbi non tantum vitia, quantũ bella ſuſpecta ſunt. nec ſolum vox præconis inſonat, ſed tubarum crepitus frequenter inſultat. Retię nanq; munimina ſunt Italiæ, & clauſtra prouinciæ. Quę nõ immerito ſic appellata eſſe iudicamus. quãdo contra feras & agreſtiſſimas gentes, velut quędam plagarum obſtacula, diſponuntur. Ibi enim impetus gentilis excipitur, & tranſmiſſis iaculis ſauciatur furibunda præſumptio. Sic gentilis impetus, veſtra venatio eſt. & ludo geritis, quod nos aſſidue feliciter egiſſe ſentitis. Ideoq; validum te ingenio ac viribus audientes, per illam Indictionem, Ducatum tibi credimus Retiarum. Vt milites & in pace regas, & cum eis fines noſtros ſolenni alacritate circueas. Quia nõ paruam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam. quando tranquillitas regni noſtri tua creditur ſolicitudine cuſtodiri. Ita tamen, vt milites tibi commiſſi viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum. quia clypeis ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis. Quos ideo conſtat appoſitos, vt intus vita felicior ſecura libertate carpatur. Quapropter noſtro reſponde iudicio, fide nobis & induſtria placiturus. vt nec gentiles ſine diſcuſſione ſuſcipias, nec noſtros ad gentes ſub incurioſitate tranſmittas. Ad neceſſitatem ſiquidem rarius venitur armorum, vbi ſuſcepta ſurreptio cuſtodiri poſſe ſentitur. Priuilegia vero dignitatis tuæ noſtris tibi iuſſionibus vindicabis.

FORMVLA . CVRAE . PALATII

AVla noſtra ſicut agnoſcitur peritis diſpoſitionibus inſtituta, ſ ta doctorum in ea diligens debet eſſe cautela. Quando pulchritudo illa mirabilis, ſi ſubinde nõ reficitur, ſenectute obrepente vitiatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc noſtra ſunt oblectamenta, potentiæ imperij decora facies, teſtimonium præconiale regnorum. hæc legatis ſub admiratione monſtrantur, & prima fronte talis dominus eſſe creditur, quale eius habitaculum comprobatur. Et ideo magna voluptas eſt prudentiſſimæ mentis, pulcherrima iugiter habitatione gaudere, & inter publicas curas animum feſſum reficere dulcedine fabricarum. Quas primum cyclopes dicuntur ad antrorum modum ampliſſimas in Sicilia condidiſſe, poſtquam in cauernis montium Polyphemus ab Vlyſſe ſingularis oculi lugẽdam pertulerat orbitatem. Inde ad Italiam fabricandi peritia legitur fuiſſe translata. Vt quod tantis ac talibus inſtitutoribus inuentum eſt, æmulatrix poſteritas in ſuum commodum cuſtodiret. Hinc eſt, q̃ ſublimitatem tuam ab illa Indictione curam palatij noſtri ſuſcipere debere cenſemus. Vt & antiqua in nitorem priſtinum contineas, & noua ſimili antiquitate producas. Quia ſicut decorũ corpus vno conuenit colore veſtiri, ita nitor palatij ſimilis debet per vniuerſa membra diffundi. Atque ſic poteris idoneus inueniri, ſi frequenter geometram legas Euclidem, ſi ſchemata eius, mirabili varietate deſcripta, in tuæ mentis contemplatione condideris. vt in hora commonito famuletur tibi copioſa notitia. Archimedes quoque ſubtiliſſimus exquiſitor cum Metrobio tibi ſemper aſſiſtant, vt ad noua reddaris paratiſſimus. Non enim tibi minima cura delegatur, quando animum noſtrum fabricandi ſtudio cupidiſſimum artis tuæ miniſterio probaris explere. Nam ſicubi aut ciuitatem reficimus, aut caſtellorum volumus fundare nouitatem, vel ſi conſtruendi nobis prætorij amœnitas blandiatur, te ordinante ad oculos perducitur, quod nobis cogitantibus inuenitur. Decorum magiſterium, propoſitum omnino glorioſum, in tam longas ætates mittere, vnde te debeat poſteritas admirata laudare. Quicquid enim aut inſtructor parietum, aut ſculptor marmorum, aut æris fuſor, aut camerum rotator, aut gypſoplaſtes, aut muſiuarius ignorat, te prudenter interrogat. & tam magnus ille fabrilis exercitus ad tuum recurrit iudicium, ne poſſit aliquid habere confuſum. Vide ergo quanta debet noſſe, qui poſſit tantos inſtruere. Recipis certe bonæ diſpenſationis tuæ vberrimum fructum, cum tu de illorum labore laudaris, ſi ab eis diligenter facta monſtraueris. Quapropter quicquid ad te pertinet, ita decenter, ita firmiter volumus explicari, vt ab opere Veterum ſola diſtet nouitas fabricarum. Sed hæc poſſibilia facis, ſi dona noſtra nulla cupiditate ſuppreſſeris. Efficaciter enim imperat artifici, qui eum competenti non patitur commoditate fraudari. Manus larga artium nutrit ingenia. quando qui de victu non cogitat, perficere iuſſa feſtinat. Illud quoque conſidera, qua gratificatione tracteris, vt aurea virga decoratus, inter obſequia numeroſa, ante pedes regios primus videaris incedere. velut ipſo teſtimonio vicinitatis noſtræ agnoſcamus tibi palatia commiſiſſe.

FORMVLA

FORMVLA. COMITIVAE. FORMARVM. VRBIS

QVanuis Romuleæ fabricæ collatæ ſibi vix poſſint præcipuę reperiri (quia totum admiratione noſcitur exquiſitum, quod ibi cernitur eſſe fundatum) tamen intereſſe arbitramur, quod vtilitas neceſſaria gratificat, et q̃d pulchritudinis tantum cauſa commendat. Traiani Forum vel ſub aſſiduitate videre miraculum eſt. Capitolia celſa conſcendere, hoc eſt humana ingenia ſuperata vidiſſe. Sed nunquid per ea viuitur, aut corporis ſalus aliqua inde delectatione recreatur? In Formis autem Romanis vtrunque præcipuum eſt, vt fabrica ſit mirabilis, & aquarum ſalubritas ſingularis. Quod enim illuc flumina, quaſi conſtructis montibus, perducuntur, naturales credas alueos ſoliditates ſaxorum. quando tantus impetus fluminis, tot ſæculis firmiter potuit ſuſtineri. Cauati montes plerunque ſubruunt, meatus torrentium diſſipantur, & opus illud veterum non deſtruitur, ſi induſtria ſuffragante ſeruetur. Reſpiciamus certe, aquarum copia quantum Romanis mœnibus præſtat ornatum. Nam thermarum illa pulchritudo quid eſſet, ſi dulciſſima quædam æquora non haberet? Currit aqua Virgo ſub delectatione puriſſima. quæ ideo ſic appellata creditur, q̃ nullis ſordibus polluatur. Nam cum aliæ pluuiarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aërem perpetuo ſerenum puriſſime labens vnda mentitur. Quis poſſit talia ſermonibus idoneis explicare? Claudiam per tantam faſtigij molem ſic ad Auentini caput eſſe perductam, vt cum ibi ex alto lapſa ceciderit, cacumen illud excelſum, quaſi imam vallem irrigare videatur. Aegyptius Nilus certis tẽporibus creſcens per campos iacentes ſuperducto diluuio aëre ſereno turbulentus exæſtuat. ſed quanto pulchrius eſt, Claudiam romanã per tot ſiccas montiũ ſummitates lauacris ac domibus liquores puriſſimos fiſtularũ vberibus emiſiſſe? & ita æqualiter fluere, vt nunc̃ ſe poſſit deſiderata ſubducere? Ille enim dum recedit, limus eſt. dum venit inſperate, diluuiũ. Quis ergo famoſum Nilum vrbis noſtrę fluminibus non æſtimet eſſe ſuperatũ? Quando ille incolas ſuos aut veniendo terret, aut recedendo deſtituit. Verum hæc non ſuperflua cõmemoratione narrauimus. vt poſſis aduertere, qualis a te diligentia perquiratur, cui pulchritudo tanta committitur. Qua de re, per Indictionem illam, Comitiuam tibi Formarum ſub magna deliberatione credidimus. vt ſummo ſtudio nitaris efficere, q̃d tãtis ac talibus rebus videris expedire. In primis noxias arbores, quæ inferunt fabricarũ ruinas, dum ſunt quidã mœnium importabiles arietes, cenſemus radicitus amputari. quia nulla læſio remouetur, cuius origo nõ tollitur. Si quid aũt conficiente ſenio fuerit demolitũ, peruigili celeritate reparetur. ne creſcente defectu augeatur nobis cauſa diſpendij. Ductus aquę fortuna tua eſt, dũ incolumis eris, ſi illa ſolidaueris, tantumc̃ apud nos proficis, quantum te illi ſtuduiſſe probaueris. Agat ergo peritia fidesc̃ tua, vt & cõſtructio fabricę illibata permaneat, & aquæ diſtributio nulla ſe cuſtodũ venalitate ſubducat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FORMVLA. PRAEFECTI. VIGILVM. VRBIS. ROMAE

QVanuis nomen tuũ ad ciuitatis te vigilias debeat excitare, vt possis implere, quod diceris. tamen prudentiæ nostræ solita cautela non deserit, nisi eos quos ad agendum deligimus, ad parendum quoq; suauiter inuitemus. Quid est tibi pulchrius, q̃ in illa Vrbe operam nauanter impendere, diligentiæ tuæ vbi tales testes videntur assistere? Cautela quidem tua, mox vt adhibita fuerit, per Patritiorum & Consulum ora discurrit. vix te contigit aliquid solicite facere, & audis proceres cum admiratione laudare. Mediocrem dignitatem regis, & in summa opinione versaris. Custos Romanæ ciuitatis diceris, quando eam ab intestino hoste defendis. Quapropter circa fures solicitus esto. quos si tibi leges punire minime præcipiunt, tamen eos indagandi licentiã nõ tulerunt. credo vt quanuis essent raptores detestabiles, tamẽ quia dicebantur Romani, maiori eos subderent dignitati. Vtere igit̃ per Indictionem illam Præfecturæ Vigilis dignitate. Horror tibi pœnarum ademptus est, non potestas. nam lex a quo voluit malos capi, ipsum censuit plus timeri. Eris securitas sopor antium, munimen domorum, tutela clausstrorum, discussor obscurus, arbiter silentiosus, cui fallere insidiantes fas est, et decipere gloria. Actus tuus venatio nocturna est. quæ miro modo si non cernitur, tunc tenetur. Furta magis in furibus facis, dum illos circumuenire niteris, quos omnibus illudere posse cognoscis. Præstigij genus est, quod agitis, vt latronum versutias irretire possitis. Facilius enim æstimamus, sphingis ænigmata comprehendi potuisse, q̃ raptoris fugacem præsentiam reperire. Ille circunspectus ad omnia, instabilis ad uentura, trepidus ad insidias, quemadmodum potest capi, qui more venti nullo situ cernitur contineri? Vigila impiger cum nocturnis auibus. nox tibi pandat aspectus. & sicut illæ reperiunt in obscuris cibũ, ita tu possis inuenire præconium. Esto nunc ad iniuncta solicitus. Venalitas tibi non adimat, quòd concedit industria. Nam licet hæc sub profunda caligine videantur geri, nullus tamen actus est, qui possit abscondi. Priuilegia quoq; vel officij deputati ex nostra tibi auctoritate rationabiliter vendicabis. Quia necesse est, in tã magna ciuitate per diuersos iudices agi, quod ab vno non potest explicari.

FORMVLA. PRAEFECTI. VIGILVM. VRBIS. RAVENNATIS

QVanuis dignitate magni nominis prima fronte decoreris (quia non potuit Antiquorum prudentia summa imaque simili appellatione censere, ne splendorem, quem summis dabat, alterius vilitate pollueret) tamen hinc intelligitur, quid sentire Maiorum potuisset auctoritas. quando Præfectos Vigilibus appellare voluere, qui pro generali quiete discurrunt. Tibi enim commissa est fortunarum securitas, ciuitatis ornatus, vtilitas omnium, scilicet, vt circa domesticos crassatores bellum pacatum gereres, si quem ciuium lędendum esse sentires.

tires. Custodi fortunas omnium. Securus somnus te vigilante carpitur, & molestia nulla sentitur. In pace positus sumis de nocturno fure victoriam. Tuis laureis mane ciuitas defensa lętatur. quę dum captos respicit, tũc se occulto hoste caruisse cognoscit. Quottidie triumphas, si bene vigilas. Et cum rara sit gloria bellici certaminis, tibi iugiter latronibus famulatur inuentis. O ducatum nimia ciuium affectione susceptum. assumes prædones inquirere, quos per se dominus non valet inuenire. & duplici ratione beneficus, aut futura furta prohibes, aut commissa concludis. Nonne ista quædam est ineffabilis gratia ciuitatis, vnum in se suscipere, quod videt omnibus expedire? Merito tibi glorioſum nomen Præfecti, prudens Antiquitas deputauit. quia illud facere nõ poterat, nisi qui ciues a suis commodis plus amabat. Officium quoq; tuum non paruo constat munere subleuatum. quando & ipsis momenti iura dilatata sunt, qui pro securitate ciuium militare noscuntur. Quæ cum ita sint, Præfecturã tibi Vigilum, per illam Indictionem, delectati tua opinione, concedimus. Ita vt & curam huius dignitatis, & priuilegia tibi competẽtia modis omnibus exequaris. Sed quanuis nomen odiosissimum furum generalis persequatur assensus, tamẽ quia de effusione humani sanguinis agitur, nil subitum aut indeliberatũ iubemus assumi. Modestiam sequere, qui damnas audaciam. cõtinentiam dilige, qui furta condemnas. Ad gesta perducti audiantur aliquid pro salute dicturi. Quoniam quicquid non discutitur, iustitia non putatur. Conuictis vero atq; confessis, quę sunt decreta, seruentur, quando crudele nil efficit, qui sequitur leges.

FORMVLA. COMITIVAE. PORTVS. VRBIS. ROMAE

DElitiosa magis q̃ laboriosa militia est, in portu Romano Comitiuæ gerere dignitatem. Illic enim copiosus nauium prospectatur aduentus. Illic veligerum mare peregrinos populos cum diuersarum prouinciarum merce transmittit. & inter tot Spectacula dulcium rerum commodũ tuum est, venientes euasisse periculum. His primum faucibus romanæ delitiæ sentiuntur, & vndis tiberinis, quasi per alueum vadunt, quæ ad commercia ciuitatis abscondunt. Bene inuenta dignitas, quæ copias videtur ornare romanas. Nam quid elegantius potest agi, q̃ vnde probatur populus ille saciari? O inuenta Maiorum. o exquisita prudentum. vt quia lõgius a litore Roma videbatur posita, inde magis esse inciperet, vbi decorum ingressum nauium possideret. Duo quippe tiberini aluei meatus ornatissimas ciuitates, tanquam duo lumina susceperunt. ne vacaret a gratia quod tantę vrbi ministrabat expensas. Eximia ergo res tibi committitur, si moderate peragatur. Tu copiam facis, dum ingredientes iuste tractaueris. Auara manus portum claudit, & cum digitos attrahit, nauium simul vela concludit. Merito em̃ illa mercatores cuncti refugiũt, quę sibi dispendia esse cognoscunt. Qua ppter aduersus ibi ventus est, imoderata pręsumptio. Nam placidũ mare dãnat, qui vndas cupiditatis exaggerat.

Vnusquisq;

Vnuſquiſq; per ſolennitatem commonitus offerat voluntarium munus. Xenia ſunt enim iſta, non debita. A paucis accipit, qui nimium quærit. & ſibi ipſi mittit vitæ munera, qui moderatur oblata. Sit tibi ergo cura præcipua, non ſolum te abſtinere, verumetiam cohibere præſumentium manus. Quia non eſt leue, in illa vbertate delinquere, quam decet cunctos indeſinenter optare. Quocirca per Indictionem illam Comitiuæ Portus te honore decoramus. Vt ſicut dignitas dulces delitias adminiſtrat, ita & tu honori opinionem laudabilem derelinquas.

FORMVLA . TRIBVNI . VOLVPTATVM

QVanuis artes lubricæ honeſtis moribus ſint remotæ, & hiſtrionum vita vaga videatur efferri poſſe licentia, tamen moderatrix prouidit Antiquitas, vt in totum non effluerent, cum & ipſę iudicem ſuſtinerent. Adminiſtranda eſt enim ſub quadam diſciplina exhibitio voluptatum. Teneat ſcœnicos ſi non verus, vel vmbratilis ordo iudiciȝ. Temperẽtur & hæc legum qualitate negocia, quaſi honeſtas imperet inhoneſtis. & quibuſdam regulis viuant, qui viam rectę conuerſationis ignorant. Student enim illi non tantum iucunditati ſuæ, quantum alienæ lætitiæ. & conditione peruerſa cum dominatũ ſuis corporibus tradunt, ſeruire potius animas compulerũt. Dignum fuit ergo moderatorem ſuſcipere, qui ſe neſciunt iuridica conuerſatione tractare. Locus quippe tuus his gregibus hominũ veluti quidam tutor eſt poſitus. Nam ſicut illi ætates teneras adhibita cautela cuſtodiunt, ſic a te voluptates feruidę impenſa maturitate frenandę ſunt. Age bonis inſtitutis, quod nimia prudentia conſtat inueniſſe Maiores. Leue deſiderium, & ſi verecundia non cohibet, diſtrictio pronuntiata modificet. Agantur Spectacula ſuis conſuetudinibus ordinata, quia nec illi poſſunt inuenire gratiam, niſi imitati fuerint aliquam diſciplinam. Quapropter Tribunum te Voluptatũ per illam Indictionem noſtra facit electio. vt omnia ſic agas, quemadmodũ tibi vota ciuitatis adiungas. Ne quod ad lætitiam conſtat inuentum, tuis temporibus ad culpas videatur fuiſſe tranſmiſſum. Cũ fama diminutis ſalua tua opinione verſare. Caſtitatẽ dilige, cui ſubiacẽt proſtitutæ. vt magna laude dicatur, virtutibus ſtuduit, qui voluptatibus miſcebatur. Optamus enim, vt per ludicram adminiſtrationem ad ſeriam peruenias dignitatem.

FORMVLA . DEFENSORIS . CVIVSLIBET . CIVITATIS

SI ad cuiuslibet negocium peragendum talis eligitur, qui conſilio & grauitate laudetur, quanto præſtantior eſſe debet, qui ſuſcipit negocia ciuitatis? Nam ſi periculũ eſt vnum decipere, quod erit, imparem tantorum iudicio extitiſſe? Cauſa enim multorũ bene acta nobilitat. quando totum bono propoſito agere creditur, qui generalibus deſideriȝ adeſſe ſentitur. Defenſorẽ te itaq; illius ciuitatis, per Indictionem illam, ciuium tuorum ſupplicatione permota, noſtra concedit auctoritas.

ritas. vt nil venale, nil improbum facere velis, qui tali nomine nuncuparis. Commercia ciuibus, ſecundum temporum qualitatem, æquabili moderatione diſpone. Definita ſerua, quę iuſſeris. Quia nõ eſt labor vendendi ſummas includere, niſi ſtatuta prætia caſtiſſime cuſtodire. Imples enim re uera boni defenſoris officium, ſi ciues tuos nec legibus patiaris opprimi, nec caritate conſumi.

FORMVLA . CVRATORIS . CIVITATIS

QVanuis per ſe honorabilis habeatur, qui vel nimiam ſolicitudinẽ ciuitati proprię videtur impendere. & inter ſuos magna reuerentia perfruatur, qui ciues ſe amare profeſſus eſt. tamẽ indubitatus honor eſt, qui noſtrę electioni cõfertur. Quia prędituſ bonis inſtitutis creditur, cui aliquid principis auctoritate delegatur. Et ideo ab Indictione illa, illius ciuitatis curã ad te volumus pertinere. Vt laudabiles ordines Curiæ ſapienter gubernes. moderata prætia ab ipſis, quorum intereſt, facias cuſtodiri. Nõ ſit merces in poteſtate ſola vendentiũ. æquabilitas grata cuſtodiatur in omnibus. Opulẽtiſſima ſiquidem & hinc gratia ciuiũ colligitur, ſi pretia ſub moderatione ſeruentur. Vt vere curatoris impleas officium, cum tibi ſolicitudo fuerit de vtilitate cunctorum. Conſuetudines autem tibi ex noſtra auctoritate defende, quas in eodem loco tuos conſtat habuiſſe Maiores.

FORMVLA . COMITIVAE . ROMANAE

SI clauſis domibus ac munitis inſidiari ſolet nequiſſimũ votum, quanto magis in Romana ciuitate videtur illici, qui in plateis pretioſum reperit, quod poſſit aufferri? Nam quidam populus copioſiſſimus ſtatuarum, greges etiam abundantiſſimi equorum, tali ſunt cautela ſeruandi, quali & cura videntur affixi. Vbi, ſi eſſet humanis rebus vlla conſideratio, Romanam pulchritudinem non vigilię, ſed ſola deberet reuerentia cuſtodire. Quid dicamus marmora metallis & arte prętioſa? quæ ſi vacet eripere, rara manus eſt, quæ poſſit a talibus abſtinere. Ibi ſunt expoſita, quę facere potuerũt diuitię generales, & labor mundi. Quem inter iſta deceat eſſe negligentem? Quis in cauſa tali patitur eſſe venalis, quãdo grauiſſimum damnum poteſt fieri in pulchritudine ſingulari? Qua de re per Indictionem illam Comitiuæ Romanæ, cum priuilegiȝ & iuſtis cõmodis ſuis, tibi cõcedimus dignitatem. Vt fideli ſtudio, magnoque niſu, quæras improbas manus. & inſidiantes aut priuatorum fortunis, aut mœnibus ad tuum facias venire iudicium. et rei veritate diſcuſſa congruam ſubeant de legibus vltionem. Quia iuſte tales perſequitur publicus dolor, qui decorem veterum fœdant, detruncatione membrorum. faciuntque illa in monumentis publicis, quæ debent pati. Officium tuum & milites conſuetos noctibus potius inuigilare compelle. in die autem ciuitas ſe ipſa cuſtodit. Vigilans enim ſtudio non indiget alieno. Furta quidem perſuadent, ſed

sed tunc præsumptus facile capitur; cum custos minime superuenire senti-
tur. Statuæ nec in toto mutæ sunt. quando a furibus percussæ custodes vi-
dentur tinnitibus admonere. Proinde diligentiam tuam deuotione lauda-
bili sentiamus. vt cui nunc laboriosos fasces iniungimus, securos honores
postea conferamus.

FORMVLA . COMITIVAE . RAVENNATIS

SI æstimanda est dignitas ex labore. si laudabilis solicitudo actuū
publicorum parit gratiam liberaliter seruienti. summa gratifica-
tione locus tuus habendus est, qui suis necessitatibus probat adi-
mere nostris ordinationibus tarditatem. Quis em̄ nesciat, quan-
tam copiam nauiū leuiter procures admonitus? A dignitatibus Palatij no-
stri vix in euectiōibus scribitur, & iam a te summa celeritate completur. Nā
inter dimissorū festinationes anxias vix sufficit alter aduertere, quod te via-
uaciter cōtingit implere. Negociatorū operas consuetas nec nimias exigas,
nec venalitate derelinquas. Sit modus, qui non potest grauare laborantes.
Vt cum res querelosas sine querimonijs egeris, maiora de nostro examine
merearis. Proinde Comitiuam Rauennatem per illam Indictionem tibi se-
renitas nostra concedit. vt dignitatis tuæ priuilegia subeas & labores. Offi-
cium tuum æquitatis consideratione moderare. Semper enim & præstandi
& lædendi causas inuenit, qui publicis actionibus adhibetur. Sed quantum
administratio tua inter mediocres agitur, tanta debet æqualitate trutinari.
quia illum potius expedit tenere mensuram, qui defectam noscitur guber-
nare substantiam. Idonei damna vix sentiunt, tenues autem leui dispendio
vulnerantur. quando vel mediocri iniuria totum videtur amittere, qui exi-
guum cognoscitur possidere.

FORMVLA . AD . PRAEFECTVM . VRBIS . DE
ARCHITECTO . FACIENDO

ROmanæ fabricæ decus peritum conuenit habere custodem. vt
illa mirabilis sylua mœnium diligentia subueniente seruetur, &
moderna facies operis affabris dispositionibus cōstruatur. Hoc
enim studio largitas nostra cōcedit, vt & facta Veterum exclu-
sis defectibus innouemus, & noua vetustatis gloria vestiamus. Proinde illu-
stris magnitudo tua Romanis arcibus ab illa Indictione datū architectum
esse cognoscat. Et quia iustis commodis studia cōstat arcium nutrienda, ad
eum volumus pertinere quicquid decessores eius constat rationabiliter cō-
secutos. Videbit profecto meliora, q̄ legit. pulchriora, q̄ cogitare potuit,
statuas illas auctorum suorum, scilicet, adhuc signa retinentes. vt q̄ diu lau-
dabilium personarum opinio superesset, tam diu & similitudinem viue sub-
stantiæ imago corporis custodiret. conspiciet expressas in ære venas visu
quosdam musculos tumentes. neruos quasi gradu tensos. & sic hominem
fusum in diuersas similitudines, vt credas potius esse generatū. Has primū
Thusci

Thusci in Italia inuenisse referuntur. quas amplexa posteritas pene parem
populum vrbi dedit, q̄ natura procreauit. Mirabitur formis equinis signa
etiam inesse feruoris. Crispatis enim naribus, ac rotundis, constrictis mem-
bris, auribus remulsis, credet forsitan cursus appetere, cum se metalla noue-
rit non mouere. Quid dicamus columnarum iunceam proceritatem? mo-
les illas sublimissimas fabricarum, quasi quibusdam erectis hastilibus con-
tineri, & substantiæ qualitate concauis canalibus excauatas. vt magis ip-
sas æstimes fuisse transfusas. cæris iudices factum, q̄ metallis durissimis
videas expolitum. marmorum iuncturas, venas dicas esse genitales. vbi
dum falluntur oculi, laus probatur creuisse miraculis. Ferunt prisci sæculi
narratores, fabricarum septem tantū terris attributa miracula. Ephesi Dia-
næ templum. Regis Mausoli pulcherrimum monumentū, a quo & Mau-
seola dicta sunt. Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocatur. Io-
uis Olympici simulachrum, quod Phidias primus artificū summa elegantia
ebore auroq̄ formauit. Cyri Medorum Regis domus, quam Memnon ar-
te prodiga illigatis auro lapidibus fabricauit. Babyloniæ muri, quos Semi-
ramis Regina latere cocto, sulphure, ferroq̄ construxit. Pyramides in Ae-
gypto, quarum in suo statu se vmbra consumens, vltra constructionis spa-
tia nulla parte respicitur. Sed quis illa vlterius præcipua putabit, cum in vna
Vrbe tot stupenda conspexerit? Habuerunt honorē, quia præcesserūt tem-
pore. & in rudi sæculo quicquid emersisset nouum, per ora hominū iure fe-
rebatur eximium. Nunc autem potest esse veridicum, si vniuersa Roma di-
catur esse miraculum. Quapropter talia virum peritissimum suscipere de-
cet. ne inter illa nimis ingenioſa priscorum ipse videatur esse metallicus, &
intelligere non possit, quæ in illis artifex Antiquitas, vt sentirentur, effecit.
Et ideo det operam libris Antiquorum, instructionibus vacet. ne quid ab
illis sciat minus, in quorum locum cognoscitur surrogatus.

FORMVLA . COMITIVAE . INSVLAE . CVRRITANAE . ET . CELSINAE

COnstat plerunque bene posse agi, vbi non defuerit persona mo-
nitoris. Omnia enim sine priore confusa sunt. & dum vnusquis-
que secundum voluntatem suam cogitat viuere, regulam cogno
scitur omittere disciplinæ. Itaq̄ antiquæ consuetudinis morem
secuti, Curritanæ & Celsinæ insulis te iudicem, per illam Indictionem, no-
stra cedit auctoritas. Iustum est enim, vt qui a reliquorum hominum sunt
conuersatione diuisi, ad habitationes eorum vadat, qui eos probabili ratio-
ne componat. Ne quædam sit necessitas iniustitiæ, communes actus longe
positos ignorasse. Habetis igit̄ supradicti, qui inter vos emergētes causas et
audire debeat, & finire. Et si quid etiam fuerit a nostra pietate decretum, eo-
dem commonente, peragite. Quia erroribus locus tollitur, quando vobis,
cui debeatis obedire, declaratur. Quem credimus ita bonis actibus studere,
vt augmenta nostræ gratiæ possit accipere. Necesse est enim, vt a nobis re-
munerationem sumat, si vobis, quæ sunt profutura, disponat.

FORMVLA. DE. PRAEPOSITO. CALCIS

GLoriosum opus est seruienti, vnde Romana ciuitas probatur ornari. dum tantum quis apud nos proficit, quantū prodesse Vrbi proprio labore constiterit. Dubium non est, coctilem calcem, quę est niuibus cōcolor, spongijs leuior, instrumentū esse maximum fabricarum. Hęc quantum ignis adustione dissoluitur, tantum exinde parietum firmitas roboratur. petra solubilis, saxea mollicies, harenacius lapis. qui tunc potius accenditur, quando aquis copiosissimis irrigatur. sine quo nec saxa fixa sunt, nec harenarū minuta solidātur. Et ideo maius studium meretur accipere, quod primum locum in romanis mœnibus noscitur obtinere. Quocirca industriam tuam, multorum sermone celebratam, ad coctionem distributionemq; calcis, ab Indictione illa, nostra præponit auctoritas. Vt tam publicis, q̄ priuatis fabricis abunde procurata sufficiat. & ad ædificandum cunctorum animi concitentur, dum viderint paratum esse, quod quæritur. Priuilegia vero loci tui nostris iussionibus rationabiliter vendicabis. Vt maiora mereri possis, si bene tibi delegata compleueris.

FORMVLA. DE. ARMORVM. FACTORIBVS

COnsidera quod suscipis, & intelliges locum te dare non debere peccatis, Arma enim bene construere, est salutem velle omnium custodire. Quia prima facie ipsis terretur inimicus, & incipit animo cedere, si se cognoscit similia non habere. Atq; ideo ab Indictione illa militibus te & fabris armorum, inuitati morum tuorum opinione, prefecimus. Vt tale opus ab artificibus exigas, quale nobis placere posse cognoscis. Securitas te nostrę nō inducat absentię. Quicquid feceris nos videmus, qui vsu ipso subtilissimę perquisitionis & errores artificū possumus prima fronte reprehēdere, & laudabiliter operata iudicare. Vide ergo, qua diligentia, quo studio sit faciendum, quod ad nostrum venturum constat examē. Age itaq;, vt nulla te venalitas, nulla culpa demergat. Quia veniale esse non potest, quod in tali causa delinquitur. ne inde puniaris, de qua parte peccaueris. Opus quod mortem generat & salutem, interitus peccantiū, custodia bonorum, contra improbos necessarium semper auxilium. Hoc primum Phoroneus Iunoni dicitur obtulisse. vt inuentū suum numinis, vt putabant, auspicio consecrarēt. Hęc in bello necessaria, in pace decora sunt. Hæc denicq; imbecilles fragilesq; mortales cunctis beluis efficit fortiores.

FORMVLA. AD. PRAEPOSITVM. DE. ARMORVM. FACTORIBVS

MVltorum insinuatione comperimus, illum probis moribus institutum commissa sibi posse fideliter expedire. Iccirco illustris magnitudo vestra nos eum elegisse cognoscat. vt & militibus præsit secundū morem pristinum, & artificibus iubere possit armorum

rum. quatenus consuetudines suas sic eleganter adimpleant, vt nulla in eis inueniri possit offensio. Quia licet vbiq; culpa lædat, hic tamē grauiter percutit, si bellorum instrumēta neglexerit. Proditionis quippe instar est, exercitui subtrahere, quod eum constat armare. Quibus consuetudines suas prouidentia vestra deputabit. vt dum illis victualium lex tollitur, necessaria viuacius exigantur.

FORMVLA. BINORVM. ET. TERNORVM SI. PER. IVDICEM. AGANTVR

AD genium dignitatis tuæ credimus pertinere, si competentia tibi videamur iniungere. Quia tanto quis gratior redditur, quanto parendi causas amplius suscepisse monstratur. Et ideo Binorum et Ternorum titulos, quos a prouincialibus exigi, prisca decreuit auctoritas, per illam Indictionem, officio tuo procurante, ad scrinia Comitis Sacrarum Largitionū transmittere maturabis. ita vt omnis quantitas inter Cal. Martiarum diem solēniter impleatur. Ne de proprio reddere cogaris, quod procurare neglexeris. Tuam enim tetigisset iniuriam, si alter eos titulos videntur exigere, quos ad te præceperunt leges sanctissimæ pertinere.

FORMVLA. BINORVM. ET. TERNORVM SI. PER. OFFICIVM. AGANTVR

QVanuis prisca consuetudo, Binorum & Ternorū exactiōem ad te iusserit pertinere, tamen ne te multiplex occupatio prægraueret, & impedimenta tibi faceret solicitudo geminata, illum & illum Scriniarios officij nostri duximus destinandos. vt tibi officioq; tuo debeant imminere. quatenus cum eorum solatio inter Cal. Martiarum diem ad illustrem virum illum Comitem Sacrarum Largitionum solennis quantitas deferatur. Ne opinionis publicæ reus efficiaris, si Largitiones Sacras per moram aliquā putaueris esse tardandas. Ita vt te excipiendum esse non estimes, quem nos credidimus adiuuandum. Nam si quid minus fuerit, q̄ oportebat, illatum, de tuis hoc noueris facultatibus eruendum.

FORMVLA. COMMONITORII. ILLI. ET. ILLI. SCRINIARIIS

NOn dubitamus esse gratissimum, quando quis commonetur, officium implere susceptū. Quia illud est potius graue, si miles viuat ociose, cui quæstus est actio sua, honor, principalis iniunctio. Similis enim discincto habetur, qui ignobili torpori relinquitur. Quapropter per Indictionem illam, ad illam vos prouinciam iubemus accedere. vt cum iudice, vel eius officio, intra diem Cal. Martiarum, quæ de Binis & Ternis quantitas solēniter postulatur, ad Comitis Sacrarum scrinia, postposita dilatione, dirigatis. sic tamē, vt nec ærarium nostrum aliquid minus a consuetudine percipiat, nec possessor supra modum professionis exoluat. Et non dubitetis commotionis nostræ vos periculum sustinere, si quid actum contra priscum ordinem poterimus agnoscere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FORMVLA . VICARII . PORTVS

BEneficia noſtra gratiæ tuæ ſpecialiter damus, ſi te agere commiſſa rationabiliter approbemus. Nec em̃ irremuneratus iaces, ſi & populos peregrinos prudenter excipias, & noſtrorum commercia moderata æqualitate componas. Nam licet vbiq; neceſſaria ſit prudentia, in hac potius actione videtur accommoda. quando inter duos populos naſcuntur ſemper certamina, niſi fuerit iuſtitia cuſtodita. Quapropter arte placandi ſunt, qui mores afferunt, ſimilimos ventis, quorum niſi prius animi temperentur, in contemptum maximum natiua facilitate proſiliunt. Qua de re modeſtię tuę fama prouocati, curas illius portus, per illam Indictionem, te habere cenſemus. Vt omnia ad tuum titulum pertinẽtia ſic agas, quemadmodum ad meliora peruenias. In paruis enim diſcitur, cui potiora præſtentur.

FORMVLA . PRINCIPIS . DALMATIARVM

MAgna inter collegas ſuos prærogatiua decoratur, quiſquis gerit militiam nomine principatus. Cognoſcitur enim agere locũ primarium. quando in rebus humanis magna pars hominum aſſerit excellentiam dignitatum. Hoc etiã tui loci probatur exemplo, ſine quo nec ſecretarij præſtatur acceſſus, nec poſtulationis pompa peragitur. totusq; ille iudicis genus, ita tibi legibus probatur creditus, vt ſine te nequeat eſſe perfectus. Comiti quidem prouinciarũ poteſtas data eſt, ſed tibi iudex ipſe commiſſus eſt. Tu vicem tenes improbis minantem. tu diſciplinam inter iura cuſtodis. tibi inſolentiam perorantis fas eſt diſcingere, quam præſuli non licet vindicare. geſta quinetiã totius actus te ſubſcribente complentur, & conſenſus tuus quæritur, poſtq; voluntas iudicis explicat. Age, vt qui talibus præponeris, ea impleſſe merito ſentiaris. Itaque per Indictionem illam, ad illam te prouinciã iubemus excurrere. Vt mixtus iudicis officio competentia loco tuo peragas. & qui princeps a nobis egrederis, nullis vilitatibus accuſeris. Reuerẽtiſſimum enim te omnibus facis, ſi quod de nomine tuo creditur, & in moribus ſentiatur.

FORMVLA . AD . COMMENDANDOS . COMITI . PRINCIPES

INuitat nos conſuetudo ſolennis, & vobis ornatum officij dirigere, & priſtinos ordines Excubãtium cuſtodire. Noſtra enim laus eſt, ſi vos Romana militia comitetur. Quando talibus miniſtris poteſtis agere, quod videtur priſcis ſanctionibus conuenire. Sic enim Gothos noſtros, Deo iuuante, produximus, vt & armis ſint inſtructi, & æquitate compoſiti. Hoc eſt, quod reliquæ gentes habere non poſſunt. hoc eſt, quod vos efficit ſingulares, ſi aſſueti bellis videamini legibus viuere cum Romanis. Quapropter ex officio noſtro, illum atque illum ad vos credimus eſſe dirigendos. vt ſecundum priſcam conſuetudinem qui tuis iuſſionibus obſecundãt, eos rationabili debeant antiquitate moderari. Cui

Cui gratiam tuam in conſeruandis annonis & conſuetudinibus ſuis ex noſtra iuſſione præſtabis. Debet enim a te diligi, qui a nobis meruit deſtinari.

FORMVLA . COMITIVAE . DIVERSARVM . CIVITATVM

SAeculi huius honor humanæ mẽtis eſt manifeſta probatio. quia libertas animi voluntatẽ propriam ſemper oſtendit. dum ſe contemnit occulere, qui ſibi alios cognouerit ſubiacere. Sed humanę mentis felix illa conditio eſt, quæ arbitrium prouectionis ſuæ intra terminum moderationis includit, & ſic peragit dignitatis breuiſſimum ſpatium, vt vniuerſis temporibus reddatur acceptus. Quapropter interdũ Iudices ad blanda deſcendite. Laborioſum quidem, ſed non eſt impoſſibile, iuſtitiam ſuadere mortalibus. quam ita cunctorum ſenſibus beneficium diuinitatis attribuit, vt & qui neſciunt iura, rationem tamẽ veritatis agnoſcãt. Neceſſe eſt enim, vt qd' a natura conceditur, ſummonente iterũ eadem ſuauiter audiatur. Et ideo nõ laboretis populis imponere, quod eos conſtat ex propria voluntate ſentire. Facile enim ſequuntur veſtigia verbi alieni, qui ſe poſſe credunt monitore compelli. Propterea per illam Indictionem in illa ciuitate Comitiuæ honorem Secundi Ordinis tibi, propitia diuinitate, largimur. vt & ciues commiſſos æquitate regas, & publicarum ordinationum iuſſiones conſtanter adimpleas. quatenus tibi meliora præſtemus, quando te probabiliter egiſſe preſentia, ſentiemus.

FORMVLA . HONORATIS . POSSESSORIBVS . ET . CVRIALIBVS

VTile eſt vnum ſemper eligere, cui reliqui debeant obedire. quia ſi voluntas diuerſorum vaga relinquitur, confuſio, culparum amica, generatur. Itaq; ciuitatis veſtræ Comitiuam per Indictionem illam nos illi largitos fuiſſe noueritis, cui ſaluberrimam parientiam commodate. vt cauſis veſtris ferat remedium, & iuſſionibus publicis procuret effectum. ſcituri, q̃ ſi quis ſe probabili deuotione tractauerit, ſimilia de noſtris ſenſibus haud irrite poſtulabit.

FORMVLA . PRINCIPIS . MILITVM . COMITATIVAE

GRatum nobis eſſe confidimus, quando militię noſtrę Iudices deſtinamus. quia tunc ordines noſtros agitis, quoties vobis nõ defuerit preſentia iudicantis. Relatiua iſta intellectui ſunt nomina, ſi præſulem ademeris, militem non relinquis. apparitio enim tollitur, quoties qui iubere poterat, abrogatur. Vobis ergo aptum credimus, dũ ad vos dirigimus dignitates, & tandiu vos militare facimus, donec iudices deſtinamus. nec iſtud leue credatis beneficium, vt cum vos ſcitis obſequium, vobis occurrat electio cognitorum. Et ideo per Indictionem illam, illum Comitem militiæ veſtrę cognoſcite deſtinatum. Quem ita acturũ eſſe putamus, tam in cauſis publicis, q̃ priuatis, vt eum laus optata comitetur. Cui deuotionem iuſtiſſimam commodantes, his quæ vobis præceperit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſolenniter obedite. quia reuerentiam noſtram honoratam eſſe credimus, ſi bene habitos noſtros iudices ſentiamus.

FORMVLA. DE. CVSTODIENDIS. PORTIS. CIVITATIS

NVllatenus de eius fide dubitatur, qui ad cuſtodiam ciuitatis eligitur. quia probatæ conſcientię conſtat eſſe credendum, qui fuerit pro ſecuritate multorum. Atq; ideo curam portæ illius ciuitatis noſtra tibi auctoritate concedimus. vt improborum non pateat aduentibus, & bonorum non retardet acceſſus. Nam ſi porta ſemper obſerata ſit, inſtar eſt carceris. ſi iterum iugiter pandatur, murorum nil prodeſt habere munimina. Sit ergo vtrunq; moderatũ. vt & cuſtodiæ noctur næ ſatisfacias & incompetenter eam claudere nõ præſumas. Eris nimirum via ciuium, & ingreſſus mercium ſingularum, amicus ſimul copiæ, quam optas intrare. Stude ergo, cum alimonijs inuitare venientes. Nõ tibi quod deſpiciatur eſt creditum. Quibuſdam faucibus ciuitatis præponeris, qui ingredientibus victualibus præeſſe monſtraris. Quod te oportet ſine querela perficere. vt in paruis agnoſcere poſſimus, cui maiora credere debeamus.

FORMVLA. TRIBVNATVS. PROVINCIARVM

AEquitati conuenit, vt vnuſquiſq; ad fructũ militiæ emenſo tempore debeat peruenire, & laboris recipiat præmium pro compenſatione meritorum. Vnde quia priſcæ conſuetudinis ratio perſuadet, vt a nobis debeat deſignari, qui a vobis Tribunus eſſe mereatur, ideo hac auctoritate cenſemus, vt ille quem locus videtur expoſcere, vobis in ſupradicto honore præſideat. quatenus cum ad tempus venerit conſtitutum, optato honore potiatur. Diuina ſunt iſta iudicia, non humana. vt quem ſuperna ad tempus debitum voluerunt perducere, merito videatur & laboris ſui præmia ſuſcepiſſe. Excubiarum ſuarum igitur competentia priuilegia conſequatur. Quia nullum emolumento conſueto fraudari deſideramus, quem ſine culpis ad primatum venire cognoſcimus. Quapropter illi, pro vtilitate publica diſponenti, modis omnibus obedite. quoniam poteſtatem iudicis habent priores, quando ab ipſis requiritur, ſi quid a vobis inſolentius excedatur.

FORMVLA. PRINCIPATVS. VRBIS. ROMAE

GVm in vrbe Roma plurima fieri cenſeamus, & neceſſe ſit ibi poteſtatem eſſe Comitiaci officij, vt vtilitates publicę videantur impleri, noſtro more proſpeximus, vt quia principem cardinalem obſequijs noſtris deeſſe non patimur, tu eius locum vicarij nomine in vrbe Romana ſolenniter debeas continere. Quatenus et ille primatus ſui laboribus perfruatur, & tu in alterius honore poſſis diſcere, quod in tuo debeas feliciter exhibere. Si quos etiam Comitiacorum ad Comitatum iudicaueris eſſe dirigendos, conſulens obſequio noſtro, tuo ſubiacebit arbitrio.

Eos autem, quos retinendos putaueris, indulta ſecuritate potiantur. Ita tamen, vt viciſſim omnia modereris. quatenus nec excubantes cõtinuus labor atterat, nec ſegnes iterum rubigo ocij fugienda conſumat.

FORMVLA. QVA. MONETA. COMMITTITVR

OMnis quidem vtilitas publica fideli debet actione compleri. quia totum vitioſum geritur, vbi conſcientiæ puritas non habetur tamen omnino monetæ debet integritas queri, vbi & vultus noſter imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur. Quid nam erit tutum, ſi in noſtra peccetur effigie? & quam ſubiectus corde venerari debet, manu ſacrilega violare feſtinet? Additur, q; venalitas cuncta diſſoluit, ſi victualia metalla vitiantur. quando neceſſe eſt reſpui, quod in mercimonijs corruptum videtur offerri. Quis ergo patiatur, vnius eſſe commodum diſpendia ſceleſta cunctorum? vt deteſtabile vitium venire poſſit ad prætium? Sit mundum, quod ad formã noſtræ ſerenitatis adducitur. Claritas regia nil admittit infectum. Nam ſi vultus cuiuslibet ſyncero colore depingitur, multo iuſtius metallorum puritate principalis gratia cuſtoditur. Auri flamma nulla iniuria permixtionis albeſcat. argenti color gratia candoris arrideat. æris rubor in natiua qualitate permaneat. Nam ſi vnum lædere, legibus putatur eſſe damnandum, quid ille mereri poterit, qui in tantam hominũ numeroſitatem peccauerit? Pondus quinetiam, conſtitutum denarijs, præcipimus debere ſeruari, qui olim tam penſo, q; numero vendebantur. vnde verborum vocabula competenter ab origine trahens, compendium & diſpendium pulchre vocitauit Antiquitas. Pecunia enim a pecudis tergo nominata, Gallis auctoribus, ſine aliquo adhuc ſigno ad metalla translata eſt. Quam nõ ſinimus fœculenta permixtione fieri contemptibilem, ne iterũ in antiquam cognoſcatur redire vilitatem. Proinde te, cuius nobis laudata eſt integritas actionis, ab illa Indictione per iuge quinquennium monetæ curam habere præcipimus. quam Seruius Rex in ære primum impreſſiſſe perhibetur. ita vt tuo periculo non dubites quæri, ſi quid in illa fraudis potuerit inueniri. Nam ſicut caſus aſperos ſubibis, ſi quid fortaſſe deliqueris, ita irremuneratum non relinquimus, ſi te egiſſe inculpabiliter ſenſerimus.

FORMVLA. LEGATORVM. GENTIVM. DIVERSARVM

QVis dubitet, vtilitatis publicæ intereſſe rationem, vt quibus nos conſtat dona conferre, nullam videantur itineris moleſtiam ſuſtinere? quando nec vobis morarum detrimenta faciunt, & illi ſe bene habitos fuiſſe cognoſcunt. Atq; ideo humanitatem ſubter annexam, vel ad equos capitum definitum illius gentis legatis ſine aliqua tarditate præſtabitis, quatenus ad ſedes ſuas irremunerati non debeant peruenire. Quia feſtinantibus gratior eſt celeritas in redeundo, q; quælibet munerum magnitudo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FORMVLA. EVOCATORIA. QVAM. PRINCEPS. DIRIGIT

NOn dubitamus, vltronea grate ſuſcipi, quæ in locum muneris ſolent poſtulata conferri. quia domini recordatio concedit ſemper augmẽta. nec poſſunt eſſe principis vacua gratificationis iudicia. Quapropter ad Comitatum noſtrum iuſſis te præſentibus euocamus, vt nõ mediocri gaudio perfruaris. Et ideo ociꝰ delectatiõe poſtpoſita, ad illam diem, ad vrbem illam deuenire propera. vt & tibi aſpectum noſtrum gratum fuiſſe iudicemus, cum te feſtinaſſe cognoſcimus. Deſiderat enim aula noſtra præſentiam bonorũ. dum neſcio quo pacto quicquid regali ſapientiæ gratum eſſe cognoſcitur, & diuino iudicio comprobatur. Quia ille, qui corda noſtra regit, ipſe etiam quid debeamus ſentire concedit.

FORMVLA EVOCATORIA. QVAE. PETENTI. CONCEDITVR

MAnifeſtatio eſt conſcientiæ bonæ, preſentiam iuſti principis expetiſſe. quã ſolus ille deſiderare poteſt, qui de magna mentis puritate confidit. Aſpectum Solis niſi clara lumina nõ requirunt. quia illi tantum poſſunt rutilantes pati radios, quos cõſtat oculos habere puriſſimos. Sic præſentiam principis ambiunt, qui de cordis ſyncerita te præſumunt. Hinc eſt, qꝙ veniendi tibi ad Comitatũ fiduciam grata mente largimur. Ne honor vocationis, qui pro noſtra gloria conſtat inuentus, ad iniuriam conuertatur, dum aliqua fuerit dilatione tardatus. Inuitamus quinimmo deſideria venientium. quia inde magis creſcimus, ſi viros nobiles noſtris obſequijs aggregemus.

FORMVLA . COMMEATALIS

AEmo dubitat, homines ſua varietate recreari. quia in continuatione rerum magnum mentibus conſtat eſſe faſtidium. Dulcedo mellis, ſi aſſidue ſumatur, horreſcit. ſerena ipſa, quanuis magnopere deſiderentur, iugiter adepta ſordeſcunt. non immerito, quia cum ſit homo cõmutabilis, naturæ ſuæ deſiderat habere qualitates. Et ideo feſtinanti tibi prouinciali oblectatione refoueri, copiam tot menſium in ſupradicta prouincia cõcedimus immorandi (quia pene recluſus aduertitur, cui mutare ſolum, liberum non videtur) ita tamen, vt cum promeritas inducias, Domino iuuante, tranſegeris, ad vrbanas ſedes redire feſtines. Nam ſi tedium eſt, continuatim viuere in vrbis celebritate, quanto magis in agris diutina tempora peregiſſe? Libenter ergo damus inducias diſcedendi, non vt debeat Roma deſeri, ſed vt magis commendetur abſenti.

FORMVLA . SPECTABILITATIS

OPtamus nobis, Deo auxiliante, ſubiectos varia dignitatum prærogatiua gloriari. deſideramus, probabile genus hominum impreſſa gratia dignitatis ornare. vt laudabilius vnuſquiſque poſſit viuere, cum ſe honores reuerendos cognouerit accepiſſe. Sic enim & ad virtutis ſtudia decenter aſcenditur, & a bonis ciuibus Reſpub. plus amatur. Atqꝙ ideo te Spectabilitatis nitore decoramus. vt ſententiam tuam

tuam in conuentibus publicis ſpectandam eſſe cognoſcas, cum inter nobiles decorus aſſederis. Vt ſi hæc prædicabili conuerſatione tractaueris, in futurum præmijs melioribus augearis.

FORMVLA . CLARISSIMATVS

COnſtat, iucundum eſſe rerum bonarum ſaporem, & vtilem ambitum laudis, qui appetitur per augmenta virtutis. Hoc nos ſtudium prouidæ liberalitatis infundimus. vt maior ſit cultus morum, dum creſcunt deſideria præmiorum. Clariſſimatus igitur honorem, ornamenta iudicij noſtri, regia tibi largitur auctoritas. quod preꝫbeat & exactę vitæ teſtimonium, & futurę proſperitatis polliceat augmentum. Quapropter nihil iam obſcurum agere patiaris, qui Clariſſimatus dignitate reſplendes. Grande ſiquidem vitæ teſtimonium eſt, nõ tam clarum, qꝫ clariſſimum dici. quando pene totum de illo optimum creditur, qui tanti fulgoris ſuperlatiuo nomine vocitatur.

FORMVLA . TVITIONIS

SVperfluum quidem videtur, tuitionem ſpecialiter a principe petere, cuius eſt propoſiti vniuerſos communiter vindicare. Sed quia ſecuritatem tuam quorundam violentorum execranda temeritas inquietat, non piget dolentium querelis ad hanc partem pietatis adduci. vt quod omnibus preſtare cupimus, ſupplicanti potiſſimũ conferamus. Atqꝙ ideo diuerſorum te, quemadmodum quereris, diſpendijs ſauciatum, in caſtra defenſionis noſtrę clementer excipimus. Vt cũ aduerſarijs tuis, non vt hactenus, campeſtri certamine, ſed murali videaris protectione contendere. Ita fiet, vt truculentis viribus preſſus, reddaris auxilijs regalibus exæquatus. Quapropter tuitionem tibi noſtri nominis, quaſi validiſſimam turrem contra inciuiles impetus, & conuentionalia detrimenta, noſtra concedit auctoritas. ita tamen, ne his præſumptionibus ſubleuatus, ciuile reſpuas præbere reſponſum. & tu videaris inſolens calcare iura publica, quem primitus deteſtanda premebat audacia. Et quia miniſtros efficaces noſtra debet habere præceptio, nec decet principem loqui, quod non videatur poſſe compleri, preſentis beneficij iuſſione, aduerſus Gothos illa, aduerſus Romanos illa, facile te fides & diligẽtia cuſtodiuit. Quia nemo laborat defendere, niſi qui timetur offendi. Dum preſtans dominus fieri formidatur ingratus. Fruere igitur noſtra clementia, beneficio lætare ſuſcepto. Nam ſi vlterius a quoquam ſub inciuilitate tentaris, tua de inimicis potius vota complebis.

FORMVLA. DE. MATRIMONIO. CONFIRMANDO. ET LIBERIS. LEGITIME. CONSTITVENDIS

AEternum eſt beneficiũ, quod poſteritatis fuerit fauore collatũ. nec plus eſt conueniens Regi, qꝫ vt humanæ præſtet origini. In lucem quippe venturus caſus ſuſcipere non meretur aduerſos, ne ante grauamen diſtrictionis incurrat, qꝫ gaudia ſuper-

næ

Universidad de Deusto
Biblioteca

næ lucis inueniat. Oblata itaq; supplicatione depromis, mulierem, quam tibi placitus illigauit amplexus, beneficio nostro iugali honestate debere sociari. vt ex ea liberi nati nomen nanciscantur heredum. Nam cum sponta nea copula animantia cuncta consociet, dignumq; vnicuiq; videatur esse, quod placuit, durum est libertatem liberam non habere, vnde liberi procreantur. Et ideo illam, quę sicut iure præcipitur, honestate non fuisse probatur æqualis, legitimam tibi fieri censemus vxorem. & filios ex eadem coniuge, siue qui suscepti sunt, siue qui suscipiendi, heredum volumus iura sortiri. Vt sub nulla dubietate diligas, quos tibi absolute successores futuros esse cognoscas. Natura enim tibi præstitit filios, sed nos tali securitate facimus esse carissimos.

FORMVLA . AETATIS . VENIAE

GLoriosa supplicatio est, quæ veniam quærit ætatis. quando se grauitatem de moribus confitetur accipere, quam maturitatem vitæ adhuc non contigit intulisse. Minor nascendo, grandæuus cupis esse consilio. Ita, quod in humanis rebus audacissimum est, ad erroris auxilium beneficium contemnis annorum. Quapropter oblata supplicatione depromis, vt cum tibi sit ratio firma prudentiæ, actiones tuæ non relinquantur ambiguæ. ne infirmetur iure, quod non potest vtilitate titubare. Hoc nos, quibus cordi est bona desideria perficere, libenter accipimus. Quia nul'-s se captare velle profitetur insidias, quisquis habere liberos contractus cõstanter affectat. Atq; ideo, si id tempus constat elapsum, quo ad hanc veniam accedi iura voluerunt, nos quoque probabilibus desiderijs licentiam non negamus. vt in foro competenti ea, quę in his causis reuerenda legum dictat Antiquitas, solenniter actitentur. Ita vt in alienandis rusticis vel vrbanis prędijs cõstitutionum seruetur auctoritas. Ne cum opinioni præstare volumus, vtilitatem publicã lædere videamur. Cape igitur nostro beneficio potiorem annis ætatem. & quod petis ab oraculo, moribus exhibeto. Nam professio maturitatis acerbę locum denegat actionis. quando multo grauior est culpa, quam suæ promissionis impugnat auctoritas.

FORMVLA . EDICTI . AD . QVAESTOREM . VT . IPSE . SPONDERE . DEBEAT . QVI . SAIONEM . MERETVR

FRequenter Saiones, quos a nobis credidimus pia voluntate concedi, querelis maximis cognouimus ingrauatos. Corruptum est (proh dolor) beneficium nostrum, creuitque potius de medicina calamitas. dum ad alios vsus potẽtium malignitate translati sunt, ꝙ eos nostra remedia transtulerunt. Vnde nobis necesse fuit remedio salubri votis pestiferis obuiare. ne dum pietatis [illegible]idium ad æqualia beneficia trahitur, surreptionum iniquissima patiamur. Atque ideo edictali programmate definimus, vt quicunq; contra violentas insidias propter ineluctabiles necessitates suas mereri desiderat fortem saionem officio nostro pœnali

pœnali se vinculo cautionis astringat. vt si preçepta nostrę iussionis immissione plectibili, saius quem meretur excesserit, & ipse pœnæ nomine det auri libras tot, & satisfacere promittat quæcunque eius aduersarius potuerit tam commodi q̃ itineris sustinere detrimenta. Nos enim cum reprimere inciuiles animos volumus, prægrauare innocentiam non debemus. Saius autem, qui sua voluntate modum præceptionis excesserit, donatiuis se nouerit exuendum, & gratiæ nostræ (quod est damnis omnibus grauius) incurrere posse periculum. nec sibi vlterius esse credendum, si iussionis nostrę, cuius executor esse debuit, temerator extiterit.

FORMVLA . PROBATORIAE . CARTARIORVM

COnstat militiam bene geri, quæ probatis moribus videtur imponi. quando ipse secum potest reuoluere, quod iudex eum potuit admonere, maxime cum ad patrimonia diuinæ talis domus mereatur accedere, vt cupiditate detestabili nõ possit accendi. Deinde cum splendidissimum officium censoria quadam grauitate reluceat, & turpe sit illis misceri, qui dignis moribus non possunt approbari, congruum videtur tales quærere, qui in nullo debeant displicere. Atq; ideo Tribuni Cartariorum suggestione comperta, penes quem officij est digna reuerentia, ab illo die Cartarij te volumus nomen adipisci. Vt qui nobis benefacturus promitteris, documentis laudabilibus approberis. Auaritiam declina. longius fuge iniqua compendia. Multo melius proficitur, si bonis moribus seruiatur.

FORMVLA . DE . COMPETITORIBVS

NEscio quid grande se videtur promittere, qui loca desiderat publica possidere. Hoc enim ita fieri decet, si res squalida in meliorem loci faciem trãs feratur. & reuocetur ad ornatum, quod pridem videbatur iacere incultum. Atque ideo desideranti tibi illum locum proprietario iure concedimus. præter æs, aut plumbum, vel marmora, si tamen ibi fuerint latere comperta. Age itaq;, vt per te sumat decorem, quod neglectum in Curia vetustate iacuerat. Quatenus boni ciuis laudem inuenire merearis, si faciem tuæ ciuitatis ornaueris. securus etiã ad posteros trãsmissurus, quod proprio fuerit labore compositum. Quia tanto firmius vnusquisq; possidebit, quanto se auctoresq; suos amplius expendisse probauerit.

FORMVLA . QVA . CENSVS . RELEVETVR . EI . QVI . VNAM CAVSAM . POSSIDET . PRAEGRAVATAM

GVm de agri vtilitate viuatur, & omnibus inde certum sit iustum venire compendium, tributum illud possessionis in illa prouincia constitutæ, ita quereris onerosum, vt vniuersas tibi voraverit facultates lacus ille vastissimus functionis. & quod aliunde magno labore potest colligi, per illam videatur assumi, cuius vtilitatem nimia transcendit illatio, dum plus compulsoribus redditur, ꝙ a sedulo præstetur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtetur. Quapropter credimus te euadere poſſe nuditatem, ſi dominiũ huius vrbis amiſeris, cui iugis ſterilitas de compulſoribus venit. ne conditione miſerabili ſeruias neceſſitati, cuius dominus eſſe meruiſti. Sed quia hoc genus beneficij prẹſtari mediocribus leges ſacratiſſimę cẽſuerũt (vt qui pro vniuſ ceſpitis enormitate deprimitur, nec alterius commoditate ſubleuatur, moderatione habita ei debeat ſubueniri) magnitudinis noſtræ, cui cordi eſt cogitare iuſtitiam, prẹſenti auctoritate decernimus, vt ſi ita eſt, tot Solidos tributario ſupradictæ poſſeſſionis, datis prẹceptionibus ad eos, quorum interſt, ita faciatis de valarijs publicis diligenter abradi, vt huius rei duplarum veſtigium non debeat inueniri. ſed per ſæcula ſine errore ſeruetur, quod vna communi ſumma concluditur.

FORMVLA. QVA. CONSOBRINA. LEGITIMA. FIAT. VXOR

INſtitutio diuinarum legum humano iuri miniſtrat exordium, quando in illis capitibus legitur prẹceptum, quę duabus tabulis probantur adſcripta. Sacer enim Moſes, diuina inſtitutione formatus, Iſraẽlitico populo inter alia definiuit, vt concubitus ſuos a vicinitate pij ſanguinis abſtinerẽt. ne & ſe, in proximitatẽ redeundo, polluerent, & dilationem prouidam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri ſequẽtes exemplum, longius pudicam obſeruantiam Poſteris tranſmiſerunt, reſeruantes principi tantum beneficium, conſobrinis nuptiali copulatione iungendis. Intelligentes rarius poſſe prẹſumi, qđ a principe iuſſerant poſtulari. Admiramur inuentum, & temperiem rerum ſtupenda conſideratiõe laudamus, hoc ad principis fuiſſe remiſſum iudicium. Vt qui populorum mores regebat, ipſe & moderata concupiſcentiæ frena laxaret. Et ideo ſupplicationum tuarum tenore permoti, ſi tibi illa tantum conſobrini ſanguinis vicinitate coniungitur, nec alio gradu proximior approbaris, matrimonio tuo decernimus eſſe ſociandam, nullamque vobis exinde iubemus fieri quæſtionem. quando & leges noſtra permitti voluntate conſentiũt, et vota veſtra prẹſentis auctoritatis beneficio firmauerunt. Erunt vobis itaq; Deo fauente, poſteri ſolẽniter heredes, caſtum matrimonium, glorioſa permixtio. quando quicquid a nobis fieri prẹcipitur, neceſſe eſt vt non culpis, ſed laudibus applicetur.

FORMVLA. AD. PRAEPOSITVM. VT. SVB. DECRETO CVRIALI. PRAEDIA. VENDAT

PAtitur hoc in prouida mortalium plerunq; conditio, vt cum lædere putatur conſulat. & cum conſulere videtur, affligat. Sed illud magis eſt eligendum, quod prodeſſe cognoſcitur. Nam venena ipſa ſi iuuare probantur, accepta ſunt. Econtra, refugienda eſt ſuauitas mellis, quę inferre dignoſcitur læſiones. Finis ergo ſapientis eſt, amare quod expedit. ſic nec igitur votum reſpicit, qui prodeſſe contendit. Prædia quidem Curialium non facile diſtrahi, prudens definiuit Antiquitas.

tas, vt ad neceſſitates publicas melius efficerent, ſi ſubſtantię ituamina plus haberent. Sed in hac iterum parte proſpexit, vt ſi apud vos ineluctabilis neceſſitas appareret, rerum ſuarum diſtractio ſubueniret. Nam quid prodeſt, ſi quiſpiam videtur idoneus, & fieri non poſſit a contractis nexibus abſolutus? Egenti ſimilis eſt, qui reddere nequit alienum. nec dici poteſt propriũ, quod liberare dominum nõ videtur additum. Sed quanuis hoc veſtræ poteſtati fuerit legũ auctoritate conceſſum, tamen ne quã rariſſimi facti ſuſtineretis inuidiã, illius municipis allegatione permoti, nos quoq; eminẽtiæ veſtræ præſenti iuſſione permittimus, vt aliquid veritate diſcuſſa, ſi aliter ſolui nequeunt, diſtracta ligamina prædij ſui, quod propria voluntate delegerit, habeat licentiam diſtrahendi. ita vt reddat debitum, quod probatur eſſe contractum. ne vitio voracitatis imbutus, facultates ſuas abſorbere, videatur eſſe permiſſus. Cõſtet apud vos probabilis cauſa damnorum, quoniam illis volumus ſubueniri, qui duris neceſſitatibus probãtur aſtringi. vtrunq; enim poteſt eſſe culpabile, aut malis moribus frena laxare, aut iuſtas iterum querelas excludere. Quapropter prouide nobis permiſit Antiquitas de illa cauſa decernere, cui eſt vtile Curiam cuſtodire. A quibus enim munia poterunt ſuſtineri, ſi ciuitatum nerui paſſim videantur abſcidi?

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM · LIBER · OCTAVVS

IVSTINIANO. IMPERATORI. ATHALARICVS. REX

VSte poſſem reprehendi, clementiſſime principũ, ſi pacem veſtram quærerem tepide, quam patres meos conſtat ardentius expetiſſe. aut in qua parte dignus heres exiſterem, ſi auctoribus meis impar in tanta gloria reperirer? Non vos Maiorum purpuratus tantum ordo clarificat, non ſic regia ſella ſublimat, quantum longe lateq; potens gratia veſtra nobilitat. Omnia em̃ regno noſtro perfecte conſtare credimus, ſi hanc nobis minime deeſſe ſentimus. Sed & pietati veſtræ præconiale eſt diligere, quorum patres contigit vos amaſſe. Nemo enim creditur impendiſſe veteribus puritatem innocuam, niſi qui eorum ſtirpem habere probatur acceptam. Claudantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

odia cum sepultis, ira perire nouerit cũ proteruis. gratia non debet occumbere cum dilectis. sed magis affectuosius tractandus est, qui ad regni causas innocens inuenitur. Perpendite, quid a vobis mereatur successor bonorum. Vos auum nostrum in vestra ciuitate celsis Curulibus extulistis. Vos genitorem meum in Italia palmatę claritate decorastis. Desiderio quoq; concordiæ factus est per arma filius, quia vnis nobis pene videbatur æquęuus. Hoc nomen adolescenti cõgruentius dabitis, qualia nostris senioribus pręstitistis. In parentelæ locum nostrum iam transire debet affectus. Nam ex filio vestro genitus, naturæ legibus vobis nõ habetur extraneus. Atq; ideo pacem non longinquus, sed proximus peto. quia tunc mihi dedistis gratiam nepotis, quando meo parenti adoptionis gaudia pręstitistis. Introducamur & in vestram mentem, qui adepti sumus regiam hereditatem. Illud est mihi supra dominatum, tantum ac talem rectorem habere propitium. Primordia itaq; nostra solatia mereantur principis longęui habere, pueritia tuitionem gratiæ consequatur, & non in totum a parentibus destituimur, qui tali protectione fulcimur. Sit vobis regnum nostrũ gratię vinculis obligatum. Plus in illa parte regnabitis, vbi omnia caritate iubetis. Quapropter ad serenitatem vestram illum & illum Legatos nostros ęstimauimus esse dirigendos. vt amicitiam nobis illis pactis, illis conditionibus concedatis, quas cum diuæ memoriæ domno auo nostro inclytos decessores vestros constat habuisse. Aliquid forsitan & amplius mereor synceritatis, cuius nec ætas videtur esse suspecta, nec generatio iam probatur extranea. Quædam vero per suprascriptos Legatos nostros serenissimis sensibus verbo intimanda commisimus. quæ, clementię vestræ more, ad effectum facite peruenire.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

Lenissimum gaudium constat esse P. C. cognoscere dominantis exortum. vt qui creditur vniuersos posse protegere, audiatur ad regni culmina peruenisse. Mensura lætitiæ de magnitudine nuntij venit. & tanta fit alacritas animi, quanta fuerit & consideratio rei. Nam si prudentes viros exigunt commoda prædicta sodalium, si amicorum releuat sospitas nuntiata, quanta exultatione suscipi debet, omnium rectorem feliciter proueniisse terrarum? Quem non protulit cõmota seditio, non bella feruentia pepererunt, non Reipub. damna lucrata sunt. sed sic factus est per quietem, quemadmodũ venire decuit ciuilitatis auctorem. Magnum profecto fidelitatis genus, obtinere sine cõtentionibus principatum, & in illa Repub. adolescentem dominum fieri, vbi multos constat maturis moribus inueniri. Non enim potest cuilibet ætati deesse consilium, vbi tot parentes publicos cõstat inuentos. Prælata est ergo spes nostra cunctorum meritis, & certius fuit de nobis credi, q̃ quod de alijs potuit approbari. non iniuria, quoniam quæuis claritas generis a malis cedit. & sicut qui ex vobis nascitur, origo senatoria nuncupatur, ita qui ex hac familia progreditur, regno dignissimus approbat̃. Probata sunt pręsenti facto, quæ

quæloquimur. Nam cum domni aui nostri pro beneficiorum quantitate dulcissima nobis recordatio vrgeretur extremis, magnitudinẽ dominationis suę tanta in nobis celeritate transfudit, vt non tam regnũ q̃ vestẽm crederes esse mutatam. Tot proceres manu consilioq; glorioso nullũ murmur, vt assolet, miscuerũt, sed ita cum magno gaudio secuti sunt principis sui iudicia, vt voluntatẽ ibi potius agnosceres confluxisse diuinam. Quapropter necessarium duximus, propitio Deo, de ortu regni nostri vos facere certiores. Quia dilatatum q̃ mutatum videtur imperiũ, cum transit ad posteros. Nam quodammodo ipse putatur viuere, cuius nobis progenies cognoscitur imperare. Hæc habuerũt vestra vota. hæc illius fuit indubita sententia, vt heredem bonorũ suorũ relinqueret, qui beneficia eius in vobis possit augere. Amore principũ constat inuentum, vt simulachris ęneis fides seruaret̃ imaginis. quatenus ventura progenies auctorem videret, qui sibi Rempub. multis beneficijs obligasset. Sed quanto verior est, qui viuit in posteris? per quos plerunq; & forma corporis redditꝰ, & vigor animi protelatur. Et ideo nobilitatis vestræ fidem maiore nunc studio ostendit. quatenus & priora munera meritis videant̃ esse collata, & futura indubitanter eis præstemus, quos præteritorũ immemores fuisse mĩme senserimus. Noueritis etiã diuina prouidentia fuisse dispositũ, vt Gothorũ Romanorũq; nobis generalis consensus accederet, & voluntatẽ suam, quã puris pectoribus offerebãt, iuris etiam iurandi religione firmarent. Quod vos secuturos esse minime dubitamus, tempore nõ amore. nam a vobis potuit inchoari, qd̃ pręuenti longinquitate sequimini. Constat em̃ excellentissimos patres tãto amplius posse diligere, quanto maiores honores a cæteris ordinibus visi sunt accepi sse. Sed vt primordia nostra, & circa vos benignitatẽ possitis agnoscere (quia decet Curiam nostrã beneficijs introire) illustrem Sigisinem, Comitem nostrum, vobis cum his qui directi sunt, fecimus sacramẽta prestare. Quia inuiolabiliter seruare cupimus, quod publica auctoritate promittimus. Si qua autem a nobis postulanda creditis, quæ vestræ securitatis incrementa multiplicent indubitãter petite, cõmoniti, quos ad fundendas preces nos etiam videmur hortati. Promissio potius est ista, q̃ cõmonitio. Nã qui reuerendũ Senatum supplicare præcipit, q̃ impetrare possit nihilominus compromisit. Nũc vestrũ est, tale aliquid sperare, qd̃ cõmunem Remp. possit augere.

POPVLO. ROMANO. ATHALARICVS. REX

Si vos externus heres imperij suscepisset, dubitare forsitan poteratis, ne quos prior dilexerat, invidendo subsequens nõ amaret. quia nescio quo pacto cũ successor amplius laudari nititur, precedentis fama lætatur. Nunc vero persona tantũ, non est autem vobis gratia cõmutata. quãdo recte vobiscum agi credimus, si aui veneranda iudicia subsequamur. Nostræ siquidẽ opinionis interest, vt quos ille benignissime tuitus est, nos etiam statuta cõstantia copia & beneficiorũ vbertate pascamus. Minus cogitant, qui obscuris principibus, & versatis in mediocri natione succedunt. Nos talis præcessit, vt exquisitis virtutibus eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequi vestigia debeamus. Quapropter, auspice deo dictū sit, glorioſi domni aui noſtri ita vobis nūtiamus ordinatione diſpoſitum, vt Gothorū Romanorūq; in regnū noſtrū ſuauiſſimus cōſenſus accederet. et ne aduerſis rebus aliqua poſſit remanere ſuſpitio, vota ſua ſacramentorū interpoſitione firmarunt, ſe dominatū noſtrū tanto gaudio ſubire, tanq; ſi vel illis domnus auus noſter farali ſorte nō videret ſubtractus. ne ſolis linguis, ſed etiā imis pectoribus, probarent eſſe deuoti. q; ſi vos, vt opinamur, libenti aīo ſimilia feceritis, harū portitores ſub oſtentatione diuina vobis fecimus polliceri, luſtitiā nos & æquabilem clementiā, quę populos nutrit, iuuante domino, cuſtodire, & Gothis Romanisq; apud nos ius eſſe cōmune, nec aliud inter vos eſſe diuiſum, niſi quod illi labores bellicos pro cōmuni vtilitate ſubeūt, vos aūt ciuitatis Romanæ habitatio quieta multiplicat. Ecce ad condictionē clementiſſimam ſacramenti inclinando noſtrum eueximus principatum. vt nihil dubium, nihil formidoloſum populi habere poſſint, quos beatus noſter auctor enutriuit. Ecce Traiani noſtri clarum ſæculis reparamus exemplū. Iurat vobis, per quem iuratis. nec poteſt ab illo quiſquā falli, quo inuocato nō licet impune mentiri. Erigite nunc animos. &, deo propitio, meliora ſemper optate. vt ſicut a caritate poteſtatem regiam inchoauimus, ita tranquillitatem, deo placitam, ſequentibus temporibus exequamur.

VNIVERSIS. ROMANIS. PER. ITALIAM. ET. DALMATIAS CONSTITVTIS. ATHALARICVS. REX

HOnorabile credimus, indicare qd' fama potuiſtis teſte cognoſcere. Iure ſiquidem de ſe bene arbitrabit̄ æſtimatū, qui regiū meretur alloquiū. quia dignitas eſt ſubiecti, affatus meruiſſe dominātis. in ea præſertim cauſa, in qua omniū corda ſic vident̄ eſſe ſolicita, vt ſi non cognoſcant proſperū, credant ſemper aduerſum. Nā qui audit mutatū, nouum nihilominus formidat imperiū. Et re vera neſcio quid triſte credit̄ cogitare, qui tardat inter initia benigna promittere. Quapropter locum ſiniſtris cogitatiōibus amputantes, aliter de nobis nō patimur credi, q; quod de noſtris potuit parentibus æſtimari. Et ideo, qd' Diuinitate propitia dictum ſit, glorioſo domno auo noſtro feliciter ordinante, tam Gothorum q; Romanorum preſentium pro munimine indepti regni ſacramenta ſuſcepimus. qd' vos quoq; facturos eſſe libentiſſime, iudicamus. vt qui fideles parentibus noſtris extitiſtis, nobis quoq; ſimili deuotione pareatis. Suauius enim diligit heredem, qui beneficiorū recordatur auctorē. Sed vt vobis beneuolentiæ noſtre iam nunc integritas innoteſcat, iuris iurandi vobis fecimus religione promitti, quod & noſtrum poſſit declarare propoſitum, & ſpem debeat munire cunctorum.

VNIVERSIS. GOTHIS. PER. ITALIAM. CONSTITVTIS. ATH. REX

VOluiſſemus quidē domni aui noſtri longæuæ vitæ gaudia nuntiare. ſed quoniam diligentibus dura conditione ſubtractus eſt, nos heredes regni ſui, deo ſibi imperante, ſubſtituit. vt ſucceſſione ſanguinis ſui beneficia, vobis a ſe collata, faceret eſſe perpetua. dum

dum nos illa & augere & tueri cupimus, quę ab illo facta eſſe cognoſcimus. Cuius ordinationi adhuc eo ſuperſtite in regia ciuitate ita ſacramenti interpoſitione cunctorum vota ſociata ſunt, vt vnū crederes promittere, quod generalitas videbatur optare. Hoc vos ſequentes exemplum, pari deuotione peragite. ne quid a præſentibus minus feciſſe videamini, a quibus creditur totum ſimiliter poſſe compleri. Illum vero Comitem nobis fecimus iurata voce promittere, vt ſicut nobis veſtrum animum deuotiſſime proditis, ſic optata, de noſtris ſenſibus audiatis. Recipite itaq; proſperum vobis ſemper nomen, Amalorū regalem, Baltheum germen, infantiam purpuratam. per quos, Deo iuuante, parentes noſtri decenter euecti ſunt. & inter tam prolixum ordinem Regum ſuſceperunt ſemper augmentum. Credimus enim de diuinitate propitia, quæ Maiores noſtros dignanter adiuuit, nunc quoq; gratiam ſuæ dignationis impendere, vt & nobis regnantibus bonarum rerum fructus dulciſſimos afferatis, qui ſub noſtris parentibus copioſa virtutum laude floruiſtis.

LIBERIO. PRAEPOSITO. GALLIARVM. ATH. REX

SCimus, animum veſtrum de obitu glorioſæ memorię domni aui noſtri acerbo dolore fatigari, dum omnia bona grauiter deflentur amiſſa. Plus enim quæritur, dum dominus deſiderabilis abrogatur. Expedit autem ſtudio pietatis, afflictam mentem compenſatiuo remedio conſolari. quia vix ſentitur amiſſus, cui non ſuccedit extraneus. Sic enim, deo ſibi imperante, proſpexit, dum eſſet & poſt fata prouidus, vt regiōibus ſuis pacem relinqueret, ne aliqua nouitas quieta turbaret. In ſellam regni ſui nos dominos collocauit, quatenus decus generis, qd' in illo floruit, in ſucceſſores protinus æquali luce radiaret. Cui ordinationi Gothorum Romanorumq; deſideria conuenerunt. vt ſub iuris iurandi religione promitterent, fidem ſe regno noſtro deuoto animo ſeruaturos. Qd' ad illuſtris magnitudinis veſtræ notitiam credimus perferendum. vt ab his qui in Gallijs regno pietatis noſtræ deuoti ſunt, ſimile proferatur exemplū. Et ſicut animos noſtros circa ſe minores non deſiderant effici, ita pari conditione teneantur aſtricti.

VNIVERSIS. PROVINCIALIBVS. PER. GALLIAM. CONSTITVTIS. ATHALARICVS. REX

ILicet glorioſæ memoriæ domni aui noſtri pro excellentibus meritis triſtis videatur occaſus, tamē quia ille humana conditione decubuit, ad continuandam gubernationem, quā ſingulariter geſſerat, nos reliquit. ne damnum boni principis ſentiretis, cuius vobis noſcitur regnare progenies. Nullus enim apud nos perdit, qui illi paruit. ſed duplici largitate munifici, & illius debita reddimus, & futuris obſequijs beneficia ingenita pietate mutuamus. Atque ideo fidem priſtinam maiori nunc vos conuenit deuotione monſtrare. quia bene proſpicit rebus

Universidad de Deusto
Biblioteca

futuris, qui regnantium seruit initijs. dum ipse & in reliquum perseuerare creditur, qui primordia fouere sentitur. Indicamus autẽ, fauore diuino cum ad regni culmina peruenieremus, omnia nobis sic felicia, sic tranquilla cessisse, vt vnum loqui crederes, quod generalitas insonabat. nec putaretur humanum, quod tot vota ingentium populorum nihil probata sunt habere contrarium. Vnde vos quoq; prædicta conuenit imitari, vt Gothi Romanis præbeant iusiurandum, & Romani Gothis sacramento confirment, se vnanimiter regno nostro esse deuotos. Quatenus & nobis vestra syncerítas laudabiliter innotescat, & ad quietem vestram proficiat inuicem promissa concordia. Eat inter vos legalis missa tranquillitas. potior minori non sit infestus. Habetote animum pacatum, qui bellum non habetis externum. Quia primum inde nobis placere poteritis, si nobis hac ratione prospicitis.

VICTORINO. VIRO. VENERABILI. EPISCOPO. ATH. REX

DE fide atq; constantia tales sunt cõmonendæ personæ, quæ desideríjs humanis diuersa sorte quatiuntur. Vos autem, quos sapientia firmos efficit, & mens religiosa consolidat, ad prouincialium potius cõuenit adunationes animari. Quia iuste debitor fit alieni arbitrij, qui a pluribus meretur audiri. Quapropter salutantes veneratione qua dignum est, quod vobis quidem mœrorem possit indicere, transitum gloriosæ memoriæ domni aui nostri cum dolore maximo nuntiamus. Sed inde potest uestra tristitia temperari, quia nos in sede regni sui, diuinitate propitia, collocauit. vt in toto desiderio nostro non videatur ereptus, qui vobis consurgit in successione reparatus. Fauete nũc orationibus sacris, nostris libenter auspicijs. vt Rex cœlestis humana nobis regna confirmet. gentes externas atterat. peccata absoluat. consolidet & conseruet propitius, quod parentibus nostris dignatus est præstare gloriosus. Quapropter sanctitas vestra prouinciales cunctos admoneat, vt inter se cõcordiam habentes, regno nostro per omnia debeant esse purissimi. Cupimus enim in subiectis fidem reperiri, quam larga possimus pietate munerari.

TVLVM. VIRO. PATRITIO. ATHALARICVS. REX

QVamlicet ad regendos populos idoneos efficiant, quos ad augustum culmen diuina prouexerint (quando nec ætas impedit, vbi sese potentia cœlestis infundit) tamen ad releuandam florentissimæ nostræ ætatis solicitudinem, visum est te virum prudẽtissimum conuenienter adhibere. quem constat etiam domni aui nostri tractatibus iugiter & laudabiliter adhæsisse. Quod si dignum fuit, hoc illum talem tantumq; facere, quanto magis nobis conuenit solatium quærere, quod pro adolescentię flore decẽter adhuc possumus intelligere? Magna est enim infinitaq; prudentia. quam nemo sic assequitur, vt eam non necessarie, & per alios quærere videatur. Senes ipsi consilijs sapientiam discunt, & a maturis in

commune quæritur, quod pro omnium vtilitate tractatur. Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi Reges, & hinc meliores æstimantur, si soli omnia non præsumunt. Quod si longæui domini subiectorum ingenijs adiuuantur, consulte relaxamus ætatis nostræ breues ferias, vt suis incrementis deuota prosperius, robustior ad imperij pondera sustinenda consurgat. Atq; ideo te, cum fauore diuino, suggestu præsentalis Patritiatus euehimus. vt pro Repub. nostra tractantem sedis celsa sublimet. Ne sententia salutaris, cui decet humiliter parere, a loco videatur venisse cõmuni. Hic est honor, qui & armis conuenit, & in pace resplendet. Hunc illa dives Grecia, quæ multo glorioſissimo domno auo nostro debuit gratificata persoluit. velauit fortes humeros chlamydum vestis. pinxit suta setis calceus iste romanus. & dignatus visus est accipere, quod se cognoscebat assumere per honorem. Crescebat visendi studium Eois populis heroem nostrum. Dum, nescio quo pacto, in eum qui bellicosus creditur, ciuilia plus amãtur. Hac igitur honoris remuneratione contentus, pro exteris partibus indefessa deuotione laborauit. & præstare cum suis parentibus principi dignabatur obsequium, qui tantorum Regum fuerat stirpe procreatus. Sic se magnorum beneficia semper extollunt. vt & quibus imperare nequeunt, iura venerationis imponant. Diligit omnis morem mens sui prouectus semper auctorem. & mortalitatis iura nesciunt, qui beneficijs non tenentur. Sed longum est, de eius gloria sufficienter loqui, quem singularem gentibus sæcula fœcunda genuerunt. Ipsius te labor instituit, vt nos minus laborare debeamus. Tecum pacis certa, tecum belli dubia conferebat. &, quod apud sapientes Reges singulare munus est, ille solicitus ad omnia secure tibi pandebat arcana. Tu tamen nullos responsis ludebas ambiguis. Amasti in audiendo patientiam, in suggestione veritatem. sepe quæ ad eum falso prouenerant, recti studio corrigebas. &, quod rarum confidentiæ genus est, interdum resistebas contra vota principis, sed pro opinione rectoris. Patiebatur enim inuictus ille prælijs pro sua fama superari. & dulcis erat iusto principi rationabilis contrarietas obsequentis. Ama nunc sublimior iustitiam, quam seruiens diligebas. Ostende te illius esse discipulum, qui nunq; laborauit incassum, iunctus Amalo generi, nobilissima tibi facta cõsortia. Omne siquidem bonum regia suadere debet affinitas. Acturus est consueta prudentia, vt laude morum fastigium contigisse videaris excelsum. Extat gentis Gothicæ huius probitatis exemplum, Gensimundus ille toto Orbe cantabilis. solum armis filius factus, tanta se Amalis deuotione coniunxit, vt heredibus eorum curiosum exhibuerit famulatum, quanuis ipse peteretur ad regnum. Impendebat alijs meritum suum, & moderatissimus omnium, quod ipsi conferri poterat, ille paruulis exhibebat. Atq; ideo eum nostrorũ fama concelebrat. Viuit semper relationibus, qui quando q; moritura contempsit. Sic quandiu nomen supereſt Gothorum, fertur eius cunctorum attestatione præconium. Vnde fas est de te meliora credere, quem nostri constat generis affinitate gaudere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

HAbetis P.C. vnde glorioſo principi gratiã referre debeatis, quando præcelſo viro Tolum, & noſtra affinitate fulgenti, veſtri ordinis contulimus dignitatem. Auctus eſt enim pacis genius deferri radiantis ornatu. nec diſcincta iacet toga, iam procinctualis effecta. Ante vobis contulimus honores. ſed nunc ipſam ereximus dignitatem. Per omnes eſt nimirum ſplendor refuſus, quem præſens poteſt habere patritius. quoniam illa eſt natura puriſſimi luminis, quæ relucet & proximis. Sed quanuis ſit vobis notiſſimus candidatus, qui domni aui noſtri tam claris ac diuturnis adhæſit obſequijs, tamen iuuat illa repetere, quæ conſtat ad inſtitutoris eius gloriam pertinere. Primũ, quod inter nationes eximium eſt, Gothorum nobiliſſima ſtirpe gloriatur. qui mox inter parentes infantiam reliquit, ſtatim rudes annos ad ſacri Cubiculi ſecreta portauit. agens non vt ætas, ſed vt locus potius expetebat. Nam licet omnia Regum obſequia ſub cautela peragenda ſint, illic tanto timoris amplius acquiritur, quãto proximus plus habetur. Arduum nimis eſt, meruiſſe principis ſecretum, vbi ſi quid cognoſcitur prodi, vel ab alio formidatur. Has procellas moderator ſui ſine offenſione tranſmiſit. carus ſummatibus, collegis ſemper acceptus. vt iam tunc magnæ felicitatis videretur eſſe præſagium, gratiam meruiſſe cunctorum. Cuius vt cœpit ætas adoleſcere, tenericq; anni in robuſtam gentis audaciam condurari, ad expeditionem directus eſt Sirmienſem, Vt quod ab illo martio viro didicerat verbis, in camporum libertate monſtraret. Egit de hymnis inter alios nymphum. & emeritam laudẽ primis cõgreſſibus auſpicatus, neci dedit Bulgares, toto Orbe terribiles. Tales mittunt noſtra cunabula bellatores. ſic paratæ ſunt manus, vbi exercetur animus. Nutritus in ocioſo ſeruitio laborioſos ſubegit, & quod exercitatione nõ didicit, virtus prona compleuit. Rediit ſubito ad principem veteranus, egreſſus primęuus. vt non pacatis obſequijs, ſed armis ſemper ſtuduiſſe crederetur. Hoc rimator ille actuum, & honorum remunerator inſpiciens, vigorem illi regiæ domus virtutis contemplatione commiſit. Vt quem ingenioſum bella probauerant, fortiſſimi Regis conſilijs miſceretur. ad inuenienda ſubtilis, ad implenda robuſtus, ad cælanda cautiſſimus. Egit locum merito publici ſecreti. Cum ipſo prelia, cum ipſo negociorum æquabilia diſponebat. & in tantam ſe ſimilitudinem eius cogitationis adiunxerat, vt cauſis recognitis, quod ille velle poterat, iſte ſua ſponte peragebat. Defenſorem omnium ſuis tractatibus adiuuabat. & miniſtrando conſilium, regebat ipſe Rectorem. Admonet etiam expeditio Gallicana. vbi iam inter duces directus, & prudentiam ſuam bellis & pericula promptiſſimus ingerebat. Arelate eſt ciuitas ſupra vndas Rhodani cõſtituta, quę in Orientis proſpectum tabularum pontem per nuncupati fluminis dorſa tranſmittit. Hunc & hoſtibus capere, & noſtris defendere neceſſarium fuit. Quapropter excitata ſunt

ſunt Gothorum Francorumq; validiſſima tempeſtate certamina. Affuit illic dubijs rebus audacia candidati. vbi tanta cum globis hoſtium concertatione pugnauit, vt & inimicos a ſuis deſiderijs amoueret, & vulnera factorum ſuorum ſigna ſuſciperet. vulnera inquam, opinio inſeparabilis, ſine aſſertore præconium, propria lingua virtutis. quæ licet ad præſens periculum ingerant, reliquum tamen vitæ tempus exornant. Eget enim aſtipulatoribus corpus illæſum, quærit alios qui viſa diuulgent. de fortitudine probata non ambigitur, quæ tali teſtimonio comprobatur. Conflictus virorum fortium mutua tela reppulit. nec ſemper tutus fuit, qui cum numeroſo hoſte contendit. vnius forſitan ictus ſolerter eliditur. qui multis reſtitit, a parte, qua non credidit, vulnus excipit. quæ tantum ei nunc ſunt glorioſa, quantum tunc habuere periculi. Iuuat igitur fortiſſimi viri narrare quietum felicitatis exemplum. quia non eſt in duce perfecta laus aſſerere ſemper anxios labores. Mittitur igitur, Franco & Burgundio decertantibus, rurſus ad Gallias tuendas. ne quid aduerſa manus preſumeret, qđ noſter exercitus impenſis laboribus vindicaſſet. Atqui ſunt Reipub. Romanæ alijs contendentibus abſque vlla fatigatione prouinciarum, & factum eſt quietum commodum noſtrum, vbi non habuimus bellica contentione periculum. Triumphus ſine pugna, ſine labore palma, ſine cæde victoria. Tantum ergo eius glorię debemus, quantum vtilitatis accepimus. quem & ille arbiter rerum largitione reddituum iudicauit eſſe proſequendum. vt ibi fieret dominus poſſeſſionum, vbi vtilitati publicę procurauit augmentum. Acquilienſes quoque tempeſtates inter eius proſpera iure memorantur. quia diſcrimina dũ feliciter cedunt, ſuauiſſimæ memorię ſenſum relinquũt. Cum ventis ſæuientibus furentem pelagum ſpuma teſtaretur vndarum, diu iactatum nauigium tumens fluctus abſorbuit, nullum relinquens forti viro ſolatium, niſi tantum remigia brachiorum. Tunc iſte nautis pereuntibus cum caro pignore ſolus euaſit. Ibi amor pijſſimi regis, ibi meritum probatum eſt periclitantis. quando regnator ille vix litori conſtitutus, vt eum exitio prævaleret eripere vndas iterum deſiderabat intrare. Tunc eius pericula formidauit, qui ſaluti propriæ timere neſciuit. Nonne vobis P.C. aſperis caſibus diuinitus videtur exemptus, cui præſens parabatur euentus? Hunc itaque virum, bellis exercitatum, felicitate clarum, prudentia comprobatum, quod deo auſpice dictum ſit, ad Patritiatus preſentale culmen eueximus. Fauete nunc auſpicijs candidati. & viris noſtris libertatis atria reſerate. Conuenit gentem Romuleam martios viros habere collegas.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

COnfido P.C. cp ad agẽdas optimo Regi gratias, omnium veſtrũ ſtudia debeant concitari. quãdo prouectũ meum excogitatũ noſcitis pro vtilitate cunctorũ. Atq; ideo alacriter excipiendum eſt, quod neceſſarie fuiſſet optandũ. Omnibus quidẽ vtile eſt, iudicia

principum

Universidad de Deusto
Biblioteca

principū ſequi,ſed ipſe facit propria,qui gratanter ſuſcipit aliena. Retinetis, me Senatus ſemper fouiſſe cętum, ſed nunc maxime cū veſtrum videor intrare collegiū. Aſſumptio dignitatis ordinis bene nobis gratiam duplicauit. quando me inter eos eſſe ſentio, a quibus me amari poſſe confido. Accedit etiam illud animi veſtri gratiſſimum pignus, q̄ patritiorum genus per nos conſtat erectum. quando nemo gentilium in vobis putauit abiectum, quod in me reſpicit honoratum. In expetendis quoque honoribus apud glorioſæ memoriæ Theodericum principem Regum, mea vobis ſæpe vota coniunxi. vt quadam prȩſcientia talia videar prȩmiſiſſe, ad quos me cum gloria decebat intrare. Confidentius illud expetitur, vbi poſt collata beneficia feſtinatur. Sæpe Conſules, ſæpe Patritios, ſæpe Præfectos habita interceſſiōe promoui, vobis impetrare contendens, quod mihi ardue potuiſſet optari. Congaudete nunc P. C. meis auſpicijs, qui veſtris faui ſemper honoribus. Vultis ſcire, qua vos affectione complectar? inſertus ſtirpe regia vocabulū vobiſcum voluí habere commune. Viuite, Deo propitio, ſecuri. &, quod eſt feliciſſimum ſuauitatis genus, exultate cum liberis veſtris. Studete, ſicut ſemper, prędicari moribus Romanis. & bonorū actuum formam ſub alta quiete perquirite. Intereſt noſtræ gloriæ, vt quorum numerum auximus, eos propitia diuinitate tueamur.

ARATORI . VI . ATHALARICVS . REX

PErfectionem neceſſariarum rerum completam eſſe iudicamus, ſi quemadmodum eligendo virum magnificum Patritium armatæ Reipub. parci prouidimus, ita & de ſociando ei literarum peritiſſimo conſulamus. Decet enim, tractatores habere doctiſſimos, quibus poteſtas ſumma committitur. vt nullo defectu impediente meritorum, prouiſa Reipub. vtilitas explicetur. Alij ſunt honores, qui ſe ordinaria prouiſione componunt. de generali autem ſecuritate ſolicito talis aſſociandus fuit, qui parem in ſuis ſtudijs nō haberet. Neq; enim adhuc minus probatus agnoſceris, licet primæuus veneris ad honores. Aduocationis te campus exercuit, te iudicij noſtri culmen elegit. Nam ita intra te fuit q̄is ampla profeſſio literarū, vt tuum ibi conſeneſcere non pateremur ingenium. Auſpicatus es militem, cum implere potueris cognitorem. & quanuis traheret te eloquentia pro defenſione dicere, ſuadebat tamen æquitas iudicanda proferre. Probatum eſt, quid vtilitatis habeat moribus armata facundia. Nam ſicut pernicioſum eſt, doctos praua ſuadere. ſic ſalutare munus, cū veritatis terminos diſertitudo neſcit excedere. Sed vt merita tua exemplis potius laudabilibus aſſeramus, iuuat repetere pompoſam legationem, quam non communibus verbis, ſed torrenti eloquentiæ flumine peregiſti. Directus enim de partibus Dalmatiarum ad domnum auum noſtrum, ſic neceſſitates prouincialiū, ſic vtilitates publicas allegabas, vt apud illum magna cautela ſolicitum, & copioſus eſſes, & faſtidia non moueres.

Abundantia

Abundantia ſiquidem verba cum ſuauiſſimo lepore defluebant, & cum finem faceres, adhuc dicere quærebaris. mouendo, delectando, implebas magis veri oratoris niſum, cum iam cauſidici deſeruiſſes officium. Genitoris quinetiam tui facundia & moribus adiuuaris. cuius te eloquium inſtruere potuit, etiam ſi libris veterum non vacaſſes. Erat enim, vt ſcimus, egregie literis eruditus. Et vt aliquid ſtudioſe exquiſitum dicere videamur, has primum, vt frequentior tradit opinio, Mercurius reparator artium multarum volatu ſtrymoniarum auium collegiſſe memoratur. Nam & hodie grues, cū claſſe conſociant, alphabeti formas, Natura imbuente, deſcribūt. quem in ordinem decorū redigens, vocalibus conſonantibusq; congruenter admixtis, viam ſenſualem reperit. per quam alta petens ad penetralia prudentiæ mens poſſit velociſſima peruenire. Hinc Hellen auctor Græcorū plura dixit eximie, virtutem eius compoſitionemq; ſubtiliſſima narratione deſcribens. vt in ipſo initio poſſit agnoſci magnarum copia literarum. Sed vt ad propoſitum redeamus, paterno igitur exemplo ingenium extendiſſe credendus es, qui in Romano foro eloquentiam non enutriſti. O beatum, magnum, feliciſſimumq; diſcipulum, qui affectuoſe didicit, quod alijs doctorum terror extorſit. Romanum denique eloquium non ſuis regionibus inueniſti, & ibi tulliana lectio diſertum reddidit, vbi quondam gallica lingua reſonauit. Vbi ſunt, qui literas latinas Romæ non etiam alibi aſſerunt eſſe diſcendas? Euaſerat Cecilius pondus verecundiæ, ſi hunc prouectum ſæcula priora genuiſſent. Soluta eſt quippe vis illa ſententiæ. mittit & Liguria Tullios ſuos. Cognoſce quid ex meritis tuis æſtimauimus, quando illius conſilio te vides eſſe ſociatum, qui noſtri imperij tractat arcanum. Hinc eſt, q̄ te Comitiuæ Domeſticorum illuſtratum honore decoramus. vt merito maiora de noſtris debeas ſperare iudicijs, qui in te adhuc meliora credimus inueniri. Grande tibi negocium vides eſſe commiſſum. Quicquid egeris generalitas ſentit. Nam qui poteſt in vniuerſitate peccare, glorioſus nimis eſt, ſi neſcit excedere.

AMBROSIO . VIRO . QVAESTORI . ATHALAR . REX

SEcurus celſa conſcendit, qui ſe in paulo minoribus approbauit. & certo procedit veſtigio, qui gradatim deſiderio potitur acceptо. Sine merito ſiquidem remuneratum putatur omne, quod ſubitum eſt. nec inexplorati ſuſpitionem refugit, quod repente prouenerit. Contra, omnia deliberata ſun robuſta. & totum bonis actibus obtinuiſſe creditur, qui poſt documenta laudatæ militiæ promouetur. dum inter gymnaſia literarum adſcitus ab illo inſpectore meritorum, qui iudicijs ſuis etiam futura prædicebat, Priuatarum Largitionum faſcibus præfuiſti. ſuſcipiens patrocinium meritorum, ita gratiam dominantis auxiſti, vt tibi ſæpe committeretur, quod dignitas non haberet. Quod ſi laudabile eſt, vel mediocribus eſſe honoribus parem, quanto præſtantius viciſſe moribus aulicam dignitatem? Hæc cum tu ſub tanto Iudice laudata

Universidad de Deusto
Biblioteca

data perageres, gratiam quoq; loci alterius inueniſti. Dictationibus enim probaris adhibitus, cum ſit offenſionibus alter expulſus. & ita ſuſpenſum honorem tuum ſuſtinebat ingenium, vt palatio non ſineres deeſſe ludicem, cuius ad tempus abrogatam cognouimus dignitatem. Non ſunt imparia tempora noſtra tranſactis. Habemus ſequaces æmulosq; priſcorum. Ecce iterum ad Quęſturam commeans euenit ingenio. Redde nunc Plinium, & ſume Traianum. Habes magna, quę dicas, ſi & tu ſimili oratione reſplendeas. Fama temporum de legitima atq; eloquenti iuſſione generatur. Omnia ſiquidem bona cumulat lingua diſerta. & quod a nobis præcipitur, gratia dictantis ornatur. Eſto nobis ad bona ſuggerẽda promptiſſimus, & aduerſus improbitatem male præſumentium conſtanter erectus. Dicet iam auribus noſtris, quod eſt omnino pro nobis. Bonus princeps ille eſt, cui licet pro iuſtitia loqui. & cõtra, tyrannicę feritatis indicium, audire nolle conſtituta veterum ſanctionum. Renouamus certe dictum illud celeberrimum Traiani. Sume dictationem, ſi bonus fuero, pro Repub. a me. ſi malus, pro Repub. in me. Sed vide, quid a te queramus, quando nec nobis aliquid iniuſtum licere permittimus. Decreta ergo noſtra priſcorũ reſonent conſtituta. quæ tantam ſuauitatem laudis inueniunt, quantum ſaporem vetuſtatis aſſumunt. Præiudicia, quę nos horremus, in alijs non amamus. Obligamus te certe generalitati, dum abſolute præcipimus iura ſeruari. Quod ideo nunc dicimus, vt oportune omnibus in te cõſuluiſſe videamur. Decet enim pręmonere, ne te iam tardius poſt aliena pericula videamur velle corrigere. Bonorum exempla ſequere, & nobilitatis tuæ memor incede. Illi digne ad vitia generis ſui redeunt, qui contemptibili ſtirpe naſcũtur. His igitur in bonum publicum prædictis, per quintam feliciter Indictionem Quęſturæ tibi inſignia, Deo præſtante, concedimus. honorem prudentium, fontem omnium dignitatum. quando exinde procedit, quod indulgentiæ noſtrę largitate manauerit. Age, vt qui ad conſiliũ aſciſceris, prudentia cunctis & grauitate præminere noſcaris. Nam quid tibi conueniat, vides. Vox legum dicens, dum noſtra iura condimus. Incumbe nunc probitati vel fidei. Vt ſicut te prior honor dignum fecit alteri, ita ſecundus tertiæ faciat dignitati.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

ACcipite P.C. iudicium, quod iudicia noſtra protulerunt. quando plus cogitant omnino, quæ cauta ſunt. quia talis ſubſecutio creditur, quale primordium veniſſe ſentitur. Nemo enim futurum putat eſſe diligentẽ, quẽ in ipſa nouitate opinionis ſuæ non videt eſſe cuſtodem. Prouidus inſtitutor ſi ortum ſuum fœcundis nititur ornare plantarijs, vt reddant fructus optatos, quæ ſolicitis fuerant culta laboribus, quanto magis regnum decet inter initia pacis amœnitate componi, ne habere ſpeciem agri videat inculti? Et ideo beneficijs noſtris quaſi quãdam ianuam cogitamus dare Quæſtorem, per quem venientium dignitatum culmina decenter exirent. Sunt vobis certe de candidato nota, quando & moderna

derna quæ loquimur. Nam cum tranſitum glorioſæ memoriæ domni aui noſtri ſubiectorũ anxia corda lugerent (bonum quippe amiſſum dum quęritur, plus amatur) per eum vobis & noſtri auſpicij, & veſtræ ſecuritatis optata paruerunt. Intelligite quali nos æquitate conſtringimus in futuris, vt ipſe nobis legum fieret cuſtos, qui conſeruandæ iuſtitię fuerat promiſſor effectus. Affuit mandatis regalibus eloquens & decorus ornator, permulcens etiam inſpectus, quos gratiſſimos reddebat auditus. Tales enim decet eſſe aulicos viros, vt naturę bona indicio frontis aperiant, & poſſint agnoſci de moribus, cum videntur. Tacens enim plerunq; deſpicabilis eſt, ſi eum tantũ lingua nobilitat. ſemper autem in honore manet, ſi cuius eſt tranquillus animus, eum quoq; ſereniſſimus commendet aſpectus. Hoc denicq; facto teſtamur copiam nos habere prudentium, quando talis eligitur, qui ex vtraq; parte laudetur. Eloquentię vero bona ineptum eſt in Quęſtore prędicare, cum ad hoc ſpecialiter probetur aſcitus, vt opinionem temporũ commendet qualitate dictorum. Alijs enim ludicibus prouinciarum committatur exactio. alijs priuati Aerarij cuſtodia delegatur. huic autem aulicæ famæ inſignia reponuntur. vnde per totum Mundum opinio vulgata laudetur. Quod nobis adeo P. C. æſtimauimus eſſe repetendum. vt tales nos quærere credatis, quales & noſtræ laudi, & veſtræ ſecuritatis expediat inueniri. Agnoſcite docti bonum principis votum. confidite de beneficijs, qui literarum probamini habere notitiam. Segniſſimi eſt torpere, cum ſe ad prouectum cognoſcat rerum dominos inuitaſſe. Quapropter P. C. illuſtrem Ambroſium Quæſturæ culmine decoratum, fauor veſtrę benignitatis excipiat. De illo enim non debet dubitari, qui a veſtro ordine iam in prima dignitate meruit approbari.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

GRatiſſimum noſtro profitemur animo, q; glorioſi domni aui noſtri reſpõdiſtis in epiſcopatus electione iudicio. Oportebat enim arbitrio boni principis obediri, qui ſapienti deliberatione pertractans quæuis in aliena religione, talem viſus eſt pontificem delegiſſe, vt nulli merito debeat diſplicere. vt agnoſcatis illum hoc optaſſe præcipue, quatenus bonis ſacerdotibus Eccleſiarũ omnium religio pullularet. Recepiſtis itaque virum, & diuina gratia probabiliter inſtitutum, & regali examinatione laudatum. Nullus adhuc priſtina contentione teneatur. Pudorem non habet victi, cuius votum contingit a principe ſuperari. Ille quin immo ſuum efficit, qui eum ſub puritate dilexerit. Nam quæ ſit cauſa doloris, quando hoc & in iſto repperit, quod alteri in partem ductus optauerit? Crinea ſunt iſta certamina, pugna ſine ferro, rixa ſine odio, clamoribus non doloribus res iſta peragitur. Nam & ſi perſona ſummota ſit, nihil tamen a fidelibus amittitur, cum optatum ſacerdotium poſſidetur. Quapropter redeunte Legato noſtro illuſtri viro Publiano, rationabile duximus, ad cœtũ veſtrum ſalutationis apices deſtinare. Magna eñ iucunditate perfruimur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoties cũ noſtris proceribus verba miſcemus. Et hoc quoq; ſuauiſſimum vobis minimè dubitamus, ſi quod illius feciſtis imperio, nobis etiam cognoſcitis eſſe gratioſum.

OPILIONI. COMITI. SACRARVM. ATHALARICVS. REX

MOlent quidem venientes ad aulicas dignitates diutina exploratione trutinari, ne imperiale iudicium aliquid probare videatur ambiguum. quoniam gloria regni eſt repperiſſe iudices exquiſitos. Sed tam frequens eſt familiæ veſtræ feliciſſimus prouectus, tam in multis perſonis declarata prudentia, vt licet aliquis vos eligat ad ſubitum, nihil feciſſe videatur incertum. Similitudinem ſuorum felix vena cuſtodit. quando pudet delinquere, qui ſimilia nequeunt in ſui genere reperire. Hinc eſt, cp melius agnoſcitur elegiſſe nobilem, cp feciſſe felicem. quia iſte commonitus, per veterum ſe facta cuſtodit. ille exemplum non habet, niſi quod fecerit. Quapropter ſecure tibi credimus, quod toties tuo generi commiſſum fuiſſe gaudemus. Pater his faſcibus prefuit, ſed & frater eadem reſplenduit claritate. Ipſa quodammodo dignitas in penatibus veſtris larem paruit, & domeſticum factum eſt publicum decus. Nam militiæ ordinem ſub fraterna laude didiciſti. cui mutuo cõnexus affectu, implebas laboribus ſocium, & conſiliorum participatione germanum. ad te potius pertinere dijudicãs, quod frater acceperat. Hoc baculo reclinabatur ille felicior, aſtu quædam negligens præſumptione tui, quia per te omnia cernebat impleri. En dulce fratrum obſequium, & præſentium temporum antiqua concordia. Bene talibus ſenſibus iudicium creditur, qui ſeruare mores naturaliter ſentiuntur. Quod ſi amœni receſſus, & prouinciale ocium forte libuiſſent, ad te cateruę cauſantium & anxia currebant vota leſorum. Boni iudicis inter eos aſſumebas officiũ. & furtorum quodã vrgente preſagio, qd' a nobis accipere poteras, meritorũ aſſumptione peragebas. Meminimus etiam, qua nobis in primordijs regni noſtri deuotione ſeruieris, quando maxime neceſſarium fidelium habetur obſequium. Nam cum poſt tranſitum diuę memoriæ domni aui noſtri anxia populorum vota trepidarent. & de tanti regni adhuc incerto herede ſubiectorum ſe corda perfunderent, auſpicia noſtra Liguribus felix portitor nuntiaſti. & ſapientiæ tuę allocutione firmati, mœrorem quem de occaſu conceperant, ortu noſtri imperij in gaudia commutabant. Innouatio Regis ſine aliqua confuſione tranſiuit. & ſolicitudo tua præſtitit, quod nos nullus offendit. Atq; ideo probato talibus inſtitutis, ab Indictione feliciter ſexta Sacrarum Largitionum Comitiuam, propitia tibi diuinitate, concedimus. Vſurus es omnibus priuilegijs atq; emolumentis, quę ad tuos deceſſores pertinuiſſe noſcuntur. Abſit enim, vt aliqua calumniæ machinatione quatiantur, qui actionis ſuæ firmitate conſiſtunt. Fuit enim tempus, cum per delatores vexarentur & Iudices. Deponite iam formidinẽ, qui non habetis errorem. Nam quod vobis per deceſſores præceſſoresq; noſtros temporibus domni aui noſtri cõſuetudo longa dedit, indulgentia

indulgentia quoq; noſtra cuſtodit. Conferimus tibi honorem germani, ſed tu fidem eius imitare ſeruitij. Nam ſi illum ſequeris, multos laude præcedis. virum auctoritatis maximæ, probatæ conſcientię, qui ſub tanto principe & ſine culpa paruit, & iuſtitiam laudatus exercuit. Promptum eſt enim æſtimare quid geſſerit, quando ſub ingrato ſucceſſore palatinũ officium præconia eius tacere non potuit. Difficile itaq; non eſt, moribus ſequi poſſe germanum. quia & in conuerſationis fructu plerunq; conſentiunt, qui vnius ſemine procreantur.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

TAnta eſt P. C. in candidato copia meritorum, vt vereamur ne tardius putetur electus, cp non ſit iudicio comprobatus. Nam cum diuæ memoriæ auus noſter optimos viros exquireret, nobis eum irremuneratum proſperior fortuna ſeruauit. Illi paruit, illi multa officioſitate ſeruiuit, & a domino largiſſimo beneficiorum ſine aliqua retributione conſtat eſſe derelictũ. Credo dilata eſt compenſatio meriti, vt nobis apertior fieret cauſa præſtandi. Conueniat enim ſe pietas noſtra lege naturæ. Condignum eſt ab herede ſolui, quod collatum conſtat auctori. Cur enim munificentia noſtra eum differret, quem proficere conſuetudo ſuæ nobilitatis vrgeret? Pater huic manu clarus, ac ſumma fuit morum nobilitate conſpicuus. quem nec feruentia bella reſpuerunt, cum tranquilla ocia prædicarent. corpore validus, amicitia robuſtus, æui antiquitatem geſtabat, abiectis ſæculi vitijs, ditatus claris honoribus? His temporibus habitus eſt eximius, cum princeps non eſſet erectus. Sed quid antiquam parentum eius repetimus nobilitatẽ, cum vicina reſplendeat luce germani? cuius non dicam proximitati, ſed vel amicitiæ coniunctum fuiſſe, poteſt eſſe laudabile. Huius virtutibus ita ſe ſociauit atq; connexuit, vt hoc potius ſit victum, qui magis ex altero prædicetur. Amicitijs ille præſtat fidem, ſed magnam promiſſis debet iſte conſtantiam. Ille quoq; auaritia vacuus, & iſte a cupiditatibus probatur alienus. Hinc eſt, cp norunt Regibus ſeruare fidem, quia neſciunt vel inter æquales exercere perfidiam. Ibi enim mores facilius probantur, vbi natura ſub libertate mõſtratur. Quomodo ergo ſub breuitate non ſeruiant dominis, qui neſciunt illuſiſſe collegio? His laudibus electus a coniuge, Baſilianæ ſociatus fertur eſſe familiæ, cp plerunque euenit a meritis, coniungi poſſe nobilibus. Inſpicite in eo, ſi placet, etiam familiarem vitam. quia ſæpius Maioribus noſtris viros induſtrios hæc ſigna prodiderunt. Res huic priuata tanto fuit moderamine diſpoſita, vt nec aliqua tenacitate ſorderet, nec iterum nimia effuſiõe labereť. Gentiles victu, Romanos ſibi iudicijs obligabat. & vnde magnitudo dignitatibus plerunq; venit, iſte diſceptãdo ſibi amicitiã colligebat. Videte, quid faciat nobilis natura, Ex Iudicibus natus arbitrum agebat. qd' niſi ex morũ probitate nulla poteſt contingere ratione. Nam faſcibus obedire, plerunq; poteſtatis neceſſitas cogit, parere Iudici priuato, ſola ſentẽtiarũ probitas facit. Vnde nobis plus laudis

Universidad de Deusto
Biblioteca

videtur habere voluntarius Iudex, quando ad audientiam non eligitur, nisi qui iustus esse moribus æstimatur. Quapropter P. C. fauete vestris alumnis, & nostris fauete iudicijs. Secundo ad vestram Curiam venit, qui ex Senatore natus est, & aulicis dignitatibus probatur honoratus.

FELICI. V.I. QVAESTORI. ATHALARICVS. REX

PRofessionem constat esse iustitiæ, legum peritos Iudices ordinare. quia vix potest negligere, qui nouit æquitatẽ. nec facile erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit. Dudum te, forensibus negocijs insudantem, oculus imperialis aspexit. nec latere potuit, qua fide susceptа pegeris, qua luculentia tractata peroraueris, et quo gradu eloquentia tua atq; conscientia pariter incedebant. nullus susceptus, quod amplius desideraret, habuit. nullus Iudicum, quod in te corrigere posset, inuenit. Accessit enim venustas oris, & castitas animi. Iuuenem te solus decor ostendit, ab ore primæuo cana verba manauerunt. Contendit flos ætatis, & maturitas mentis. sed potius illa superauit, quæ nos ad virtutum gradus gloriamq; perducit. Quapropter aptamus munera nomini & meritis tuis. vt arcana regia fidelis accipias, & vir eloquens literatam reperias dignitatem. Nunc causas glorioſe iudica, quas laudabiliter perorabas. Assideat tibi propria & exercitata doctrina. Modo est felix & certa conditio negociorum. quando ille sententiam dicit, qui non potest ignorare, quod elegit. Non enim decet, Iudicem ministrum esse voluntatis alterius, vt magis alteri pareat, cui tot milites obsecundant. Certe si in alijs tolerandum vt cunq;, nimis in Quæstore pudendum est, vt qui eligitur ad principis consilium, solatium expectet alienum. Et ideo, q̃ Deo auspice dictum sit, per sextam Indictionem Quæsturę tibi conferimus dignitatem. Sed tuus honor imperitis opprobrium est. Nam sicut conscientia læta est, quæ prouehitur meritis. ita sub reatu iacet, qui se imparem cognoscit muneribus consecutis. Habes priscos viros, quos te deceat imitari. Prędecede fama, quem sequeris dignitate. Nam si te priuata vita virtutibus exercuit, quanto melius prouecta declarabit? Sumpsisti nomen ex meritis. custodi vt semper læteris veritate vocabuli. Nam cum omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est, portare nomen alienum. & aliud dici, q̃ possit in moribus inueniri. Verum hæc bonæ conscientiæ dicta sufficiant, quia dubitari de illo creditur, qui plurimis admonetur.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

IIcet cœtus vester gemino splendore semper irradietur, clarior tamen redditur, quoties augetur lumine dignitatum. Nam cœlum ipsum stellis copiosissimis plus refulget, & de numerosa pulchritudine mirabilem intuentibus reddit decorem. Naturę siquidem insitum est, vt bonorum copia plus delectet. Prata denicq; floribus pingunt innumeris, laudatur pinguis arui densior seges. Antiquitas vos fecit nobiles haberi. nos Senatum volumus etiam de numerositate prædicari. Hinc est,

est, q̃ vobis aggregare cupimus, quem reperimus vbicunq; præcipuum. Nam licet apud vos seminarium sit Senatus, tamen & de nostra indulgentia nascitur, qui vestris cœtibus applicetur. Alumnos cunctę nobis pariunt aulicæ dignitates, Quęstura aũt vere mater Senatoris est, quoniam ex prudentia venit. Quid enim dignius, q̃ Curiæ participem fieri, qui adhæsit cõsilio principali? Sed quia prudenti viro nõ sufficit generaliter concluſa laudatio, eius nota propriaq; tangamus. Quæstorem nostrũ P. C. cognoscite, eloquẽtia prius exercitata placuisse, & sic assidue crebras egisse victorias, vt merito sibi eum electio triumphalis asciuerit, quatenus palmis felicibus inauguratus, vobis daret omina laurearum. Ad Forense gymnasium prima ætate deductus, studuit semper integritati mentis. & nobilissimus pudore, castitatem corporis sub nimio labore transegit. Orator facundus, grauissimus patronus, susceptas causas suis præconijs adiuuabat. quando credi nõ poterat negocium improbabile, cui talis videbatur assistere. Nonne præter mittere hunc virum esset publicum damnum? quid enim aut nobis, aut vobis debet esse acceptius, q̃ vestro coniungi lateri, qui inter leges meruit approbari? Amare nanq; eas potest, per quas doctus enituit. dum affectat vnusquisq; gloriam suam. nec obliuisci potest animus, ex qua nobis parte fuerit sociatus. Creditis forte principes viri nouã in hunc impetratamq; apparuisse prudentiam. origo eius hereditarias sibi literas vendicauit. cuius patrita in Mediolanensi foro resplenduit, vt æterno fructu e tulliano cespite pullularet. Proinde quanuis sit vel inter mediocres difficillimum placendi genus, tamen Aduocationis laudem inter primarios eloquentiæ frequenter meruit inuenire. Is contra Magnum Olybrium stetit. is palmarum Eugenetis linguæ vbertate suffecit. & illis par extitit, quos singulares Roma cognouit. Quid enim generosius, q̃ tot literarum proceres habuisse Maiores? Nam si inueteratæ & per genus ductæ diuitiæ nobiles faciunt, multo magis præstantior est, cuius origo thesauris prudentiæ locuples inuenitur. Quapropter P. C. fauete vestro iudicio, ac suis meritis candidato. Quando si collegæ manum clementiæ porrigitis, nos potius sublimatis.

ALBIENO. V.I. PRAEPOSITO. ATHALARICVS. REX

ASsertio meritorum est, potuisse eligi post improbitatẽ Iudicis accusati. quando excessus præcedentiũ non corrigitur, nisi cũ successor optimus inuenitur. Contrarijs rebus plerunq; medicina succedit. Nam dum calor vitalis adhibitus fuerit, frigus pestiferum tũc recedit. Nubila ipsa ventorum spiratione terguntur, & Aquilo faciem cœli tranquillam reddit, quã australis aura turbauerit. Sic nos decessorem tuum summouimus amore generalitatis, vt tu saluberrimus aduenires. Contraria prioribus imitare, & laudanda peregisti. Ille calumnijs odiosus, tu stude vt iustitia reddaris acceptus. Rapax ille, tu continens. Bonorũ omnium breuis est definitio, vitare quæ fecit. quoniam vere laudanda sunt quæ suo iudicio cõprobauit. Respice denique in illo odium publicum, & tu

amorem affectare cunctorũ. Tanti tuis moribus gratias agant, quanti illius acerbitatem actionis accusant. Animare igitur dedecore præcedentis, quando post illum professæ malitiæ virum, vel a malis abstinuisse, laudabile est. Nam quale erit, si beneficia prouincijs tribuas, quę hactenus nõ habebant? Bonum insolitũ plus amatur, et sequenti gaudio cõfert dulcedinẽ temporũ præmissa tristitia. Atq; ideo Præfecturę tibi fasces per sextam feliciter Indictionem, Deo auxiliante, cõferimus, quæ quanto fuit hactenus læsione terribilis, tantum misericordiæ habere debet. Beneficia lenitatis, siquidem sauciata, tua cura refouẽda sunt. Non tuis, nõ alienis manibus, quisquã grauetur. Nam vltra omnes impietates est nocere læsos, qui sanare creditur vulneratos. Redeat ad nomen antiquum Præfectura illa Prętorij, toto Orbe laudabilis. Cuius si principiũ quæramus, per Ioseph a beneficijs inchoauit, nec immerito a legibus nostris pater prouinciarũ, pater etiã prædicatur imperij. quia sic iuste, sic prouide agi voluerũt, vt non districtum Iudicis nomen, sed vocabulũ illi pietatis imponerent. Iustis ac debitis compendijs nostrũ per te crescat ærarium. Lucra renuimus, quæ legum cauta profanant. Pecunias illas volumus, quibus libra iustitiæ suffragatur. Aedes nostras nequitiam non patimur introire, quia nec priuata intromittere possumus, quã publica voce damnamus. Audite Iudices, quid amemus, nolite aliud in malũ publicum suspicari. Nam cui vos per iniquas prouisiões creditis esse placituros, cum nos cognoscatis sola illa diligere, quæ possunt iustitiæ monitis conuenire? Vestris iam moribus peccatis, si post ista delinquitis. Sed illi forte talia gesserint, qui ad dignitates suis parentibus incognitas peruenerunt, tu post patris Præfecturam laudabilem, aliquid, quod melius prędicetur, adiunge, quia diligentior semper esse debet, qui sequitur. dum bona parentũ probabiliter & imitari cupimus, & vincere festinamus. Accedit etiam tuis laudibus, q; dictis prudentũ probaris imbutus. Graue est sapienti offendere, vbi alterum repperit incidisse. Ius forte prætereat, qui iura nescivit, totum a te legitimum quæritur, cuius indocta fuisse nescitur. Aequales tibi sunt libri Veterum, & actiones parentum. Præsta opinioni tuę, pręsta nostro iudicio, vt impar non sis meritis, quorum æquasti per nostra beneficia dignitates.

CYPRIANO. VIRO. PATRITIO. ATHALARICVS. REX

Licet proprijs frequenter honoribus, & germani tui fueris dignitate laudatus, tamen quia natura bonorum non expeditur cum refertur, quasi ad iudicium reuertimur, de quo iam prędicta multa sonuerunt. Testificatum est de te, quicquid de fidelibus, quicquid de bene meritis debuit ęstimari. Sed digne laudum cũ voluerit nouitates emittit, qui se actionis probitate cõpleuit. Natura perẽnis fontis est glorię vena laudabilis. nam sicut ille fluendo non expenditur, sic nec ista celebri sermone siccatur. Quod & si transacta taceantur, noua probaris suggerere quæ dicantur, qui cum ætate crescis semper & meritis. Cursus annorũ laudis tibi procurat augmentum. Senescis quidem corpore, sed laude iuuenescis.

Merito tibi prolixior ętas optatur, in quo fama semper robustior inuenitur. Habuisti sub diuæ memoriæ domno auo nostro in vtraq; parte laudatas semper excubias. Vidit te adhuc gentilis Danubius bellatorem. nõ te terruit Bulgarũ globus, qui etiam nostris erat pręsumptione certaminis obstaturus. Peculiare tibi fuit & renitentes Barbaros aggredi, & cõuersos terrore sectari. Sic victoriam Gothorũ non tam numero, q; labore iuuisti. Postea vero, quod nõ minus ipsis certaminibus fuit, Referendarij officiũ laboriosis cõtentionibus exhibebas. Fuerunt enim apud illum virtutũ omnium virũ exercitualia vel pacata seruitia. Quis enim non ageret bellũ, qui illi potuit competens exhibere responsum? qui tantam firmitatem animi semper exegit, tantam verborũ in asserenda veritate constantiã, vt merito se vicisse diceret hostem, qui illo præsente vitare valuisset errorem. Hinc fuit, q; eius obsequia reddiderũt prudẽtes. Quia cautela semper adhibita erigit sensum. & dum culpã quis formidat incurrere, sapiẽtibus se nititur aggregare. Contulit etiam dignitatem Sacrarum Largitionũ, hoc laborum tuorum apertissimum munus, quam sic casta, sic moderata mente peregisti, vt maiora tibi deberi faceres, quanuis eam in magna præmia suscepisses. Per hæc te florida iuuentus exercuit, sed nostris temporibus ętas matura seruauit. Consilio quidem plurimũ vales, nec fractus tamen ætate cognosceris. Sic enim adeptus es senectutis bona, vt eius non subires incommoda. Hæc sunt, quæ in te æstimamus agenda, vt sicut es conscientia præditus, reddaris quoq; honore reuerendus. Sunt enim beneficijs nostris consentanea & vitæ superna iudicia. quando taliũ filiorũ pater effectus, natura ipsa videris esse patritius. Quorum bona vernantia non est absurdũ referri. quoniam educantiũ felicior laus est, de filiorũ probitate laudari. Primum quidẽ non minimę laudis præstat initium, infantia eorum nota esse palatio. Sic fœtus tui more aquilę se probantes, regales oculos ab ipsis pene cunabulis pertulerunt. Relucent etiam gratia gentili, nec cessant armorũ imbui fortibus institutis. Pueri stirpis Romanæ nostra lingua loquuntur. eximie indicantes, exhibere se nobis futuram fidem, quorũ iam videntur affectasse sermonem. Habemus vnde tibi felix pater præmium debeat referri, qui & filiorum tuorũ nobis animos obtulisti. Quapropter multis laboribus, multaq; fide & constantia cõprobato, Patritiatus tibi, deo auspice, conferimus dignitatẽ. honorem quidem celsum, sed qui tuis meritis probetur esse ęqualis. Fruere igit probatissimis institutis. vt cũ bona tua geminaueris, nostris interim beneficijs augearis.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

Si fauore vestro dignus est, qui vel semel regale potuit impetrare iudicium, quid P. C. vir magnificus merebitur Cyprianus? qui nobis toties gratior debet effici, quoties a nobis dignitates acceperit. Certantes in stadio numerosior corona glorificat. olympicos cursus frequens palma nobilitat. sic vel in leuibus rebus glorioſior efficitur, cui frequenter præmia referuntur. De primo denique prouecta

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest esse cunctatio. dum multi fallunt principis animum. quando facile est illudere, cui semper votum est præstitisse. Sed talem mentis exhibuit constantiam, tantum bonorum habuit propositum, vt semper in se prouocaverit regium munus. Hæc est certa gloria, hæc indubitata sententia, frequenter potuisse mereri, per quæ homines constat ornari. Hos etiam intrare in nostram Curiam decet, qui ad primos honores non expendunt meritum suum, sed cum magna susceperint iterum maiora promerentur. Ornant quoque tales & nostra iudicia. quoniam bene prius electus creditur, qui sæpius approbatur. Natura ipsa boni adhibita perseuerantia pretiatur. quia minus est, laudãda incipere, q̃ bonorũ propositũ custodire. Similes habuistis olim P.C. Decios, similes vetustas prædicat fuisse Coruinos. Neq; enim hic vir, de quo nobis sermo est, nostrũ sibi tantũmodo conciliauit arbitriũ. ab vno quippe principe prouehi, videt forte gratiosum. iam & sub altero meruisse prouectũ, apud vtrosq; integrũ constat fuisse iudiciũ. Cunctos ergo sequaces habet, qui aliquid ex veritate decernit. Hunc prouectus sui auctorẽ meruit, vt nos augmentatores dignissime reperiret. Ille in eum fundamẽta posuit bonorum, nos culmen construximus dignitatũ. Et ideo P.C. tot laboribus, tot laudibus clarificato, illustri viro Cypriano, suggestum quoq; Patritiatus addidimus. ne maior esset meritis suis, q̃ honoribus nostris. Fauete nunc collegæ, quem sæpe decorastis extranei. Securus ad vos redit, qui iam honores suos in libertatis aula reposuit. Habet etiam vnde nobis reddat acceptior. quando tales Curiæ nostræ alumnos protulit, de quibus quanuis auidus pater, tamen propria vota superauit, non infantia trepidos, non ad respondendũ, vt licebat ignaros. Varijs linguis loquuntur egregie, maturis viris cõmunione miscentur. Sic cũ nobis noti sunt in ipso ætatis primordio adolescentiã transierunt. Præstet diuina maiestas, vt sicut de patre eorũ munificentiæ nomen extulimus, sic & in eis pietatis nostræ titulos augeamus.

BERGANTINO. VIRO. COMITI. PATRIMONII. ATH. REX

Licet munificentiam Regis quottidie deceat cum Sole relucere, & iugiter aliquid facere, quo possit largitas prĩcipis apparere. huic tamen conscientiæ debitum soluitur, quoties parentibus sub æquitate præstatur. Lucrãtur principes dona sua, & hoc vere thesauris reponimus, quod famę commodis applicamus. Absit enim, vt negemus affini, quod solemus custodire subiectis. quãdo qui nobis sanguine cõiungitur, plus meretur. nec fraudari potest proprio desiderio, qui militat sub iudice gratioso. Atq; ideo illustrem magnitudinẽ tuam præcelso atq; amplissimo viro Theodahado massas subter annexas, tot solidos pensitantes, ex patrimonio quondam magnificæ fœminæ matris ipsius, præcipimus reformari, eius feliciter domino plenissime vindicandas, cuius successionis integrum ius in ea qua præcipimus parte largimur. De cuius fide ac synceritate præsumimus, vt sequenti tempore reliqua supra memorati patrimonij omni adiecta quantitate mereatur. Quid enim tali viro negare

negare possimus, qui etiam meliora suis obtinere possit obsequijs, vel si non probaret affinis? vir, quẽ nobilitatis suę nulla inflat elatio, modestia humilis, prudentia semper æqualis, quid a nobis mereatur intendite. quoniam ad gloriam nostram trahimus, qui eum proximum confitemur. Quapropter æquissimæ iussioni opera nauanter impendite. dilectisq; sedis nostræ Cartarijs designatas massas auctoribus eius, sine aliqua dilatione contradite. Vt summa nobis caritate sociatus, gratia præsentis muneris reddat acceptior.

CLERO. ECCLESIAE. ROMANAE. ATHALARICVS. REX

Tanto diuinitati plurima debemus, quanto a cæteris mortalibus maiora suscepimus. Nam quid simile rependat Deo, qui potitur Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compensari possit idoneo. ipsa tamen gratia redditur, dum in seruientibus honoratur. Itaq; flebili aditione causamini, hoc fuisse longæ consuetudinis institutum, vt si quis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientem aliqua crederet actione pulsandum, ad supradictæ ciuitatis antistitem negocium suum dicturus occurreret. ne clerus vester forensibus litibus profanatus, negocijs potius sæcularibus occupetur. addentes, diaconum quoq; vestrum ad contumeliam religionis tanta executionis acerbitate compulsum, vt saius eum propriæ custodiæ crederet mancipandum. Præsbyterum quinetiam Romanæ Ecclesię pro leuibus causis, asseritis, criminaliter impetitũ. Quod nobis, pro ingenita reuerẽtia, quam nostro debemus auctori, displicuisse profitemur, vt qui pridem sacris meruerant inseruisse ministerijs conuentionis irreuerenter nefarijs iniurijs subiacerent. Sed aliorum plectenda subuentio nobis obtulit plenissimæ laudis euentum, vt causa contingeret præstandi, quæ nos cœlestibus commendaret auxilijs. Atq; ideo considerantes Apostolicę sedis honorem, & consulentes desiderijs supplicantium, præsenti auctoritate moderato ordine definimus, vt si quispiam ad Romanum clerum aliquem pertinentẽ, in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus. Vt aut ipse inter vtrosque more suæ sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam. & si forte, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad sæcularia fora iurgaturus occurrat, quando suas petitiones probauerit a supradictę sedis præsule fuisse contemptas. Quod si quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit iudicio sacrilega mente damnatus, qui reuerentiam tantæ sedi exhibere contemnat, & aliquid de nostris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conuentionis effectum decem librarum auri dispendio feriatur. quæ a Palatinis Sacrarum Largitionum protinus exactæ, per manus sæpe memorati antistitis pauperibus erogentur, carensq; impetratis negocij quoq; sui admissione mulctetur. Dignus est enim duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & nostra iussa temerarit. Sed interim vos, quos iudicia nostra venerãtur, ecclesiasticis viuite institutis. Magnum scelus est, crimen admittere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tere,quos nec cõuersationem decet habere sæcularem, professio vestra vita cęlestis est. Nolite ad mortalium vota humilia,& errores descendere. Mundani coërceantur humano iure,vos sanctis moribus obedite.

IOANNI . V.S . REFERENDARIO. ATHALARICVS . REX

MAlde dignum est,in eis aliena seruare. Quid enim de illa munificentia possis ambigere,quando a nobis te intelligis mereri,quod a nostris decessoribus accepisti? Profitemur itaq;,alterius quidē donum,sed nostrum esse iudicium, & modernam principis mentem præuenisse tantum velocissimam largitatem. Hinc est, q; diuæ memorię auum nostrę clemētię domum in Castro Lucullano positam obsequiorum tuorum sedulitate prouocatū, constat voluisse largiri. Cuius dispositionem secutus patritius Tholuit,posteaq; illi nostra est libertate concessa, prefatam domum actu legitimo in tua optime iura transmisit. Quapropter serenitas nostra vel inchoatę voluntatis desiderium,vel Tholuit plenissimę donationis effectum,pręsenti auctoritate corroboramus. vt sæpe dicta domus patritię recordatiõis Agnelli,in Lucullario Castro posita,cū omnibus ad se pertinentibus in tua vel heredum tuorum possessione permaneat. & quicquid de hac facere malueris,habebis liberam potestatem. cuiuslibet vel priuati nominis vel publici posthac inquietudinem summouentes. vbi & si quis esset quolibet casu, qualibet inquisitione fortassis ambiguum, huius auctoritatis nostræ iudicio constat explosum. Fruere, iuuante Deo, rebus propriis, & nostra quoq; auctoritate solidatis. Alij enim tibi iura legitima prestiterunt, nos possessionis quietem, & cunctis sæculis securam conferimus firmitatem. Sed ne quis forsitan tam egregie voluntatis nostræ inuidus temerator existat, iubemus eum,qui ex hac re quolibet tempore vel fisci nomine, vel priuati mouere tentauerit aliquam quæstionem,dare tibi, vel ad quem pertinere volueris domum superius designatã,pœnæ nomine auri libras tot,& frustratum suis ausibus infamatumq; discedere. Hunc enim voluntatis suæ meretur inuenire fructum, qui aliquid contra nostrum videtur quesisse iudicium.

VNIVERSIS . REATINIS . ET . NVRSINIS . ATHALARICVS . REX

GLoriosus domnus auus noster desideria vestra cognoscẽs,Quidilanem Sibię filium, Priorem vobis quidem facere disponebat. sed quia interueniente mortali cõditione nequiuit cogitata complere,necesse nobis est,eius vota perficere. ne tantus vir de aliquo inaniter iudicetur bona potuisse sentire. Atq; ideo prẹsenti auctoritate prẹcipimus, vt eũ Priorem feliciter habere debeatis. & quæ ordinauerit pro disciplina seruanda,vbi nostra maxime vtilitas continetur , in omnibus obedire debeatis. Quia sic domni aui nostri estis moribus instituti, vt & leges libenter audiatis & Iudices. Hoc est enim,quod nostrũ comit imperiũ,quod opinionem nostram inter gentes amplificat,si talia geratis, quę & nobis accepta , & diuinitati possunt esse gratissima. Robustius enim inimici nostri vincuntur

vincuntur moribus bonis. Quia quos superna protegunt,felices aduersarios habere nõ possunt. Pugnatis enim efficaciter foris, dum in sedibus vestris iustitiam fouere cõtenditis. Ista enim duo mutua se amplexatione consociant. qui æquitatem coluerit,fructum victoriæ possidebit. Nam quę necessitas ad iniusta compellat,cum vos & sortes alant proprię,& munera nostra, domino adiuuante, ditificent? Nam & si cui aliquid expetendum est, speret de munificentia principis, eq; de præsumptione virtutis. Quia vobis proficit, q; Romani quieti sunt. qui dum æraria nostra ditant, vestra donatiua multiplicant.

DVMERIT . SAIONI . ET . FLORENTINO . VIRO . DEVOTO COMITIACO . ATHALARICVS . REX

SEueritas publica sicut ab innocentibus vacat,ita necesse est,vt in sceleratis operam suæ districtionis impendat. quia non semper vnum merentur iudicium diuersa merita personarum. Morbi ipsi dissimilibus succis sanantur herbarum,alijs cibi,alijs ferrum optatam reuocat sospitatem. & pro qualitate passionis præceptum merentur artificis. Et ideo deuotio vestra per Fauentium territorium incunctanter excurrat. & si quos Gothorum atq; Romanorum in direptiõibus possessorum se miscuisse reppererit, secundum facti æstimationem & damnis affligantur & pęnis. Quia grauius plectendi sunt,qui nec admonitionibus iustis, nec initijs principis obediendum esse crediderunt. Quoniam maior ambitus est dominis nobis velle seruire, vt commendati bonis initijs reliquam vitam securitatis munere perfruantur.

INIGASTO . V.I. ATHALARICVS . REX

PErmouit serenitatem nostram Constantij atque Venerij dolenda conquestio, qua sibi a Tancane iuris proprij agellum, quod Fabricula nominatur, cum suo peculio causantur ablatū, adijcientes ne rerum suarum repetitionibus imminerent, liberis sibi conditionem vltimæ seruitutis imponi. Atq; ideo magnitudo tua,decretis obsecuta præsentibus,præfatū suo iubeat adesse iudicio. vt omni inter partes veritate discussa, iuri consentaneam,& amicam vestris moribus proferre sententiã. Quia sicut graue est, de suo dominos iure cedere,ita nostris est sæculis inimicū, seruitutis iugo libera colla deprimere. momenti iure si competunt primitus inuasa. ita tamen ut persona legitima disceptationibus non desistat. Cesset violenta præsumptio, vt causa iudicis cognoscatur arbitrio, & aut coniunctos seruos cum rebus sibi competentibus possideat, aut probatos liberos indemnes atq; integros derelinquant. Sufficit enim, q; ei relaxamus pœnam, qui facere præsumpsit iniuriam.

HONORATIS

Universidad de Deusto
Biblioteca

HONORATIS. POSSESSORIBVS. ET. CVRIALIBVS. PAR
MENSIS. CIVITATIS. ATHALARICVS. REX

DIgnum est, vt libenti animo faciatis, quæ iuberi pro vrbis vestræ vtilitate cognoscitis. nam quod proprio sumptu decuit aggredi, compendio se vobis cõstat offerri. Ciuitatem siquidem vestram diutina siccitate laborantem, iuuante Deo, domnus auus noster saluberrima vnda rigauit. Cui nunc studio vestro cloacarum ora pandantur, ne sordium obiectione tardata reciprocans vnda vestris ædibus illidatur. & quas debuit abluere, easdem vobis cogatur inferre. Cui operi, quanquam vos vrgere debeat ciuicus amor, virum spectabilem Genesium præcipimus imminere. Vt nos ad meliora prouocetis, si quę iussimus gratanter efficitis.

GENESIO. VIRO. SVBLIMI. ATHALARICVS. REX

AMore ciuitatis vestræ, antiqui operis formam domnus quidem auus noster largitate regia cõstruxit. Sed nihil prodest aquarum copias vrbibus immisisse, nisi nunc prouideatur cloacarũ opportuna digestio. more vitæ humanæ, cuius ista salubritas continetur, si quod ore quis suscipit, alia parte corporis relaxatus effuderit. Et ideo sublimitas tua Parmenses municipes faciet huic operi nouiter insistere. quatenus antiquos cuniculos, siue subterraneos, siue qui iungunt marginibus platearum, diligenter emendent. Vt cũ solenniter optatus vobis liquor influxerit, nulla abiecti letaminis obiectione tardetur. Quia gratiã vnda non habet, nisi quę iugiter influit, & visa semper abscedit. Illa enim, quæ pulchre riuis exercitata ridet, cp deformis est in lacunis? palus enim nec visu grata, nec iumentis accommoda. Elementum pulcherrimum quidem, sed cum naturali puritate seruatur. Sine hac agri squalent, vrbes anhela siccitate fatigãtur. Vt merito antiqua prudentia, quos a ciuica conuersatione segregandos esse iudicauit, aquarum interdictione punierit. Quapropter tam vtilimę rei omnium debet studere consensus. Quia ciuis animum non habet, qui vrbis suæ gratia non tenetur.

SEVERO. VIRO. SVBLIMI. ATHALARICVS. REX

CVm te Præfectorum consilijs inhærentem omnia didicisse credamus, quæ ad Reipub. statum pertinent componendum. maxime cognouisti literis eruditus pulchram esse faciem ciuitatum, quæ populorum probantur habere conuentum. Sic enim & in illis splendet libertatis ornatus, & nostris ordinationibus necessarius seruit effectus. Feris datum est, agros syluasq; quærere. hominibus autem focos patrios supra cuncta diligere. Aues ipse gregatim volant, quæ innoxia voluntate mitescũt. Canori turdi amant sui generis densitatẽ. Strepentes sturni compares sequuntur indesinenter exercitus. Murmurantes palumbi propria

proprias diligunt cohortes. & quicquid ad simplicem pertinet vitam, adunationis gratiam non refutat. Contra, animosi accipitres, aquilæ venatrices et supra omnes alites acutius intuentes, volatus solitarios concupiscunt. quia rapaces insidiæ innoxia conuenticula non requirunt. Ambiunt enim aliquid soli agere, qui prędam cum altero non desiderant inuenire. Sic mortalium voluntas plerunq; detestabilis est, quæ conspectum hominum probatur effugere. de illo aliquid veraciter credi, cuius vitæ testis non potest inueniri. Redeant Possessores & Curiales Brutij in ciuitatibus suis. Coloni sunt, qui agros iugiter colunt. Patiantur se a rusticitate diuisos, quibus & honores dedimus, & actiones publicas probabili estimatione commisimus. in ea præsertim regione, vbi affatim veniunt inelaboratæ delitiæ, Ceres vbi multa fœcunditate luxuriat, Pallas etiam non minima largitate congaudet, plana rident pascuis fœcundis, erecta vindemijs. abundat multifarijs animalium gregibus, sed equinis maxime gloriatur armentis. merito, quando ardenti tempore tale est neruum syluarum, vt nec muscarum aculeis animalia fatigentur, & herbarum semper virentium satietatibus explean-tur. Videas per cacumina montium riuos ire purissimos, & quasi ex edito profluant, sic per Alpium summa decurrunt. Additur, cp vtroque latere copiosa marina possidet frequentatione cõmercia. vt & propris fluctibus affluenter exuberet, & peregrino penu in ciuitate litorum compleantur. Viuunt illic rustici epulis vrbanorum, mediocres autem abundantia potentium. vt nec minima ibi fortuna copijs probetur excepta. Hanc ergo prouinciam ciuitatibus nolunt incolere, quam vel in agris suis se fatentur omnino diligere? Quid prodest tantos viros latere literis defecatos? Pueri liberalium scholarium conuentum quærunt. & mox, vt foro potuerint esse digni, statim incipiunt agresti habitatione nesciri. proficiunt, vt dediscant. eruditur, vt negligant. & cum agros diligunt, se amare nõ norunt. Quęrat eruditus, vbi possit existere gloriosus. prudens frequentiam non respuat hominum, in qua se nouit esse laudandum. Alioqui virtutibus fama tollitur, si earum merita in hominibus nesciantur. Nam quale desiderium est, ciuium frequentiam deserere, cum aliquas quoque auium conuersationi humanæ se videant velle miscere? Mortalium enim penatibus fiducialiter nidos philomena suspendit, & inter commanentium turbas pullos nutrit intrepida. Fœdum ergo nimis est, filios in desolationibus educare, cum frequentationi humanæ videat alites sua pignora commisisse. Redeant igitur ciuitates in pristinum decus. nullus amœnitatem ruris pręponat mœnibus antiquorum. Quomodo potest in pace refugi, pro qua oportet bellum (ne vastetur) assumi? Cum enim minus grata nobilium videatur occursio, an non affectuosum sit cum paribus miscere sermonem, forum petere, honestas artes mutersere, causas proprias legibus expedire, interdum palmediacis calculis occupari, ad balnea ire cum socijs, prandia mutuis apparatibus exhibere? Caret profecto omnibus his, qui vitam suam vult semper habere cum famulis. Sed ne vlterius in eandem consuetudinem mens aliter

imbuta relabatur, datis fideiussoribus tam Possessores, q̃ Curiales, sub æstimatione virium, pœna interposita, promittant anni parte maiore se in ciuitatibus manere, quas habitare delegerint. Sic fiat, vt eis nec ornatus desit ciuium, nec voluptas denegetur agrorum.

SEVERO. V.S. ATHALARICVS. REX

CVm Infadius vir sublimis pro causis suis ad Comitatum sacratissimum festinaret, itineris longinquitate confectus, animalia fessa reparare contendens, ad fontem Aruthusæ, in Scyllatino territorio constitutæ, elegit ponere mansionem. eo q̃ ipsa loca & pasturarum vbertate fœcunda sint, & inundatione aquarum pulchrescant. Est enim, vt dicitur, sub pede collium supra maris arenam fertilis campus. vbi fons vastus egrediens, cannis in coronæ speciem riparum suarum ora contexit, amœnus admodũ & arundineis vmbris, & aquarũ ipsarum virtute mirabilis. Nam cũ ibi tacitus homo, & studiose silentiosus aduenerit, aquas fontis irrigui reperit sic quietas, vt in morem stagni non tam currere, q̃ stare videantur. At vbi concrepans tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi statim aquæ ibidem concitatæ prosiliunt. os illius gurgitis ebullire videas grauiter excitatum. vt putes, aquam rigentem succensæ ollæ suscepisse feruorem. silenti homini tacita, loquenti strepitu & fragore respondens. vt stupescas, sic subito perturbatam, quam nullus tactus exagitat. Noua vis, inaudita proprietas, aquas voce hominum commoueri. & quasi appellatæ respondeant, ita hominum sermonibus prouocatæ, nescio quid immurmurant. Credas ibi aliquod animal prostratum somno quiescere, quod excitatum magno strepitu tibi respondeat. Legitur quidem, nonnullos fontium varijs scaturire miraculis: vt aliqui potati animalibus reddant varium colorem, alter greges albos efficiat, quidam in saxeam duritiem suscepta ligna conuertant. Sed has causas nulla ratio comprehendit. quia supra intellectum humanum esse cognoscitur, quod tantum rebus naturalibus applicatur. Sed vt ad querelam supplicantis cito redeamus, Hic cum mansionem supradictus Infadius habuisset, insidijs rusticorum abactos sibi asserit caballos. quod temporum nostrorum habere non decet disciplinam, vt delectatio illius loci tali damno redderetur horribilis. Quod viuacitatem tuam diligenti censemus examinatione discutere, quæ & de palatio nostro auctoritatem, & de legibus visa est iustitiam collegisse. vt, more ipsius fontis, scelus quod actum est videaris vlcisci, perquirantur fontes summo silentio, teneantur in suis laribus quieti. vt dum mox insecutor increpuerit, eorum corda turbentur. in voces prosiliat, & se terribili murmuratione confundant. Sic aquas suas omina sibi iudicent dedisse pœnarum. Sit ergo in eis competens vindicta, vt loca sint peruia. inuitet posita disciplina studium commeantiũ. Ne latronum excessibus vitetur tale miraculum, quod semper lætificare cognoscitur inquisitum.

SEVERO. V.S. ATHALARICVS. REX

SIcut incognita velle nosse, prudẽtis est. ita comperta dissimulare, dementia est. eo præsertim tempore, cum noxia res ad correctionem possit celerrimam peruenire. Frequẽti siquidem probatione didicimus, Lucaniæ conuentum, qui præstita superstitione Leucorea nomen accepit, q̃ ibi sit aqua nimio candore perspicua, præsumptionibus illicitis rusticorum facultates negociantium hostili direptione læpe laceratas. vt qui ad natale sancti Cypriani religiosissime venerant peragendum, mercimonijsq̃ suis faciem ciuilitatis ornare, egentes turpiter inanesq̃ discederent. Hoc nos simplici ac facili remedio credidimus corrigendum, vt spectabilitas vestra prędicto tempore vna cum Possessoribus atq̃ Conductoribus diuersarum massarum, ad quietem conuenientium, anticipata debeat cautela procurare, vt atroces facti, reos inueniat, quos pœna consumat. Quod si aliquis rusticorum, vel cuiuslibet loci homo, causas nefandę litis attulerit, inter ipsa initia compræhensus fustuariæ subdatur potius vltioni. & pompatus mala nota corrigat, qui prius occultum facinus excitare tentabat. Est enim conuentus iste & nimia celebritate festiuus, & circuiectis prouincijs valde proficuus. Quicquid enim præcipuũ aut industriosa mittit Campania, aut opulẽti Brutij, aut Calabri peculiosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere prouincia, in ornatum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur. vt merito tam ingentem copiam iudices de multis regionibus congregatam. Videas enim illic collucere pulcherrimis stationibus latissimos campos. & de amœnis frondibus intextas subito momentaneas domos. populorum cantantium, lętantiumq̃ discursum. Vbi licet nõ conspicias operam mœnium, videas tamen opinatissimæ ciuitatis ornatum. Præsto sunt pueri ac puellæ, diuerso sexu atq̃ ætate conspicui, quos non facit captiuitas esse sub pretio, sed libertas. hos merito parentes vendunt, quoniam de ipsa famulatione proficiũt. Dubium quippe non est, seruos posse meliorari, qui de labore agrorũ ad vrbana seruitia trãsferuntur. Quid vestes referam, innumera varietate discretas? quid, diuersi generis animalia nitore pinguissima? vbi tali cuncta taxatione proponũtur, vt quilibet emptor fastidiosissimus inuitetur. Sic de illo cõmercio nemo ingratus redit, si cũcta probabilis disciplina componit. Est enim & locus ipse camporũ amœnitate distensus, suburbanũ quidam Consilinatis antiquissimæ ciuitatis, qui a cõditore sanctorum fontium Marcilianum nomen accepit. Hic erumpit aquarũ perspicua & dulcis vbertas. vbi in modum naturalis antri absidis fabricata cõcauitas sic perspicuos liquores emanat, vt vacuum putes lacum, quem nõ dubitas esse plenissimum. Hic perlucidus vsq̃ ad fundum patet. vt aspectibus tuis aerem potius apparere iudices, nõ liquorem. Aemulatur serenum diem aqua subtilissima. nam quicquid in imo geritur, inoffensa aëris claritate monstratur. Colludunt illic gregatim lectissimi pisces. qui ad manus poscentium sic intrepidi veniunt, tanquam se nouerint non esse capiendos. nam qui tale aliquid præsumpsit efficere, mox pœnam diuinitatis cognoscitur excepisse,

longa sunt,illius fontis memoranda describere. Veniamus ad illud singulare munus, sanctumq; miraculum. Nam cum die sacratæ noctis precem baptismatis cęperit sacerdos effundere,& de ore sancto sermonum fontes emanare,mox in altum vnda prosiliens, aquas suas non per meatus solitos dirigit,sed in altitudinem cumulosq; transmittit. Erigitur brutum elementum ponte sua, & quadam deuotione solenni præparat se miraculis, vt sanctificatio maiestatis possit ostendi. Nam cũ fons ipse quinq; gradus tegat,eosq; tantũ sub tranquillitate possideat,alijs duobus cernitur crescere, quos nunquam præter illud tempus cognoscitur occupare. Magnum stupendumq; miraculum,fluenta labentia sic ad humanos sermones vel stare vel crescere, vt eis credas audiendi studium minime defuisse. Fiat venerabilis omniũ sermone fons iste cęlestis. Habet & Lucania Iordanem suum. Ille exemplũ baptismatis prębtitit,hic sacrum ministerium annua deuotione custodit. Quapropter et reuerentia loci & vtilitas rei dare debet populis sanctissimam pacem. Quia cunctorum iudicio sceleratissimus habendus est,qui talium dierum gaudia temerare contendit. Relegantur populis & proponantur ista, quæ diximus. vt cum inulta esse minime creduntur, excedendi licentia non quæratur.

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM · LIBER · NONVS

HILDERICHO . REGI . VANDALORVM ATHALARICVS . REX

DVrissima nimis sorte constringimur,vt quos ante dulces parentes diximus, nunc eis causas amarissimas imputemus. quas nemo potest relinquere,qui pietatis noscitur monimẽta cogitare. Quis em̃ nesciat,diuę recordationis Amalafridam, generis nostri decus egregium, violẽtum apud vos repperisse lucis occasum? & quam habuistis pridem dominam,passi non estis viuere nunc priuatam. Hęc si contra fas parentelę grauis esse videbatur,remitti ad nos debuit honorabilis,quam magnis supplicationibus expetistis. Parricidij genus est, vt quam vobis fecerat affinem cõiunctio Regis,

gis, nefandis ausibus in eius vos interitũ miscueretis. Quid tantum mali a suo coniuge relicta promeruit? Si successio debebatur alteri, nunquid fœmina in eo ambitu potuit inueniri? Mater quinimmo haberi debuit,quæ vobis regna transfudit. Nam & hoc nobilitati vestræ fuisset adiectum,si inter has diuorum stirpem retinuissetis Amali sanguinis purpuream dignitatem, Hoc Gothi nostri ad suum potius opprobrium intelligunt fuisse tentatum. Nam qui dominæ alienæ gentis intulit necem, omnino eius parentum visus est despexisse virtutem. quando nemo,quod resecandum credit, putat esse tentandum. Et morali ideo ratione cõmoniti, per illum & illum Legatos nostros verbis prius a vobis expetimus æquitatem, exspectantes qualis excusatio tantis casibus afferatur. Nam & si quodlibet negociũ in tali persona fuisset enatum, nobis debuit intimari (vt & nostro iudicio periret, quæ se pessimis actibus miscuisset) restat, vt naturalis eius fingatur occasus. Impossibilia non dicimus. noua non quærimus. illum atque illum tradite, per quos facta res debeat elucere. Sit in eis totius causæ absoluta probatio, sine bello, sine cede, aut nos efficiat placatos, aut nos reddat obnoxios. Quod si creditis esse temnendum, nec vos ad rationabilia responsa componitis, conditione initæ pacis absoluimur, qui læsi fœderis vinculo non tenemur. Vindicet nunc superna maiestas scelus qualibet arte commissum, quæ ad se clamare profitetur fraterni sanguinis cædem impiam.

EDICTVM . ATHALARICI . REGIS

QVi Reipub. statum,& generale cupit stare fastigium, ad vniuersa debet esse solicitus. quia non est salus in corpore, nisi quam & membra potuerint obtinere. Iniuria vnius loci compago tota concutitur. & tanta conuenientiæ vis est, vt vnum vulnus vbique credas accipi, quando illa cœperit condolere. Respub. siquidem non est vnius ciuitatis cura, sed totius regni prouisa custodia. Quapropter si quid ex ipsa minuitur, in origine dispendia sentiuntur. Minus enim habere necesse est, cui aliquid perit. Et ideo diuersarum ciuitatum peruigil nos cura solicitat. ne permissa longius mala, nostra possint grauare patrimonia. Arbor, quam florere vides, quam summa conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur. reddens in superficiem, quod continet in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis grauamen nullius sentiat læsionis. Sic regnum iure dicitur integerrimum, si nusquam fuerit imminutum. Hoc fieri potest, cum vndique summouetur effrenata licentia. nec datur ausus menti malignæ, sub abominabili libertate peccare. Curiales, quibus a prouida solicitudine nomen est, grauissima dicuntur infestatione quassari. vt quicquid eis honoris causa delegatur, ad iniuriam potius videatur esse perductum. O nefarium scelus, importabile malum. quando debuit Reipub. seruiendo proficere, tunc libertatem suam cum fortunis videtur amittere.

Quocirca edictali programmate definimus, vt si quis vexatus fuerit aut iniuria, aut in dispendio Curialis, vel aliquid ei (præterquã iussum fuerit a nobis, vel ab aulicis, quorũ interest, potestatibus) imponere fortasse præsumpserit, aut decem librarum auri dispendio feriatur, ipsi qui tale aliquid pertulerit nihilominus profuturum. aut si facultas vindictæ non sufficit, per fustuaria supplicia laceretur. & reddat debitum pœnis, quod non potuit compensare pecunijs. ita tamen, vt quæ pro publica vtilitate fuerint delegata, ingenua solicitudine compleantur. quando plus incipiunt debere, quos alienas iniquitates non permittimus sustinere. Prædia Curialium, vnde maxime mediocribus parantur insidiæ, nullus illicita emptione peruadat. Quia contractus dici nõ potest, nisi qui de legibus venit. Circa saiõnum & militantum molestias Iudicum protegantur auxilio. Ab ipsis quoque moderatoribus eos nostra vindicauit auctoritas, quanto grauius plectendus est, si ille cui delegatur auxilium, probetur inferre detrimentum? Erigite colla depressi, subleuate animos malorum sarcinis ingrauati. date studium recuperare, quæ vos male cognoscitis amisisse. Vnicuique ciui vrbs sua Respub. est. Administrate ciuitatum sub consentanea voluntate iustitiam. Ordines vestri æquabiliter viuant. Nolite grauare mediocres, ne vos merito opprimere possint potiores. Pœna ista peccati est, vt vnusquisque in se recipere possit, quod in alterum proteruus exercuit. Viuite iuste, viuite continenter. Quia vix audet quisquam in illos excedere, in quibus culpas non potest inuenire. Grues moralem nouerunt exercere concordiam, inter quas nullus primatus quæritur, quia iniquitatis ambitus non habetur. Vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt. ipse pastus alternus est. Sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione seruantur. His etiam volatus vicaria æqualitate disponitur. vltima fit prima. & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat. Sic quadam communione sociatæ sibi sine regibus obsecuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur. Voluntarie seruiendo liberæ sunt, & inuicem se diligendo muniuntur. Quarum morem scriptores rerum naturalium contuentes, politiam quandam inter ipsas esse commemorant, quas ciuico affectu viuere cognouerunt. Has si vos imitemini, omnes a vobis prauitatum calumnias excluditis. Nam vos qui recti vota recipitis, habetis per leges potestates in ciuibus vestris. Non enim incassum vobis Curiam concessit Antiquitas, non inaniter appellauit Minorem Senatum, neruos quoq; vocitans ac viscera ciuitatum. Quid in ista appellatione non habeatis vel potentiæ, vel honoris? Nam qui Senatui comparatur, a nullo genio claritatis excluditur.

BERGANTINO. VIRO. COMITI. PATRITIO
ATHALARICVS. REX

Si labor

SI labor omnis assiduus adeo diuersos exigit fructus, vt aurum argentumq; solita communione mercetur, cur non ipsa diligenter exquirimus, propter quæ poscere alia videbamur? Italia dives inferat nobis & aureos fructus. Omis prouectus acquiritur, vbi metallum fluuidum reperitur. Nam quid necesse est, terram multiplici fœcunditate lassari, si ipsa magis pretia in ea potuerint inueniri? Frumenta vobis vsualiter Natura, industria suffragante, concedit. passim se vina profundunt. metallum raro proditur, vt studiosius expetatur. Quapropter ad massam ruris nostri Rusticianam, in Brutiorũ prouincia constitutam, magnitudinem tuam iubemus cartarium destinare. & si (vt ab artifice harum rerum Theodoro dicitur) moderatis rebus terra fœcunda officinis solenniter institutis montium viscera perquirantur, intretur beneficio artis in penetrale telluris, & velut in thesauris suis Natura locuples inquiratur. Cauernis enim ingeniosa præsumptione reuolutis, talpinum animal imitantes, itinera fodiunt, quæ nullis ante patuerunt. Sic ambitio nil relinquit absconditum, nec vbi interdum sustinere possit extremum. Intrant homines caligines profundas. viuunt sine supernis. exulant a Sole. & dum sub terris compendia quærunt, nõ nunquam lucis gaudia derelinquunt. Est aliquando illis ruina via sua. & reditus procurare nequeunt, qui pedibus suis semitas operosis manibus effecerunt. Sed quibus cautior ars vita felicior est, intrant egentes, exeunt opulenti, sine furto diuitias rapiunt, optatis thesauris sine inuidia perfruuntur. & soli sunt hominum, qui absque vlla nundinatione pretia videantur acquirere. Mox enim, vt supernæ luci fuerint restituti, minuta quæque grauiora discernentibus aquis a genitrice terra separant. ac fictilibus recondita, vasta fornace decoquunt, donec soluantur vtiliter in liquorem. Riuos quoque de flamma venientes tanto igne depurgant, quousque pulchritudinem sui prodant. quam terrena viscera, ne cuperentur, absconderant. Vincitur Natura, dum eam meliorat industria. Pulchrior est, dum arserit. potior, dum decoxerit. Quia tãtum crescit ad pretia, quanta fuerit synceritate mundata. Origo quidem nobilis, sed de flamma suscipit vim coloris. Vt magis credas inde nasci, cuius similitudine videtur ornari. Sed cum auro tribuat splendidum ruborem, argento confert albissimam lucem. Vt mirum sit, vnam substantiam tradere, quod rebus dissimilibus possit aptari. Proinde quicquid ad exercendam huius artis peritiam pertinere cognoscitis, ordinatio vestra perficiat. Vt & terra Brutiorum ex se tributum, quod dare possit inueniat, quæ fructibus copiosa luxuriat. Decet enim, vt inter tanta bona, nec illa desint, quæ putantur esse præcipua. Cur enim iaceat sine vsu, quod honestum potest esse compendium? Aurum siquidem per bella quærere, nefas est. per maria, periculum. per falsitates, opprobrium. in sua vero natura, iustitia. Honesta vero sunt lucra, per quæ nemo lædit. Et bene acquiritur, quod a nullis adhuc dominis abrogatur. Gryphes aurum iugiter leguntur effodere, atque huius metalli inspectione gaudere. quibus quo-

niam non est ambitus lucri, cupiditatis crimine non dicuntur accendi. scilicet, quia omnis actus in qualitate propositi est. & non est vituperandum, quod nulla fuerit voluntate lasciuum. Sint ergo sedula operatione continui quæstus, inuidiam non paueſcant. quod ars dicitur, a crimine liberatur.

ABVNDANTIO. PRAEPOSITO. ATHALARICVS. REX

TElix querela est, quando leges pietate superantur. et beata conditio subiectorũ, si cognoscant illum alijs misertum, quem & sibi optant esse propitium. Necꝙ enim ob aliud Curiales leges sacratissimæ ligauerunt, nisi vt cum illos soli principes absoluerent, indulgentiæ præconia reperirent. hoc est, vbi dominus aduersum sua iudicia amabili concertatione dissentit. quando & ipsius quædam iustitia est, vt qui pius dicitur, districtionis termino minime teneatur. Nam & iste quidam rationabilis ordo est, militia tandem soluere, qui impares laboribus probantur existere. Curialis enim, si nulla valetudine corporis continetur, ad solas deceptiones apponitur. & dum adesse quid proderit, si eum contingat defectum viribus inueniri. Similis quippe est absenti, a quo non potuerint imperata compleri. Deinde dum Curia multiplici numerositate lætetur, non videtur perculsa damnis, paucos perdidisse de plurimis. Quapropter illustris magnificentia tua Agenantiam, vxorem Tampanini viri disertissimi, in Lucania prouincia constitutam, filiosꝙ eorum de albo Curiæ suæ faciat diligenter abradi. vt ventura posteritas nesciat fuisse, qui vetatur abigere. quia calumnia non præsumitur, vbi aliqua probatio non habetur. Proinde in Possessorum numero potius collocentur, passuri nihilominus molestias, quas ipsi alijs ingerebant. Ad tributa enim solita turbabuntur. faciem compulsoris horrebunt (a potestatibus iussa prius venisse nesciebant) & votiua ignorantia fatigati, formidare delegata incipient, per quæ antea timebantur. Nam & ex ea parte bonis moribus vixisse probandi sunt, quando perpetiuntur inter illos ociosi viuere, quorum se non cognoscunt odia meruisse. Alioqui non paterentur sub illis esse, quos se cognoscebant malis actibus incitasse. Fruantur ergo beneficio principali. viuant remissa pace tranquilli, qui fuerant in actionum suarum qualitate compositi.

EPISCOPIS. ET. HONORATIS. ATHALARICVS. REX

POssessorum territorij nostri querela comperimus, supra temporis necessitatem quorundam ciuium suorum execrabilem sustinere sequitiam. dum primo tempore panitij speciẽ conceptã in propriam redigere substantiã, spectantes caritatem mediocribus grauem,

grauem, vt parcius reponentibus detestabilem inferant nuditatem. quando homines in famis periculo constituti rogantes offerunt, quos se spoliare cognoscunt. In necessitate siquidem penuriæ, pretij nulla contentio est. dum patitur quis induci, ne possit aliqua tarditate percelli. Hæc igitur vota damnantes, præsentes direximus portitores. Vt siue in gradu, siue in alijs locis frumentorum condita potuerint inuenire, tantum sibi vnusquisque dominus vel familiæ suæ retineat, quantum se expendere posse cognoscit. reliquum periclitãtibus vendat, præsentibus scilicet gerulis, qui ad eam rem destinati esse noscuntur, moderata tamen pretij quantitate, qua eum constiterit a suis prouincialibus comparasse. Vt nec nimium grauetur qui emit, & aliquo compendio foueatur ille, qui distrahit. Quapropter libentibus animis implete, quæ iussa sunt. Quia nobis debetis in hac parte consulere inuicem. Ne dum caritatem nimiam quæritis, sceleſtum vobis aliquid potius (quod absit) optetis. Ne quis ergo venditionem sibi impositam conqueratur, sciat libertatẽ in crimine non requiri, sed illud boni ingenij magis esse, si non festinet excedere. Vendat itaqꝙ sub iusta ratione, qui distrahit. Si consentit, operatur laudem suam. si discrepat, nostrum facit esse præconium. Quando bonum est iubentis, si iustitia imponatur inuitis.

PRIMISCRINIO. ATHALARICVS. REX

CVm diuturnis laboribus excubares, ita te imbecillitate corporis asseris grauiter sauciatũ, vt nec ad famam militiæ percipiendam possis occurrere, ad quam constat voto te præcipiti festinasse. metuens, ne per absentiam tui ab ipsis pene faucibus dulcissimus tibi fructus videatur auferri. postulans etiam vt algentis corporis necessitate constrictus, Baiani lauacri siccitate laxeris. Dignum plane, quod inter præmia summa prestemus. vt sicut conferimus victis spem, ita tribuamus supplicantibus & salutem. Quapropter & a vinculo te emolumentarij terroris absoluimus, & prædicti lauacri munere subleuamus. Vt primum mentis gaudio recreatus, facilius membrorum recipias sospitatem. Naturalis siquidem cura est, ægris dare lætitiam. Nam fac inualidum gaudere, sanatus est. Perge igitur ad amœnos recessus. Perge ad Solem, vt ita dixerim, clariorem. Vbi, salubritate aëris temperata, terris blandior est natura. Illic miraculis alta cogitatiõe perpensis, cum arcanis Mundi mens humana colloquitur. nec admirari desinit, quæ ibi agi posse cognoscit. primum, Nerei fluenta marinis delitijs esse completa, tot portus naturæ prudentia terrenis finibus intermissos, tot insulas nobiles amplexu pelagi dotatas. deinde immissum Auerno stagneũ mare. vbi ad voluptatem hominũ vita tegitur ostreorum, industriaqꝙ mortalium fieri, vt res alibi fortuita ibi semper appareat copiosa. Quãtis ibi molibus marini termini decẽter inuasi sunt? quantis spatijs in viscera equoris terra ꝓmota est? Dextra leuaqꝙ greges piscium ludũt. Claudantur alibi industrioſis parietibus copiosæ delitiæ, captiui teneantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

teneantur aquatiles greges. Hic vbiq; ſub libertate viuaria ſunt. Adde, q; tam amœna eſt ſuſcepta piſcatio, vt ante epuloſum conuiuiũ intuentiũ paſcat aſpectũ. Magnũ eſt enim gaudiũ deſiderata cepiſſe, ſed in his rebus gratior eſt plerũq; amœnitas oculi, q̃ vtilitas captionis. Sed ne lõgius euagemur, inter neptunias gazas habitare creditur, cui ocia Baiana præſtant. His itaq; rebus delitioſa exercitatione ſaginati, ad pulcherrima lauacra contenditis, quæ ſunt & miraculis plena, & ſalutis qualitate pretioſa. Nam & ſi hominum cura fabricata noſcuntur, naturalibus certe miniſterijs exhibẽtur. Fornaces ibi non robora conuecta ſuccendunt, ceſſante flamma perpetuus calor operatur. illi globi fumiferi neſciuntur. aura eſt puriſſima, quę miniſtrat vapores, ſudores prouocat dulciter anhelos, & tanto a cõmunibus balneis ſalubrior inuenitur, quantum ab humana induſtria celſior eſt Natura. Videas illic, vndas perpetuis fumare gurgitibus. quæ ita videntur lauantum explere deſideria, vt humano credas ſtudio tẽperatas. Cedat Corallici pelagi laudata ſemper opinio, aſſurgat Indici maris de albarum candore fama locupletior. Quid mihi cum pretijs, ſi animus non fruatur optatis? Baianis litoribus nil poteſt eſſe præſtantius, vbi contingit & dulciſſimis delitijs veſci, & imprætiabili munere ſanitatis expleri. Fruere igitur bonis nihilominus expetitis. Noſtris beneficijs ad tui emolumẽta peruenies. Baianis remedijs conſequere rem ſalutis.

REPERATO. PRAEFECTO. VRBIS. ATHALARICVS. REX

POſt parentum claras adminiſtrationes bene conferuntur poſteris eminentiſſimæ dignitates. dum nullius acquieſcit, ingenium iacere inter æſtimationẽ ſuorũ. quando quidam honeſtus ambitus eſt, quos ſequimur tempore, velle pręconijs anteire. Additur etiam, q; priſcorũ dogmatibus eruditi opinionis gratia delectantur augeri. Nã quanto ſe vnuſquiſq; melioribus cognoſcit artibus ſtuduiſſe, tanto amplius grandiora præſumit appetere. Dudũ itaq; illuſtris recordationis genitoris tui Reſpub. ſenſit Romana diligentiã. Comitiuę ſiquidem Largitionum præſidens, functus etiam vicibus Præfectorũ, Pretorianam egit integrrime dignitatem, Curiã reparans, pauperibus ablata reſtituens, et quanuis liberalibus ſtudijs fuerit impolitus, placere nõ omiſit induſtrius. Quoniam naturaliter per ſe commendari poteſt bonum ingenium, etiam cum rebus accidentibus non videtur ornatum. Sed hoc quantum eſt ad tuam notitiam literarum. Doctrina ſiquidem quos ab imperitis diſcernit, ſapientibus amica ſocietate coniungit. cui per facile eſt ornare generoſum, quæ etiam ex obſcuro nobilem facit. Creſcit quoque præclaris meritis tuis, q; in affinitatis gratiam te talis elegit, quem ſemper contigit de iudicij ſui integritate prædicari. moribus communis, conſcientia ſingularis. qui ſe ſemper ſuis moribus & amicorum conuerſatione & ſua fecit probitate laudari. Qualem ergo ſuo ſanguini æſtimandus eſt ſociaſſe, qui nunquam improbum

probum vel communioni ſuæ decreuit adiungere. Et ideo licet primæuus venias ad honorem, poſt tanti viri iudicium ineptum eſt te dicere non probatum. Nam ſi bene illis ſuggerentibus in extraneis cauſis placidas aures præbemus, cur magis in genere ſuo eorum iudicia non ſequamur, vbi ſemper ſtudioſe ſibi proſpiciunt, etiam qui in alijs actibus frequenter excedunt? Atq; ideo, quod feliciter dictum ſit, per Indictionem illam Vrbanæ tibi triumphum infulas dignitatis. vt ſicut in illo ordine primus, ita habearis & meritorum laude præcipuus. Pene ſiquidem terrarum oculis habetur, quod in illa ciuitate peragitur. Quem iam ſibi iudex placatum faciat, ſi illum Senatum tantæ benignitatis offendat? Quid ſit maturitatis, quid prudentiæ, in ordinis ipſius æſtimatione cognoſcis. cuius primæua germina mox vt adoleuerint, Patres vocantur. Adoleſcentia illic inchoat a maturitate conſilij. tractant iuuenes cum modeſtia ſenium. vbi morum pondus in flore permittitur, quod vix alibi cana ætate generatur. Talem te ergo habita moderatione tractabis, vt cum tot Proceres ad Curiam vocas, dignam ante illos ſententiam tuæ voluntatis aperias. Nimis quippe arduum eſt, tale aliquid inter illos dicere, quod nequeat tantis prudentibus diſplicere. Ideoque non vnius dignitatis vir æſtimandus eſt, qui ab illa turba doctorum bonum potuit referre iudicium. Nam ſi gratum eſt vel ſub raritate prædicari, quid illi gaudij prouenire poſſit, quem tot nobilium vota laudauerint? Iuſtitiam dilige. Oppreſſis te dignanter impende. Redde laudes Poſteris tuis, quas tu a Maioribus accepiſti.

OSVM. V.I. COMITI. ATHALARICVS. REX

PRopoſiti noſtri eſt, honeſtos labores palma remunerationis ornare. vt viciſſitudine, qua prouecti gaudent, deſides mordeãtur, ſibiq; imputare poſſint, q; clementiſſimis temporibus iudicij noſtri pręmia nõ merentur. Atq; ideo illuſtrem magnitudinem tuam, deo iuuante, ad Dalmatiarũ atq; Suauię prouincias iterum credidimus deſtinandam. vt quicquid pro vtilitatibus noſtris eſſe cognoſces, æquabili ordinatione diſponas, populumq; nobis deuotum per tuam iuſtitiam facias eſſe gratiſſimum. Quia dominorum laudibus applicatur, cum probabiliter tractat electus. Non exempla aliena perquiras. memor eſto quæ feceris, & non indiges admoneri. Quid eſt enim quod de tua quiſquam debeat actione dubitare, quando ipſis prouincijs adhuc propria bona redolere cognoſcis? Quodammodo iam debitum illi velle pręſtare, apud quem ſcis te fuiſſe laudabilem. Obedientibus enim iuſte indulgetur animus. & quos ſcimus memores bonorũ, indubitanter eis denuo præbemus affectum. Aetas quidem tua prouecta eſt, ſed actus quoq; maturior. Quid enim nunc ſurripere valeat, in quo nec iuuentus reprehenſibilis fuit? Sed hęc in domni aui noſtri regno feciſti. nunc talia demonſtra, vt temporibus noſtris reſeruaſſe videaris, quicquid probitatis addideris.

VNIVERSIS

VNIVERSIS. GOTHIS. ET. ROMANIS. ATHALARICVS. REX

PEr prouincias, nobis Deo præstante concessas, tales viros cupimus destinare, qui sint armis prædíti,& iustitia glorioſi. vt absit a vobis & extranearum gentium metus, & calumnioſis non pateatis insidijs. Quia nõ minus est,malum bellicum,cꝫ sęua discussionis, euadere. Ipsa est enim vera securitas, quæ de nulla iudicis impietate formidat. Atcꝫ ideo, quod Deo auspice dictum sit, illustrem Comitem Osum, & palatio nostro clarum, & prouincijs longa conuersatione notiſſimum, Dalmatijs decreuimus prędidere. Cui,pro vtilitate nostra iubenti,parere procurate. quoniam tantam eius estis iustitiam frequenter experti, vt & sine regia iussione ei deberetis priorum memores obedire. Habet eẽ proprium ius ille,qui iustus est. nam & si terrore minime poteſtatis erigitur,æquitate tamen suadente semper auditur. Simul etiam & virum illustrem Severinum ad vos æstimauimus dirigendum. vt compoſiti consona voluntate,possint vobis laudanda præcipere. Nam si disparibus calamis conuenit vnum melos efficere,multo magis viris prudentiſſimis aptum est,iusta cordis voce suadere. Verũ,vt primordia nostra a prędstitis inchoarent, clementiſſimumcꝫ dominum in ipso regni limine sentiretis, per quartam Indictionem,quod a nobis augmenti nomine quærebatur,illustrem virum Comitem,patrimonij nostri nunc iussimus remouere. Hoc etiam insuper vobis concedentes,vt cum (deo propitio) supradictũ virum ad nostra obsequia veniret,fecimus tales homines destinare,per quos possimus euidẽter agnoscere,quemadmodum in futurum census doceatur impoſitus. Vt si grauatos vos esse cognoscimus,pro parte nobis qua visum fuerit,considerata æquitate, releuemus. Ita fit, vt habeatis spem & futuri beneficij, qui estis iam pro parte remedia consecuti. Quapropter seruire vos conuenit vtilitatibus nostris. quando ea,quę magnis sperare precibus potuistis,vltro cõtulit munificentia principalis. Sic enim tradente clementiſſimo nobis auctore didicimus,vt a subiectorum beneficijs non vacemus. Disciplina videlicet imperandi est,amare,quod multis expedit. quoniam Respub. nimium soliditatis accipit,si tributariorum facultas illæsa constiterit.

VNIVERSIS. PROVINCIALIBVS. SYRACVSANAE. CIVITATIS ATHALARICVS. REX

DVdum quidem vobis ortum nostri imperij æstimauimus nunciandum. nunc decet subsequi beneficium pro lætitia augenda cunctorum. vt quibus fuit gratiſſimus noster exortus,sit illis regalis animus in aliqua parte munificus. Crescere nobiscum, deo præstante,cuncta desideramus. Quia vere ille noster est census,quem lętus possessor exoluit. Proinde subtrahimus pecuniæ, quod augmentetur gloriæ. & auari ad laudes,profuse vtimur subleuare cultores. Pridem diuę memorię domnus auus noster de suis beneficijs magna præsumẽs (quia longa quies

quies & culturam agris præstitit,& populos ampliauit) intra Siciliam prouinciam sub consueta prudentiæ suæ moderatione censum statuit flagitari. vt vobis crescęret deuotio, quibus se facultas extenderat. Sed illius prædicanda iustitia locum nostræ benignitati præparauit. vt quod ei offerri iuste potuit,nos clementi animo,quasi illata stipendia,donaremus. & quodam præsagio mentis diuinæ fecit etiam pium,cui parabat imperium. Atcꝫ ideo per quartam feliciter Indictionẽ quicquid a vobis supra consuetudinariam functionẽ augmenti nomine vel petebatur,vel constat exactum, liberalitas nostra concedit. Quod & si iuste potuistis pendere,gloriã vos potius nostræ largitati iubemus inferre. Sed vt latius extendatur nostra clementia, suauemcꝫ dominum impensis beneficijs sentiatis, quicquid a discursoribus noui census per quintam Indictionem probatur affixum, ad vestram eos fecimus deferre notitiam. Vt quod rationabile fuerit æstimatum,libentibus animis perferatis. Quia nullum lædit obseruata iustitia. Sed ne credatis,per ordinatorum tantum arbitrium vos grauari, si quis est, qui de eorum facto æstimet conquerendum,ad remedia nostræ pietatis occurrat. Vt iudicantes corrigamus,qui etiam non rogati beneficia clementer indulsimus. Nam & glorioſæ recordationis domnus auus noster de eorum commotus fuerat tarditate, vt erat altæ prudentiæ perscrutator, æstimans eos tandiu in prouincia non sine nostro grauamine residere, quos repetita iussione censuerat iam redire. Sed nos,quos decet implere quicquid ille sub æquitate disposuit,Deo auxiliante,eius nunc in vobis inchoata perficimus. Reddite modo largitati nostræ prosperrimum votum, & fidele seruitium. Habetis principem,qui vobiscũ beneficijs probatur exortus. & quod subiectis dulcius est,augetur ingenio beneuolo,cum ętatis augmento. In quam rem Quidilanem saionem nostrum credimus dirigendum, per quem vobis iussa prosperrima, deo largiente, pandantur.

GILDIAE. V.S. COMITI. SYRACVSANAE. CIVITATIS ATHALARICVS. REX

AD Victorem & Vintigiscum,spectabiles viros,Siciliæ prouincię Cẽsitores, prędepta nostra direximus. Vt quicquid possessoribus tributariæ functionis per eos nuper videtur adiectum, de quarta Indictione nõ exigãt. Quia grauis est eius rei illatio,cuius adhuc iustitia non probatur. De ordinationibus vero eorum nobis fecimus instructiones deferri. vt si æstimatis viribus sub æqualitate sit dispoſitum,debeat permanere moderatũ. sin vero aliquem contra rationem constat esse prędgrauatum, nostro releuetur arbitrio. ita tamen,vt si aliquid per quartam Indictionẽ probatur illatum, Possessoribus sine aliqua imminutione reddatur. Quia sine querela suscipi debet onus impoſitum, quod longis temporibus cõstat esse portandũ. Nunc quod restat, Prouinciales nos conuenit admonere. vt quibus beneficia dedimus, eorum deuotionem per omnia sentiamus. & quod debetur principi, grato animo videatur exolui.

T VICTORI

Universidad de Deusto
Biblioteca

VICTORI. ET. VITIGISCLO. VV. SS. ATHALARICVS. REX

TArditas vestra apud glorioſæ memoriæ domnũ auum noſtrum merito vos fecit eſſe ſuſpectos (quos etiam ſeris præceptionibus credimus admonendos, vt relicto tandem prouincialiũ grauamine ad eius deberetis iuſtitiam feſtinare) & nunc quoq; ſuſpitionis maximæ fecit augmentum, vt nec ad initia noſtra voluiſſetis occurrere, quod libera conſcientia potuiſſet optare. Et ideo præſenti auctoritate cenſemus, vt ſi quid ſuper tributariũ Solidum per quartam Indictiõem a prouincialibus exegiſtis, ſine aliqua eis imminutione reddatis. Quia ſupra veterem cenſum nulla Indictionis prædictæ eos volumus damna ſentire. Hoc etiam addendũ eſſe credidimus (quoniam amore clementiæ errores noluimus inuenire. ne coacti potius reſecemus, quod ſalua iuſtitia diſſimulare nõ poſſumus) vt ſi aliquẽ ſtudio læſiſtis prauo, veſtro magis emendetis arbitrio. Quia hoc eſt, propria delicta corrigere, quod & nõ facere. Et ne forſitan credatis longinquitatis difficultate latere, quæ geſta ſunt, Siculis fiduciã vos dedimus ſubſequendi. Videte nũc, ſi voces poſſitis ferre querulas, quas etiã noſtra inuitauit auctoritas. Admonuimus igitur quos pios decet eſſe. Iam ſuo vitio videtur accuſari, qui ſpontanea noluit voluntate recorrigi.

VILIAE. V. I. COMITI. PATRIMONII. ATHALARICVS. REX

MAgnitudinis tuę ſuggeſtione comperimus, de Domeſticorũ exceſſibus, qui deſtinatis Comitibus obſecũtur, Prouinciales damnis plurimis ingrauatos. Quod credimus emolumentorum paruitate nutritũ. Quia ſub quadam excuſatione peccare creditur, cui neceſſaria non præbentur. Et ideo ſpeciali beneficio generalia compendia largientes, magnitudini tuæ præſenti auctoritate præcipimus, vt ſupra ducentos Solidos & decem annonas, quas hactenus acceperũt, a quinta feliciter Indictione quinquaginta eis Solidos annuos faciatis incunctãter adiungi, qui noſtris rationibus debeant imputari. Vt dum mater criminũ neceſſitas tollitur, peccandi ambitus auferatur. Si quis autem iuſſionũ noſtrarum improbus temerator extiterit, vt aliquo caſu in damnis prouincialium aut prę iudicijs implicetur, emolumẽtis careat vniuerſis. Quia ille dignus eſt præmia conſequi, qui parere cognoſcitur æquitati. Ideo enim a nobis accipit, ne ab alijs quærat. Noſtrũ dare, nobilitas eſt. dona regalia q̃uis parua ſublimant. quia ſimul & meritorum gratiam repperiſſe creditur, qui principali munere ſubleuatur.

GILDIAE. V. S. COMITI. SYRACVSANAE. CIVITATIS. ATH. REX

PRouincialium Siculorum nobis eſt ſuggeſtione declaratũ, quædam a tua poteſtate fieri, vnde eorum fortunæ videantur affligi. Qđ ideo leuiter accepimus, quia ipſi vindicari præterita noluerunt. Conſtat enim dubium, quod concedit aduerſarius. & percelli

percelli non poteſt iure, cui mauult querelosus ignoſcere. Sed vt ſuſpitiones iniquas futuris caſibus abrogemus, obſeruanda iugiter præſenti iuſſione decernimus, vt nec iſti aliquid de futuro metuant, nec tu per ignorantiam quę dicuntur incurras. prima fronte pro reparatione murorum pecunię diuerſis prouincialibus dicuntur extortæ, cum tamen nulla exinde ſurrexerit promiſſa cõſtructio. Hoc ſi conſtat admiſſum, aut muri exinde pro eorum munimine conſtruantur, aut vnuſquiſq; recipiat, quod ei probatur incompetenter ereptum. Nimis enim abſurdum eſt, ſpondere munitiones, & dare ciuibus execrabiles vaſtitates. Quorundã etiam ſubſtantias mortuorũ, ſine aliqua diſcretione iuſtitiæ, fiſci nomine caduci te perhibent titulo vendicare. cum tibi hoc tantum de peregrinis videatur eſſe commiſſum, quibus nullus heres, aut teſtamentarius aut legitimus, inuenitur. Nefas eſt enim, vt quod a nobis præcipitur, a te noſtro nomine per iniuriam vendicetur. Præterea conuentionibus ſe grauari omnimodis ingemiſcunt. vt ad iudicium deducendi pene tanta videantur amittere, quanta vix probantur addicti diſpendia ſuſtinere. Vocatio enim Iudicis ſpes iuſtitię debet eſſe, non mulcta. Nam ipſe iuſte ſuſpectus redditur, ante cuius audientiam grauamina ſentiuntur. Vnde cenſemus, vt ſi noſtra conueniunt decreta pulſatos, tantũ commodi percipiat executor, quantum glorioſus domnus auus noſter pro honoribus perſonarum debere Saiones accipere, expreſſa quantitate, conſtituit. Commodum enim debet eſſe cum modo. Nam ſi menſuram æqualitatis exceſſerit, vim ſui nominis non habebit. Si vero tua iuſſione conuentio deſtinatur, duntaxat in illis cauſis atque perſonis, vbi te miſceri edicta voluerunt, mediam portionem executor accipiat, quam de præceptis regijs ſumere potuiſſet. Quia non poteſt conuenire iuſtitię, vt tantum a te directo tribuatur, quantum pro reuerentia noſtræ iuſſionis offertur. Si quis autem ſaluberrimi conſtituti temerator extiterit, in quadruplum iubemus ab lata reſtitui. Vt quod delectatione cupiditatis amittitur, aſperitate diſpendij vindicetur. Edicta vero glorioſi domni aui noſtri, vel vniuerſa præcepta, quæ ad Siciliam pro commouendis vniuerſorum moribus deſtinauit, ſub tanta volumus obedientia cuſtodiri, vt ſacrilegij reus habeatur, quiſquis beluinis moribus excitatus munimen tentauerit irrumpere iuſſionum. Duorum negocia Romanorum, etiam his inuitis, ad tuum diceris vocare iudiciũ. Quæ, ſi cognoſcis facta, vlterius non præſumas. Ne dum ius Iudicum incompetenter quærere, reatum potius videaris inuenire. Memor enim prius debes eſſe edicti, qui inter alios maius a te ſequenda conſtitui. Alioqui tota tibi decernendi auctoritas tollitur, ſi a te illa regula minime cuſtoditur. Ordinarijs Iudicibus adminiſtrationum ſuarum poteſtas illibata ſeruetur. Cognitores ſuos legitima turba comitetur. Obſeruationum illarum non mordearis inuidia. Gothorum laus eſt, ciuilitas cuſtodita. Tota ad vos fama confluit, ſi vobis litigator obſeruet. Vos armis iura defendite, Romanos ſinite legum pace litigare. Nauigijs vecta commercia te ſuggerunt occupare. & ambitu cupiditatis exoſæ ſolum antiqua pretia definire,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod non creditur a suspitione longinquum, etiam si non sit actione vicinum. Quapropter si rumorem huius vitare festinas, Episcopus ciuitatis & populus conscientiæ tuę testes assistant. Omnibus placeat, quod ad cunctorum necesse est vitare fortunas. Pretia debent communi deliberatione constitui. quia non est delectatio commercij, quę iubetur inuitis. Quocirca sublimitatem tuam iussis præsentibus credimus admonendam. quia excedere nolumus, quos amamus. nec aliquid de talibus siniſtrum patimur dici, per quos aliorum mores putamus esse recorrigendos.

IOANNI. PAPAE. ATHALARICVS. REX

SI antiquis principibus studium fuit leges exquirere, vt subiecti populi delectabili tranquillitate fruerentur, multo præstantius est talia decernere, quæ possunt sacris regulis conuenire. Absint enim a nostro sæculo damnosa compendia. Illud tantū vere possumus lucrum dicere, quod constat diuina iudicia nō punire. Nuper siquidem ad nos defensor Ecclesiæ Romanę flebili allegatione peruenit, cum Apostolicæ sedi peteretur antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promissionibus ingrauasse, vt quod dictu nefas est, etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele cōmitti, tanto gloriosum est adhibita pietate resecari. Atque ideo sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad vniuersos patriarchas atque metropolitanas Ecclesias volumus pertinere, vt a tempore sanctissimi Papæ Bonifatij cum de talibus prohibendis suffragijs P. C. senatusconsulta nobilitatis suæ memores condiderunt, quicunq; in episcopatu obtinendo siue per se, siue per aliam quancunq; personam, aliquid promisisse declaratur, vt execrabilis cōtractus cunctis viribus efferetur. Si quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem, verum etiam si aut repetendum aut quod acceptum est non reddendum esse crediderit, sacrilegij reus protinus habeatur, accepta restituens compulsione Iudicis competentis. Iustissimę siquidem leges, vt bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem. Præterea quicquid in illo senatus decretum est consulto, præcipimus in eos modis omnibus custodiri, qui se quoquo modo, per interpositas quascunque personas, scelestis contractibus miscuerunt. Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta, quæ nimia sunt, cum de Apostolici consecratione Pontificis intentio fortasse peruenerit, & ad palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, Suggerentes nobis intra tria milia Solidorum, cum collectione cartarum censemus accipere. A quibus tamen omnes idoneos rei ipsius consideratione remouemus. Quia de ecclesiastico munere pauperibus est potius consulendum. Alios vero Patriarchas, quando in Comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus atque personis intra duo millia Solidorum iubemus expendere. In ciuitatibus autem suis tenuissimæ plebi

plebi non amplius cꝫ quingentos Solidos se distributurōs esse cognoscant. Reliquos accipientes, & edicti præsentis & Senatus consulti nuper habiti, pœna constringat. sed & dantes canonum seueritas persequatur. Vos autem, qui patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesijs, quem constitutio nostra ab illicita promissione liberauit, restat vt bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarū dispendio dignos maiestate pontifices offeratis. Iniquum est enim, vt locū apud vos habeat ambitus, quem nos laicis diuina consideratione perclusimus. Quapropter si quis Apostolicæ præsul Ecclesiæ vel patriarcharum episcopum, siue per se, siue per parentes, nos seruientium quascunq; personas aliqua suffragij crediderit ambitione promouendum, & ipsum reddere accepta definimus, & quod est canonibus statutum, eum modis omnibus esse passurū. Si quis vero quę dederit aut promiserit eodem superstite timuerit publicare, ab heredibus vel pro heredibus eius Ecclesia repetat, cuius suffragio antistes deprehēditur ordinatus. Nota infamiæ nihilominus superstites inurente. Reliquos quoq; ordines sub eadem fieri districtione præcipimus. Quod si forsitan dolosæ machinationis inuento sacramentis persona intercedentibus fuerit obligata, vt saluo statu animæ commissam iniquitatem neq; approbare possit, neque audeat accusare, damus licentiam quibuslibet honestis personis, in singulis quibusque ciuitatibus apud Iudices competentes hoc crimen deferre. & quicquid ex ea potuerit probatione recolligi, vt approbatione insequentes animemus, tertiam partem iudicatæ rei illius percipiat, qui tale facinus voluerit applicare. Reliqua ipsis Ecclesijs proficiant, quæ videntur extorta, aut in fabricis earum, aut in ministerijs nihilominus profutura. Decet enim ad vsus bonos conuertere, quæ voluit peruersitas inimica fraudare. Quiescat igitur malignantium praua cupiditas. Quo tendunt, qui a fonte præclusi sunt? Recolatur & timeatur Simonis iusta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem. Orate igitur pro nobis, edicta nostra custodientes. quia diuinis noscitis conuenire mysterijs. Sed quo facilius principis votum vniuersorū mentibus innotescat, hoc Senatui, hoc populis, per Prefectū Vrbis precipimus intimari. vt generalitas agnoscat, nos illos prosequi, qui maiestati diuinæ potius viderentur aduersi. Vos quoq; hoc vniuersis, quos Deo propitio regitis, Episcopis intimate, neq; sit alienus a culpa, qui potuit agnoscere constituta.

SALVANTIO. V.I. PRAEFECTO. VRBIS. ATHALARICVS. REX

GRata res est, cuncta profutura vulgare. vt generale fiat gaudiū, quod potuit esse votiuum. Alioqui læsionis causa noscitur, si beneficia potius occulantur. Dudum siquidem Senatus amplissimus, a splendore suo cupiens maculam fœdissimæ suspitionis abradere, prouida deliberatione constituit, vt in beatissimi Papæ consecratione nullus se abominabili cupiditate pollueret, pœna etiam constituta, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

talia præsumere tentauisset.non iniuria, quia tunc electi vere meritum quæritur,cum pecunia non amatur. Quod nos laudantes,& augentes inuentū, ad beatissimum Papam direximus constituta,quæ his ante lata prefulgent. vt ab honestate sanctæ Ecclesiæ profanus ambitus auferatur. Hoc nos ad notitiam Senatus & Romani populi volumus sine aliqua dilatione perducere.quatenus cunctorum figatur cordi,quod cupimus omnium studio custodiri. Verum vt principale beneficium & præsentibus hereat sæculis & futuris,tam Definita nostra,q̄ Senatusconsulta tabulis marmoreis precipimus decenter incidi, & ante atrium beati Petri Apostoli in testimonium publicum collocari. Dignus enim locus est,qui et gloriosam mercedem nostram, & Senatus amplissimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus, quo redeunte noscamus impleta quæ iussimus. Incertum enim videtur habere, quod præcipit, cui rerum effectus tardius innotescit.

SALVANTIO. V.I. PRAEFECTO. VRBIS. ATHALARICVS. REX

SI principes antiqui mœnia Romana in populorum exquisiuere lætitiam,ne ciues illi merito singulares aliquid commune cum ceteris possiderent, nefas est inter tot rerum iucunda, eos longam sustinere tristitiam. Quia exultatio ciuitatis illius generalitatis votum est. dum necesse est lætari reliqua, si Mundi caput gaudere proueniat. Apostolici siquidem Papæ Ioannis, & procerum nostrorum relatione cognouimus,illum & illum Romanos pro sola suspitione seditionis tam longæ custodiæ pœna maceratos, vt cuncta ciuitas mœrorem de illorum continua calamitate contraxerit. vt eis nec dierum festiuitas,nec vlla(quæ apud nos est gratissima) nominis sui dignitas subueniret. Quod nobis pro sui facti acerbitate displicuit. vt qui in iudicio conuicti minime feruntur, debita malis tormenta cruciatusq; pertulerint. Et ideo magnitudinem tuam iussis præsentibus admonemus, vt quocunque loci reperire potueris eos, absoluere non moreris. Quia etiam si aliquo reatu inuolutos esse claruerit, intercessionibus supradictis eos iam a metu liberos esse censemus. Si vero innocentes se tormenta sustinuisse confidunt, damus querelis eorum liberam vocem. vt iustis legibus vindicent, quod iniquis ausibus pertulerunt. Quia nolumus innocentes a Iudicibus deprimi, quos ad eorum præsidia constat eleuari. Reuocentur nunc ad lætitiam pristinam Romani, nec nobis credant placere posse,nisi qui eos eligunt modesta æqualitate tractare. Intelligant,parentes nostros pro sua quiete laboriosa subisse pericula. nos autem multis expensis agere,vt illi debeant garrula exultatione gaudere. Nam & si quid inique vel acerbe hactenus pertulerunt, non credant a nostra mansuetudine negligendum. qui nec nobis ocia damus,vt illi secura pace ac tranquilla lætitia perfruantur. cito sentiant, quia nos amare non possumus,quos illi pro suis excessibus horruerunt. Nam quorum gratiam impetrare possunt, qui suis ciuibus displicere meruerunt? & dum tempus habuissent amoris publici,egerunt vnde iuste debeant execrari?

EDICTVM

EDICTVM. ATHALARICI. REGIS

PRouide decreuit Antiquitas, vniuersitatem Edictis generalibus admoneri.per quæ & delictum omne corrigitur, & decentis verecundia non grauatur. Cuncti enim sibi æstimant dici,vbi nullum constat exponi. & similis fit innocenti, quem contigerit sub communione purgari. Hinc & nostra vere pietas custoditur, dum feriato gladio nascitur metus, & prouenit sine cruore correctio. Commouemur enim placati.minamur ociosi.& clemēter irascimur,quando vitia sola damnamus. Diu est,cp diuersorū querelę nostris auribus crebris susurratiōibus insonarunt,quosdam ciuilitate despecta affectare viuere belluina sęuitia.dū regressi ad agreste principium,ius humanū sibi æstimant feraliter odiosum. Quos nunc apte iudicauimus comprimendos.vt eo tempore inimica bonis moribus crimina persequamur, quo hostibus Reipub.diuina virtute resistimus. Vtrunque quidem noxium,vtrunq; pellendum. sed tanto grauius grassanť vitia,quāto probantur interna. Vnum recumbit in altero. facilius quippe inimicorū acies cadunt,si nostro ęuo delicta subducimus. Primū humano generi noxiā peruasionē(sub qua nec dici potest ciuilitas,nec haberi) seueritate legū,& nostra indignatione damnamus. statuentes,vt sanctio diui Valentiniani aduersum eos diu pessime neglecta cōsurgat,qui prędia vrbana vel rustica,despecto iuris ordine,per se suosq; pręsumpserint,expulso possessore,violenter intrare.nec aliquid de eius districtione, detestabili volumus temperatione mitigari. insuper addentes, vt si quis ingenuorum ad satisfaciendū legi superius definitę idoneus nō habetur,deportationis protinus subiaceat vltioni. Quia plus debuit cogitare iura publica,qui se nouerat alibi nō posse sustinere vindictam. Iudices igitur cōpetentes, ad quos potest admissum facinus pertinere,si inuasorem cū possint amouere pertulerint tenere pręsumpta, & adepti cinguli honore priuentur,& fisco nostro tantum fiant obnoxij, quantū præsumptor potuisset addici. in auctoribus tamen facinoris manentibus cōstitutis. Quod si quis in tantam raptatus amentiam,tyrānico spiritu viro publico parere neglexerit, viribusq; prępositeris destinati officij spreuerit paucitatem,relatione Iudicis nostris auribus notabilis ingerať.vt indulta executiōe saionū, vltionē sentiat vigoris regij, qui obedire noluit cognitori. Et quia summis principibus iuris cōmunione uiuendū est,si quis, legū ordine prętermisso,nomine publico titulos pręsumpserit affigere. in tantū possidenti fiat obnoxius, quantū sanctio superius memorata testať. Merito enim & sacrilegij pęna percellitur,qui iniquo persuasionis pondere ausus est maiestatem regij nominis ingrauare. Litis quoq; expensas iudicio superatus exoluat. cp hinc dantur fomenta detestabilis iurgij, cū improbi vincuntur illæsi. nec dolet calumniantibus pudoris damnum,si euaserint dispendia facultatū. Si quis aūt de nostris scrinijs aliquid crediderit promouendū,aduersario suo quantū ad causam eius pertinet,de cōsueta serie iussionū nihil ęstimet supprimendū.ni fecerit,careat impetratis. vel si aliqd ex eo agere tētauerit,nihilominus habeať infirmū. quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

illos ſolos volumus vti beneficijs noſtris, quos nõ cognoſcimus ſtudere verſutijs. Qui ſuaſione plectenda matrimonia diuidere nitit̃ aliena, ipſius coniugium habeatur illicitum. vt magis contigiſſe ſentiat ſibi, qđ in altero malignus exercere tentauit. Si vero pro coniunctionibus caritate priuat̃, futurum matrimoniũ illi iure denegamus. quia non meretur iugalis reuerentiæ prẹmia conſequi, qui in genialis thori auſus eſt diuiſione graſſari. Sed ne aliquos huius ſceleris reos vltio noſtra derelinquat, illos quos ſpes non habet præſentis cõiugij vel futuri, ſi quid in alienos thalamos dolola machinatione præſumpſerint, facultatum ſuarum media portione priuentur, ſtatim fiſci iuribus applicanda. Si uero prohibente pauperie in aliquorum ſubſtantia nequierit vindicari, pẹna relegentur exilij. Ne, quod dictu nefas eſt, ideo videantur comminationem iuris publici euadere, quia viliſſimæ noſcuntur ſubiacere fortunæ. Sed hæc de ſolicitatoribus affectus alieni pietas noſtra decreuit. Cæterum in adulteris totũ diſtrictiſſime volumus cuſtodiri, quicquid diuali potuit cõmonitione decerni. Vno tẽpore duabus nemo copulẽtur vxoribus. quia ſe nouerit rerũ ſuarum amiſſione plectendum. Nam aut libido eſt, & recte perfrui non ſinitur. aut cupiditas, & iure nuditate damnatur. Si quis autem ſuperflua turpiq̃ cupidine coniugali honeſtate deſpecta, ad concubinẹ elegerit venire complexus, ſi ingenua fuerit iugo ſeruitutis cum filijs ſuis modis omnibus addicatur vxori. vt illi ſe per honeſta iudicia ſentiat ſubdi, cui pollicitam libidinem credidit poſſe præponi. Quod ſi ad tale flagitium ancilla peruenerit, excepta pẹna ſanguinis, matronali ſubiaceat vltioni. vt illam patiatur ludicem, quam formidare debuiſſet abſentem. Donationes nullius terror extorqueat. nullus acquirere per fraudem vel execrabilem laſciuiam concupiſcat. Sola enim honeſtas merito capit lucrum de legibus. In allegationem volumus cuſtodiri, quam pro veritate ſolicite legalis ſanxit Antiquitas. Sic enim, vt ipſa teſtatur, & fraudi non patebit occaſio, & veritati maior creſcit auctoritas. Alioqui nulli præcipimus videri firmum, quod ipſe conditor, non implendo quæ leges vel iura præcipiunt, fecit incertum. Maleficos quoque, vel eos qui ab eorum nefarijs actibus aliquid crediderint expetendum, legum ſeueritas inſequatur. Quia impium eſt, vos illis eſſe remiſſos, quos cœleſtis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas eſt, creatorem vitæ relinquere, & ſequi potius mortis auctorem? Turpis actus ex toto ſit a Iudicibus alienus. Nemo faciat, quod iura condemnant. Quia decretali pœna plectendi ſunt, qui ſe prohibitis exceſſibus miſcuerunt. Quid enim in alijs damnent, ſi ipſi ſe inhoneſta contagione commaculent? Sit etiam ſub diuitibus tuta mediocritas. A cædis temperetur inſania. Nam præſumptio manuum, actus probatur eſſe bellorum, maxime in eis, quos tuitionis noſtræ munit auctoritas. Si quis autem contra facere improba præſumptione tentauerit, violator noſtræ iuſſionis habeatur. Appellari a ſubiecto Iudicibus ordinarijs in vna cauſa ſecundo non patimur. ne quod ad remedium repertum eſt innocentis, aſylum quodammodo videatur eſſe criminoſis. Si quis vero vetita iterare

iterare tentauerit, negocio priuatus abſcedat. Sed ne pauca tangentes, reliqua credamur noluiſſe ſeruari, omnia edicta tam noſtra, q̃ domni aui noſtri, quæ ſunt venerabili deliberatione firmata, & vſualia iura publica, ſub omni cenſemus diſtrictionis robore cuſtodiri. quæ tanto munimine ſe tegunt, vt noſtra quoq̃ iuriſiurandi interpoſitione cingantur. Quid per multa diſcurrimus? Legum vſualis regula & præceptorum noſtrorum probitas vbique ſeruetur.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

IAudabilium iuſſionum cauſas plerunque præbet vituperabilis exceſſus alienus, & miro modo momenta iuſtitiæ de iniquitatis occaſione naſcuntur. Silet enim æquitas, ſi culpa non vociferetur admiſſa. & feriatum quieſcit principis ingenium, quod non fuerit aliqua querela prouocatum. Conquerentium ſiquidem vocibus adacti, & frequentium populorũ de rebus quibuſdam interpellatione commoniti, neceſſaria quædam Romanæ quieti edictali programmate duodecim capitibus, ſicut ius ciuile legitur inſtitutum, in æuum ſeruanda conſcripſimus. quæ cuſtodita reſiduum ius non debilitare, ſed potius corroborare videantur. Hęc in cętus veſtri ſplendore recitentur, & per triginta dies Prẹfectus vrbis locis celeberrimis faciat ſolenni more proponi. Vt noſtra ciuilitate recognita, ſpes truculentis moribus auferatur. Nam qua confidentia proteruus aſſumat, qđ principis agnouerit damnaſſe clemẽtiam? Redeat amor omnibus diſciplinæ. per quam & parua coaleſcũt, & potiora ſeruantur. Ideo enim exercitus noſtros, iuuante Deo, crebris expeditionibus cõmonemus, vt vniuerſitatem compoſitam viuere legibus ſentiamus. Reddatur hęc animo noſtro viciſſitudo præmiorũ. vt quem Reipub. vtilitatibus cognoſcitis occupatum, rariſſima querelarum editione pulſetur. Teneant Iudices legitimas diſtrictiones, votum fediſſimæ venalitatis abijciant. Metus cuncta componit, ſi reus crimen in iudicante non inuenit.

AD. VNIVERSOS. IVDICES. PROVINCIARVM. ATH. REX.

CVm vos prouincijs noſtris, iuuante Deo, annua reparatione prẹſtamus, nec deſint iudicia per vniuerſos fines Italiæ diſtributa, intelligimus de inopia iuſtitiæ copiam venire cauſarum. Culpa ſiquidem veſtrę probatur eſſe negligẽtiæ, quoties a nobis cogũtur homines legum beneficia poſtulare. Nam quis eligeret, tam longe petere quod in ſuis videtur ſedibus aduenisſe? Sed vt vobis verſutas excuſationes, & duras neceſſitates prouincialibus tolleremus de aliquibus caſibus hactenus peſſimo torpore neglectis edictalis programmatis definitione cenſuimus, vt & vobis creſceret confidentia recte iudicandi, & paulatim audacia maligna poſſit imminui. Qđ more ſolenni per conuentus publicos triginta dierum facite propoſitione. Vt iure condemnatus habeatur, qui poſt hæc remedia manere præſumpſerit deſperatus.

SENATVI

Universidad de Deusto
Biblioteca

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

Illiorum causas iure ad patrum cognoscimus remisisse personas, vt ipsi de illorum prouectu debeant cogitare, quorū interest studia Romana proficere. Neq; enim credendum est, vos inde posse minus esse solicitos, vnde & generi vestro crescit ornatus, & cœtui prouenit assidua lectione consilium. Nuper siquidem, vt est de vobis cura nostra solicita, quorundam susurratione cognouimus, doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere. & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarū magistris deputata summa videatur imminui. Quapropter, cum manifestum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus, doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosa studia per commodorum augmenta prouocandi. Prima enim grammaticorum schola est fundamentum pulcherrimum literarum, mater gloriosa facundiæ, quæ cogitare nouit ad laudem, loqui sine vitio, hoc in cursu orationis sic errorem cognoscit absonum, quemadmodum boni mores crimen detestantur externum. Nam sicut musicus consonantibus choris efficit dulcissimum melos, ita dispositis congruentibus accentibus metrū nouit decantare grammaticus. Est Grāmatica magistra verborū, ornatrix humani generis. quæ per exercitationē pulcherrimæ lectionis, Antiquorum nos cognoscitur iuuare consilijs. Hac non vtuntur barbari Reges, apud legales dominos manere cognoscit singularis. Arma enim & reliquę gentes habent. sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Hinc oratorū pugna ciuilis iuris classicum canit. Hinc cunctos proceres nobilissima disertitudo commendat. & vt reliqua taceamus, hoc quod loquimur inde est. Qua de re P. C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem, propitia diuinitate, largimur, vt successor scholæ liberalium literarum tam grammaticus q̄ orator, necnon & iuris expositor, commoda sui decessoris ab eis, quorū interest, sine aliqua imminutione percipiat. & semel Primi Ordinis vestri, ac reliqui Senatus amplissimi auctoritate firmatus, donec suscepti operis idoneus reperitur, neq; de transferendis, neq; de imminuendis annonis a quolibet patiatur improbam questionem. sed vobis ordinantibus atq; custodientibus emolumētorum suorum securitate potiatur, Præfecto Vrbis nihilominus constituta seruante. Et ne aliquid pro voluntate prębentiū relinquatur incertum, mox vt sex menses exempti fuerint, statutæ summæ consequantur prædicti magistri mediam portionē. Residua vero anni tempora cum annonarū debita redhibitione claudātur. Ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est, vel horarum aliquo vacasse momento. In tantum enim quæ sunt decreta, volumus firmissime custodiri, vt si quis cuius interest, differendā putauerit hanc quasi debitā functionē, procurato more vsurarū dispendia ipse patiatur. quia iusta cōmoda laudabiliter laborantibus, plectēda cupiditate, subtraxit. Nā si opes nostras scęnicis pro populi collectiōe largimur, & ea studiosissime consequunt̄ qui adeo necessarij nō habent̄, quanto magis illis sine dilatione præbenda sunt, per quos & honesti

nesti mores prouenīūt, & palatio nostro facunda nutriunt̄ ingenia. Hęc aūt præsentibus literarū magistris venerando cętui vestro præcipimus intimari. Vt sicut nos agnoscunt de suis cōmodis esse solicitos, ita a se prouectus adolescentium enixius nouerint nos exigendos. Cesset nunc illa satyris doctoribus querulis vsurpata sententia. quia duabus curis ingenium non debet occupari. Ecce iam habere tolerabile probantur hospitium. vnde nunc merito, vni solicitudini iugiter inhærentes, toto vigore animi ad literarum artium studia transferantur.

PAVLINO. V.C. CONSVLI. ATHALARICVS. REX

Ndiscreti hominū mores confusiq; vagarentur, si aut culpa formidinem, aut virtus prędia non haberet. Sed cum vtraq; suis finibus, propriaq; terminatiōe claudant̄, de illo nefas est ambigi, qui meruit eligi iudicio principali. Nō enim quicquam aut odio decernimus, aut pellecti aliqua gratificatione laudamus. Electio nostra de meritis venit, & tanto quis regali animo proximatur, quanto bonis studijs societate coniungitur. Non vereamini absentes. nec sitis de principis ignoratione soliciti. Latere potest forsitan vulgare hominū genus, nesciri nō potest proles Senatus. quando bene noti sunt, qui meritis asseruntur. et abunde cognoscitur, quisquis fama teste laudat̄. Quapropter te longissime constitutum mentis nostræ oculus serenus inspexit. & vidit meritū, quod non habebatur occultū. Propositū siquidem tuum celebrata dilatauit opinio, faciens fidem generis morum pondere, nō ætate. Neq; enim fas erat, vt quem familia tanta produxerat, sententia nostra in eo corrigendum aliquid inueniret. Semen generis morum fructibus reddidisti. Nihil vobis ætas longa subduxit. Antiquos in te Decios Roma cognouit. Decios inquā, priscis ęculis honoratam prosapiem, libertatis auxiliū, Curię decus, Romani nominis singulare præconium. Cui specialiter adscriptum est, q̄ immanissimum hostem statu Reipub. periclitante euasit, & in tanta virorum fortiū multitudine solus inuentus est, qui patriā plus amasset. Hęc nos exempla summo nendo semper accendunt. Quia magnus verecundiæ stimulus est, laus parentum. dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus auctores. Et ideo, quod deo auspice dictum sit, per Indictionem duodecimam sume insignia consulatus. Honorem quidem arduum, sed familiæ vestrę domesticū. Vos enim completis paginam consularem. vos crebro nominat cursus annorum. & dum copia plurimum soleat habere fastidium, vestrum nomen repetitum semper efficitur gloriosum. Huic denicq; generi superna fauerūt, præstando desiderijs patrum felicia genera masculorum. Hinc est, q̄ in illorū capite collegam vix videtis extraneum. hos habetis ludices, quos parentes. O temporum singulare præconium. Curia Romana completur pene vestra familia. ecce vere nunc vnum dicendum est corpus, quando constat vicini sibi generis societate permixtum. Sed non remittas animos confidentia tuorum. nec credas posse sufficere, quod tibi cōtigit de illorum prędicatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicatione gaudere. Plus exigitur heres bonorum, quando sine cessatione compellit, qui Maiorũ virtutibus admonetur. Adde laudes egregias seniorибus tuis, sequens ætas cum aliqua opinabili nouitate succedat. Nam si gloriosum est posteris, auitas extendere facultates, quanto præstantius est, hereditarias augere virtutes? Mores tuos domesticos conuersatione laudauimus. sed maius aliquid decet publicis exhibere conspectibus, vnde sibi nec ętas tenera blandiatur, nec metus quisquam vindicet, nec magister assumat.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

QVid P. C. de vobis iudicemus, expendite. cum ad summarũ culmina dignitatum germinis vestri viros, quos nũquam vidimus, eligamus. non fastidio negligentiæ, sed honorabili præsumptione naturæ. Ad examen veniant, quæ putantur incerta. Nam quis de illa re æstimet deliberandum, vbi nihil reputatur ambiguum? Omnes quidem benignitas nostra complectitur. sed tales veritatis testimonio prædicamus. Præcedit quidem gratia, sed sequitur incorrupta sententia. Nam sicut idem Curiæ corpus est vobis, ita in vnũ laudabili proposito conuenitis. Vos ergo dilexisse, iudicium est. vnde libertatis augmentum & nostri imperij crescit ornatus. Rerum causę semper in semine sunt. fructus æditus prodit auctores. & quicquid a diuinitate meremur, de felici prole colligitur. Hinc est, ꝙ patritium Venantium sub admiratione pensemus, & fæcunda prole gaudentem, & tot consulatibus parem. Educauit enim liberos, nulla discretione laudandos, pondere moderationis ęquales, ingenij vivacitate cõsimiles, et morum societate vere germanos. Quorum infantiam bonis artibus enutritam, iuuentutẽ quoꝙ armis exercuit. formans animũ literis, membra gymnasijs. tradens, amicis exhibere constantiam, dominis fidem. & quicquid in illo viro gratia diuina concessit, integra perfectione trãsmissum cernas in posteros. lactent se alij possessione locupleti, summũque putent solas esse diuitias. In hac autem domo non tantum patrimonijs, sed & virtutibus aditur hereditas. Hoc est profecto, quod vere diuites facit. Quando nullum melius potest esse compendiũ, q̃ laudibus successisse Maiorum. Probatũ est etiam in eo bonis dispensatoribus nil deesse. Alieni continens, propria sub moderatione distribuens, & inusitata laude mirabilis, nulli grauis tot protulit consulares. Recipiat hæc audiens fructum bonorum, inter tot lumina procerum singulariter fuisse laudatum. Nam si homines ornat semel accepisse palmatam, quid ille censendus est, qui tot meretur in filijs consulatus? Et ideo P. C. alumnum vestrum Paulinum laurea dignitate vestimus. Vt iuuentus eius, quæ fulget meritis, trabea quoꝙ resplendeat triumphali. Hunc honorem Deciorum familia nõ miratur, quia eorum plena sunt atria fascibus laureatis. alijs rara dignitas ista cõtingit, in hoc decursu generis pene nascitur Cõsularis. Fauete ergo P. C. nostris muneribus, & vestro nihilominus candidato. Nam licet nuncupemini omnibus generaliter Patres, huic etiam estis specialiter & parentes. Nomen vestrum a curæ similitudine deriuatum, fidelissima rerum applicatione confirmat. non translatitia vsitatione vocabuli, sed honora sorte nascendi. Cedant nobis hanc felicitatem Diuina perpetuam, vt licet gratiam præstetis exoticis, prole vestra innatius gaudeatis.

SENATORI. PRAEPOSITO. ATHALARICVS. REX

SI te voluntas nostra adhuc latẽtem, aut inhonorum forsitan inuenisse, gauderemus quidẽ repertũ, sed bene dubitaremus actu rum. quia spes, magis q̃ fructus, in nouo est. Sed cum domni aui nostri innumeris prouectibus magnoꝙ iudicio glorieris, inconueniens res est, disceptationi subdere, quem vix possumus sub admiratione prædicare. Tanti quippe non examinanda, sed veneranda sententia est. quia non potest de factis eius ambigi. cum & nos ab ipso cognoscamur electi, qui diuinæ supplicationi semper assiduis exegit meritis, vt illa faceret, quæ superna gratia custodiret. Nam quem ille virum aut exercitibus præficiens, cum victoria non recepit? aut Iudicem cingens, non iustissimum cõprobauit? Cum futuris rebus eum crederes habere tractatũ. nam quod concepisset animus, reddebat semper effectus. miroꝙ sapientiæ studio non habebat dubium, quod veraciter præuidebat esse venturum. Denique ex te probare possumus eximium principis institutum. quem primæuum reciens ad Quæstoris officium, mox repperit cõscientia præditum, & legum eruditione maturum. Fuisti nimirum summa temporum laus. vt illum sic ad omnia solicitum inoffensa redderes famulatione securum, dum molem tantam regalis ingenij facundiæ tuę viribus sustineres. Te in dictationibus amœnum, te ad iustitiam rigidum, te habuit a cupiditatibus alienum. Beneficia quippe ipsius nulla abominabili taxatione vendebas. vt honor tibi ad opinionis diuitias proficeret, dum minime prætio subiaceret. Hinc est, ꝙ videbaris æquissimo principi gloriosa dilectione sociatus, quia eras vitijs probabili sequestratione diuisus. Interpellantium te ponderibus sapientissimus arbiter onerabat. tantumꝙ de animi tui cognita disceptatione præsumpsit, vt in beneficijs litium tuum prętaret æstuantibus sine aliqua cunctatione iudiciũ. Quoties ille te grandęuis proceribus imputauit? dum non sufficerent ad primordia tua, quos tanta longęuitas ætatis instruxerat. Erat plane quod in te prædicaret, eximium animũ, ad promerenda beneficia patulum, & contra vitia cupiditatis obstructum. Dum nescio quo pacto rara est in hominibus manus clausa, & aperta iustitia. Veniamus ad Magisteriã dignitatem. quam non pecuniæ dignitate, sed morum noscens suffragio consecutus. quo loco positus semper Quęstoribus affuisti. Nam cum opus esset eloquio defecato, causa tuo protinus credebatur ingenio. Exigebaris a benigno principe, quod se tibi nouerat minime commisisse, & quadam gratia præiudiciali vacabat alios laborare, vt te sententiæ tuæ copiosa laude compleret. Non em̃ proprios fines sub te vlla dignitas custodiuit. quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

conſcientiæ tuæ conſtat creditũ, quod a multis fuit proceribus ſyncerissime peragendũ. Neſciuit quiſquam de te ſubmurmurare contraria, cum tamen de principali gratia ſuſtineres inuidiam. Derogare cupiẽtes vicit integritas actionis. aduerſi tui ſæpe locuti ſunt coacti, quod animus nõ habebat. Nam quælibet malitia formidat contra manifeſta bona aliquid profiteri, dũ generalibus odijs veretur exponi. Egiſti rerum domino ludicem familiarem, & internum procerem. Nam cum eſſet publica cura vacuatus, ſententias prudentum a tuis fabulis exigebat. vt factis propriis ſe æquaret antiquis. Stellarum curſus, maris ſinus, fontium miracula, rimator acutiſſimus inquirebat. vt rerum naturis diligentius perſcrutatis, quidã purpuratus videretur eſſe philoſophus. Longa fiunt, ſi cũcta proferamus. quin potius ad beneficia noſtra cõuertimur. vt quod ab illo cognoſcebatur deberi, ab herede Imperij tibi ſentias iuſte perſolui. Quapropter, ſiuuante Deo, quo auctore omnia proſperantẽ, ab Indictione duodecima in Prefecturæ Pretorianæ te ſuggeſtu, atq; inſignibus collocamus. Vt probatũ ludicem ſine metu prouincię ſuſcipiant, quas hactenus improborum cognouimus actione fatigatas. Sed quanuis habeas paternam Præfecturã, Italico orbe prędicatam, aliorũ tibi tamen exempla nõ ponimus. vetera moribus tuis, & omniũ voto compleſti. Percurre, iuuante Deo, gloriæ campum, quem ſemper a te nouimus expetitum. Nam ſi te continentẽ (vt credimus) & dignitas iſta probauerit, hoc eſt ſæculi ambitioſa ſuperaſſe. Solitus es quidem iuſta nõ vendere. ſed nunc oportet impenſis læſis per iniuriã ſubuenire. Inuigilet incorruptibilis ſenſus aduerſus male conſuetas manus. Excludatur vndiq; ſtudiũ fraudulentum. Quia hoc dignum eſt per ludicem peruenire ſyncerũ. Diutius quidem differendo pro te cunctorũ vota laſſauimus, vt beneuolentiã in te probaremus generalitatis, & in cũctis deſiderabilior aduenires. Habet hoc enim humana conditio, vt celerius adepta faſtidio ſint. dum omne precioſum vilescit oblatũ. & contra, dulcius accipitur, quod ſub aliqua dilatione præſtatur. Sed non ſumus tantũmodo de tuorum temporum laude contenti. perquire omnia, ad titulos Præfecturæ Prætorianę pertinentia, quæ aliorum viſa eſt fraudare cupiditas. Non liceat, quenquam gloriari furtis aut prędicijs ſuis. Lumen te immiſimus rebus cælatis. quando nec prudentiæ tuæ quiſquam poterit illudere, nec fidem aliqua oblatione lentare. Conſtitue & huic regulam dignitati, qui ante actis faſcibus mirabilis continentiæ exempla præbuiſti. Nã licet omnes pene honores ſummos æqualiter egeris, habes tamen propoſita conſcientiæ bona, vbi nullam decet eſſe menſurã. Hic enim decorum eſt, terminum non habere. Hic honeſta probatur ambitio, cuius etiam & nimietas placet. Omne ſiquidem prędicandum quanto profuſius quæritur, tanto glorioſius inuenitur.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. ATHALARICVS. REX

CVmulauimus quidem P. C. beneficijs noſtris copioſum virtutibus, diuitem moribus, plenũ magnis honoribus ſenatorẽ. Cuius ſi merita conſideretis, debemus omne, quod ſoluimus. Qua enim compen

compenſatione commendandus eſt, qui aures dominantium luculenta ſæpius prędicatione compleuit? Dignitates ſibi creditas eximia grauitate tractauit. & niſus eſt tempora facere, quę merito laudarentur in principe. Trahebat regnantis animum veritas & diſertitudo dictorum, cui ſic omnia retulit, vt miraretur ipſe, qui fecit. Allegauit ſolus, quod omnes iuuaret. & dum purpuratas auditori ſuo ferierat laudes, gratioſum vobis noſtrum fecit imperium. Commendat enim ſuam gentem, qui oratione placabili permulcet regiam ſummitatem. quando ex vobis & alter talis creditur, a quo ſimilia poſtulentur. Patrem quoque clementiæ noſtræ in ipſa Curia libertatis qua diſertitudine deuotus aſſeruit? Recolitis quemadmodum facta eius orator nobis excolebat, virtutes ipſius plus mirabiles faciens, & honores. In abſoluto datur probare, quod dicimus. Aeſtimate P. C. quali gratia potuiſtis ab illo reſpici, a quorum ſe corpore ſic videbant ornari. Glorioſis quippe dominis gratioſa ſunt præconia, & tributa. Quia ſtipendium & tyranno penditur. prædicatio autem niſi bono principi non debetur. Quid præconiales viri creditis, his tantum fuiſſe contentum, vt dominos niterentur laudare ſuperſtites, a quibus dum viciſſitudo prẽmiorum forſitan quęritur, laboris tædia non vitantur. tetendit ſe etiam in antiquam proſapiem noſtram. lectione diſcens, quod vix maiorum notitia cana retinebat. Iſte Reges Gothorum longa obliuione cælatos, latibulo vetuſtatis eduxit. Iſte Amalos cum generis ſui claritate reſtituit. euidenter oſtendens, in decimam ſeptimam progeniem ſtirpem nos habere regalem. Originem Gothicam hiſtoriam fecit eſſe Romanam. colligens quaſi in vnam coronam germen floridum, quod per librorum campos paſſim fuerat ante diſperſum. Perpendite quantum nos in noſtra laude dilexerit, qui veſtri principis nationem docuit ab antiquitate mirabilem. Vt ſicut fuiſtis a Maioribus veſtris ſemper nobiles æſtimati, ita vobis rerum antiqua progenies imperaret. Credimus P. C. & ſi adhuc referre volumus, beneficia collata ſuperantur. Noſtris quoq; principijs quanto ſe labore conceſſit? cũ nouitas regni multa poſceret ordinari, erat ſolus ad vniuerſa ſufficiens. Ipſum dictatio publica, ipſum conſilia noſtra poſcebant. & labore eius actum eſt, ne laboraret imperium. Repperimus eum quidem magiſtrum, ſed impleuit nobis Quæſtoris officium. & mercedes iuſtiſſima deuoluens cautela, quam ab auctore noſtro didicerat, libenter heredis vtilitatibus exhibebat. Verum his aliquid maius adijciẽs, primordia regni noſtri & armis iuuit & literis. Nam dum curæ litorum regias cogitationes inceſſerent, ſubito a literarum penetralibus eiectus, par ſuis maioribus ducatum præſtitit intrepidus. cui quia defuit hoſtis, moribus triumphauit eximijs. Nam deputatos Gothos proprijs pauit expenſis. vt nec prouinciales percelleret, nec fiſcum noſtrum expenſarum oneribus ingrauaret. Arma eius nulla poſſeſſorum damna ſenſerunt. Fuit nimirum prouinciarum veriſſimus cuſtos. Nam ille defenſor proprie dicendus eſt, qui tuetur innoxie. Mox autem, vt tempus clauſit nauium commeatum, bellicq; cura reſoluta eſt, ingenium ſuum legum potius

Universidad de Deusto
Biblioteca

ductor exercuit. sanans fine litigantium, quod ante sub pretio constabat esse laceratum. Talem Metelli in Asia, talem Catonis in Hispania legimus fuisse dictatum. qui plus de sua disciplina, q̄p per arma laudati sunt. non iniuria, quia hostem congredi varius semper euentus est. indubitata vero gloria, morum custodisse mensuram. Quid ergo? nunquid tali actione præsumens aliqua se elatione iactauit? dum est familiare hominibus extolli, cum bene de se cognouerint æstimari. Nonne tanta se communione tractauit, vt principis sibi gratiam ad beneficia tanta crederet esse concessam? Beneuolus cunctis, moderatus in prosperis, ignorans nisi grauiter lacessitus irasci. Qui cum sit iustitia rigidus ad remissiones irarum non perdurat austerus. suarum rerum distributor egregius. & dum nesciat aliena quærere, nouit propria largus offerre. Hos igitur mores lectio diuina solidauit. quoniam sæpe bene geritur, si cœlestis metus humanis motibus opponatur. Hinc enim virtutum omnium sumitur manifesta cognitio. hinc sapientia veritatis sapore conditur. Sic ad omnia redditur humilis, quem imbuit doctrina cœlestis. Huic ergo P. C. deo auspice, a duodecima Indictione Præfecturæ Prætorianæ regendam tribuimus dignitatem. vt querelas omnes inficiatione collectas, deo præstante, sua integritate componat. faciatque tam nimium desideratus, vt cunctis possit esse beneficus. Assint superna dispositis. vt quem nos probauimus longa conuersatione prudentem, prosperrimus sibi, fidelissimus nobis, vtilis Reipublicę debeat inueniri. & relinquat posteris famam, per quam glorioſam singulis suam faciat esse familiam.

MAGNI

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM · LIBER · DECIMVS

IVSTINIANO · IMPERATORI · AMALASVENTHA · REGINA

AD Deo, clementissime principum, vobis amore inhæsimus, vt distulerimus hactenus indicare filij nostri glorioſę recordationis occasum. ne amantis læderemus animum post tristia nuntiorum. sed nunc iuuante Deo, qui consueuit casus asperos in prospera commutare, illa magis elegimus in vestram deferre notitiam, de quibus nobiscum positi, participata exultatione gaudeatis. Iuuat enim, diuina munera diligẽtibus confiteri. Perduximus ad sceptra virum nobis fraterna proximitate cõiunctum, qui regiam dignitatem communi nobiscum consilij robore sustineret. vt et ille auorum suorum purpureo decore fulgeret, & animos nostros solatium prudentis erigeret. Iungite nunc vota felicia. Vt sicut nos in imperio pietatis vestræ omnia fieri prospera desideranter experimur, ita nobis fauere vestram beneuolentiam comprobemus. Peracto itaq; nuntio, vt qui vobis pro ingenita clementia credimus esse votiuum, addimus etiam gratissimæ legationis officium. vt pacem, quam mente semper geritis, etiam mihi retineatis esse collatam. adiectione quoq; temporũ proteletis. Nam licet concordia principum semper deceat, vestra tamen absolute me nobilitat. quoniam ille redditur amplius excelsus, qui vestræ glorię fuerit vnanimitate cõiunctus. Sed quoniam epistolarum breuitate vniuersa sufficienter nequeunt expediri, salutantes reuerentia competenti, quædam Legatis nostris verbo vobis insinuanda cõmisimus. quæ consuetudine vestræ serenitatis libenter accipite. vt ab omnibus euidenter possit agnosci, quod iuste nobis probamus de vestra mansuetudine polliceri. Conuenit enim, de vobis indubitãter præsumi. quando & nos pro desiderio vestro in his, quos commendastis, talia facimus, qualia vos speraſſe cognouimus.

IVSTINIANO · IMPERATORI · THEODAHADVS · REX

NOuis Regibus mos est, per diuersas gentes prouectus sui gaudia nuntiare. vt acquirãt affectũ principis externi de ipsa cõmunione regnandi. Quod facienti mihi, pijssime Imperator, multo melius diuina tribuerunt. quoniam vestram gratiã securus expeto, quã præcellentissimã sororem nostram vobis pepigisse cognosco. Ab eius enim iudicio me nullatenus deuiare certissimum est, quæ tanta se sapientiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

luce resplendere, vt & propria regna mirabili dispositione cõponat, & promissam cunctis gratiã robusta firmitate custodiat. Ideo em̃ me curarũ suarũ fecit esse socium, quatenus & ego illos desiderẽ habere reuerendos, quos sibi ipsa fecit esse pacificos. prudẽtiæ suæ more dijudicans, vt taliũ amicitias eligeret, qui in toto Orbe simile nil haberent. Necꝫ enim noua est ista dilectio. nam si decessorũ nostrorũ facta recolatis, agnoscitis quandã esse consuetudinis legẽ, cum illo imperio amicitiã Amalos semper habuisse. Quæ tanto certior, quanto vetustior. quia facile mutari nõ potest, qđ per longa sæcula custodit. Suscipite itaqꝫ affectuosis mẽtibus et nostra primordia, & domnæ sororis nostrę, cui singulariter studetis, iudicio fauete. Nã si me similiter diligitis, Regẽ quodãmodo pariter efficitis. Sed quoniã nos amplius loqui desideria nouitatis exposcũt, & literarius sermo narrare plurimũ non patit, ideo tãtis meritis (sicut dignũ est) salutatiõnis honore cõpleto, harũ portitoribus Legatis nostris aliqua pietati vestræ delegauimus intimãda. qa nemo vtilius tractat, q̃ qui vestræ mansuetudini cõmittere sua vota deliberat.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. AMALASVENTHA. REGINA

POst flebilem filij nostri diuæ recordationis occasum, vicit animũ pię matris generalitatis affectio. vt nõ mœroris sui causas, sed vestra potius augmenta cogitaret. Quæsiuimus, regales curas quo solatio fulciremus. Sed auctor ille castitatis & misericordiæ singularis, qui nobis primæuũ subtracturus erat filiũ, maturi fratris reseruauit affectũ. Elegimus, deo auspice, consortẽ regni nostri Theodahadũ. Vt qui hactenus Reipub. molẽ solitaria cogitatione pertulimus, nũc vtilitates omnium iunctis consilijs exequamur, quatenus in tractatibus duos, in sentẽtijs vnus esse videamur. Astra ipsa cœli mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participata Mundũ suis luminibus administrãt. Ipsi quoqꝫ homini duplices manus, socias aures, oculos geminos, diuina tribuerũt. vt robustius perageretur officiũ, quod duorũ fuerat societate complendũ. Exultate P.C. & factum nostrũ supernis cõmendate virtutibus. Nihil reprehensibile desideramus agere, quæ cũ consilio alterius cuncta delegimus ordinare. Cõmunio siquidẽ regni mores asserit. quoniã placabilis esse iuste creditur, qui potestatis suæ habere participem comprobatur. Reseruauimus itaqꝫ, deo iuuante, palatia viro nostri generis, claritate cõspicuo, qui Amalorũ stirpe progenitus, regalẽ habeat in actibus dignitatem, patiens in aduersis, moderatus in prosperis, et, quod difficillimũ potestatis genus est, olim rector sui. Accesit his bonis desiderabilis eruditio literarum, quæ naturam laudabilẽ eximie reddit ornatam. Ibi prudens inuenit, vnde sapientior fiat, ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboret. inde princeps accipit, quẽadmodum populos sub æqualitate cõponat. Nec em̃ aliqua in mundo potest esse fortuna, quã literarũ non augeat gloriosa notitia. Accipite quid maius generalitatis vota meruerũt. Princeps vester etiã Ecclesiasticis est literis eruditus. a quibus semper quicquid est pro honore cõmonemur, iudicare recte, bonũ sapere, diuina venerari, futura cogitare iudicia. Necesse est enim, vt sequat̃ iustitiæ vestigium

vestigium, qui de sua sententia causam se credit esse dicturũ. Viderim quæ lectio acuat ingenium diuina, semper efficere nitit̃ pium. Veniamus ad illam priuatæ Ecclesiæ largissimã frugalitatem, quę tantam procurabat donis abundantiam, cõuiuijs copiã, vt considerato eius antiquo studio, nihil noui habere videat̃ in Regno. In hospitalitate promptus, in miseratiõe pijssimus. Sic cum multa expenderet, census eius cęlesti remuneratione crescebat. Talem vniuersitas debuit optare, qualẽ nos probamur elegisse, qui rationabiliter disponens propria, nõ appetat aliena. Tollitur enim necessitas principibus excedendi, quoties assueuerint propria moderari. Laudata nimirũ sententia, quæ rerum præcipit modum. quia nimium non placet, etiam quod bonum putatur. Gaudete nunc P.C. & supernæ gratię pro nobis vota persoluite. quando talem mecum constitui principẽ, qui & de nostra æquitate bona faciendo propria suæ pietatis ostendat. Hunc enim & Maiorum suorum commonet virtus, & auunculus efficaciter excitat Theodericus.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEODAHADVS. REX

DIuina nobis beneficia P.C. peruenisse, feliciter nuntiamus. dominam rerũ, toto Orbe gloriosam, consortẽ me regni sui larga pietate fecisse. vt nec illi deesset fidele solatiũ, & nobis habitum congrue præstaretur imperiũ. Suscipiat̃ gratissime, qđ generalitatẽ constat ornasse. Reserentur nũc sine metu vota cunctorũ. Vt vnde periculum pertuli, inde me vniuersitas cognoscat ornari. Prę sumpsistis em̃ me inconscio susurrare, qđ palam nõ poteratis assumere. Quantũ vobis debeã, hinc datur intelligi, vt illud mihi festinaretis diuinitus euenire, qđ meus animus nõ audebat appetere. Hoc vobis est potius nouũ, q̃ nobis incognitũ. Magna ergo gratia completũ debet accipi, qđ velociter quẽ oportebat videbat̃ aperiri. Sed si quid de vobis meremur, cum tamẽ plurimũ apud vos valere nostram cõfidamus, domnę & sororis nostræ glorioſas laudes iugiter psonate. Quę magnitudinẽ imperij sui nostra voluit participatione roborari. vt tanq̃ in duobus lumĩbus vnus esset aspectus, & cõcordẽ sensum nemo crederet segregatũ. Sic sunt em̃ simul, quos & gratia iũgit, & parentela cõciliat. Arduũ sibi hoc forsitã æstiment impares mores. difficile est, illos aliter viuere, qui sibi possunt bonarũ cogitationũ similitudine cõuenire. Cõsiliũ quippe imitari detrectat improuidus, sapientiã vero ille quęrit in altero, penes quem est scientiæ magnitudo. Sed inter diuersa munera, quæ nobis cũ regia maiestate diuina tribuerũt, illud amplius permulcet animum nostrum, cp nos sapientissima domina, trutina magnę disceptationis, elegit. cuius prius ideo iustitiã pertuli, vt prius ad eius prouectionis gratiã peruenirẽ. Causas enim, vt scitis, iure cõmuni nos fecit dicere cũ priuatis. O animi nobilitas singularis. En æquitas mirabilis, quam Mundus loquatur, Non dubitauit parentem prius iuri publico subdere, quem paulopost voluit ipsis quoqꝫ legibus anteferre. Explorauit conscientiã, cui erat Regni tradita censuram. vt & illa domina cognosceretur esse cunctorũ, & me probatum perducere dignaret̃ ad regnũ. Quando his muneribus, quãdo solua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus tantæ gratiæ quę debemus? vt quæcũq; paruulo filio imperauit sola, nunc mecum delegerit regnare sociata. In ipsa est enim decus regnorũ omnium, in ipsa nostræ originis flos bonorũ. Quicquid fulgemus, ab eius claritate suscipimus. Quoniã non solũ parentibus laudem contulit, sed ipsum quoq; genus humanitatis ornauit. Quis possit sufficienter edicere, quanta pietate, quanto morũ pondere decoretur? Discerẽt profecto noua philosophi, si viderent, & minora libris suis faterentur condita, cę huic cognoscerẽt attributa. In tractatibus acuta, sed ad loquendũ summa moderatiõe grauissima. Hæc est regalis proculdubio virtus, celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorũpere. Nescit enim pœnitenda loqui, qui, pferenda prius suo tradidit examini. Hinc est, qp eius doctrina mirabilis per multiplices linguas magna vbertate diffundit. cuius ingeniũ ita paratũ reperitur ad subitum, vt non putetur esse terrenũ. In libris Regũ regina Austri venisse legit ad discendam sapientiã Solomonis. hic principes audiant, qđ sub admiratione cognoscant. Paucis verbis sensus clauditur infinitus, & summa facilitate cõponitur, quod ab alijs nũc sub longa deliberatione formatur. Beata Respub. quę tantæ domine gubernatione gloriat. Minus fuit, vt generalitas sub libertate seruiret. additũ est tantis meritis, ne ei subderet & reuerentia principalis. Hoc enim obsequio dignissime dominamur. Nam cũ tantæ prudentiæ pareo, cunctis virtutibus obsecundo. Sub tali siquidẽ monitore regni pondere nõ grauamur. Dũ si qd sit pro nouitate incognitũ, fiet nobis eius instructione certissimum. Ad bonum publicum veritatem non pudet confiteri. Agnoscite principes viri, sapientissimæ esse dominæ, quod in nobis potuerit plus placere. Illam enim aut interrogando melius sentimus, aut eius imitatione proficimus. Viuite nunc felices. Viuite, deo auxiliante, concordes. & ęmulamini gratiam, quã regiam cognoscitis tenere concordiam.

THEODOSIO. HOMINI. SVO. THEODAHADVS. REX

PRotestatis nostræ censuram, rerum volumus esse modestiam. vt quantũ diuina beneficia percepimus, tantũ æquabilia plus amemus. Priuata siquidem studia a nostro animo probãtur excluſa. quia generalis dominus custos factus sum, Deo auxiliante, cunctorum. Et ideo præsenti iussione præcipimus, vt quicunq; ad domũ nostram noscitur pertinere, & curæ tuæ probatur esse commissus, nullis præsumptiõibus insolescat. Quia solus dicẽdus est ille meus, qui legibus potuerit esse tranquillus. Augete famã nostram, per patientiã vestrã. Si quis habuerit cum altero forte negociũ, ad cõmunia iura descẽdite. fora vos tueantur, non iniqua præsumptio. A domesticis inchoare volumus disciplinã, vt reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiã nõ præbere. Mutauimus cũ dignitate propositũ. & si ante iusta districte defendimus, nunc clementer omnia mitigamus. quia domum exceptam non habent principes, sed quicquid diuino auxilio regimus, nostrũ proprie confitemur. Estote ergo circa eos, qui iuri nostro ante fuere subiecti, omnino soliciti, nullum contra legem aliquid permittatis excedere. Laus ad me potius perueniat,

perueniat, ę aliqua querela procedat. quia bona conscientia tunc vere imperat, cum generaliter præstare festinat.

PATRITIO. V.I. QVAESTORI. THEODAHADVS. REX

NEcessarium probatur Reipub. personas dignitatibus aptas eligere, vt cui iustitia committitur, malis moribus non grauetur. Alioqui inefficax, est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere. contra, confidenter quæritur, quod inesse sentitur. Et ideo primum nobis placuit tuos mores inspicere, sine quibus possunt quælibet optima displicere. Ornamentum enim bonorum omnium est syncera benignitas. quę non est sola, quia de virtutibus videtur esse generata. Ordinem serua nostri iudicij. vt sicut hęc prima quæsiuimus, ita te custodire iustitiam præ omnibus sentiamus. Secunda nobis cura fuit, eloquentiæ tuæ fluenta perquirere. quẽ licet singulariter diligamus, moribus tamen iuste postponimus. In illis enim vita cognoscitur. hic tantũ lingua laudatur. sed in te valde decorum. quia vtrunq; noscaris habere sociatum. Aequaliter enim splendes actionis merito, & dictionis eloquio. vt iuste possit intelligi. per te voluntas principis expeditur. Nam inter cæteras artes oratoriam sic diligimus, vt eam ornamẽtum omnium literarum esse fateamur. Quicquid enim in qualibet disciplina concipitur, ab ista sub decore profertur. Reperiat quanuis magna philosophus, quid proderit sentire, si laudabiliter non possit excolere? Naturale est, inuenire, sed facundi, decenter asserere. Quale em̃, cunctis desiderantibus loqui? & res oratione ita diserte dicere, quas etiam prudentes se mirentur audisse? In hac te cognouimus arte prualidũ, vt & suadere possis suauiter, & suggestionibus tuis nescias maligna miscere. Atque ideo Quęsturę tibi fasces per decimamtertiam Indictionem, propitia diuinitate, cõcedimus. vt facies generalitatis votum veridicorum sequendo iudicium. Totum te legibus, totum responsis trade prudentiũ. Sic nobis optime consuleris, si priscorũ seruias constitutis. Considera, in verbis tuis laudem positam principalem. Fama nostra est, quod loqueris. conscientia, sine dũbitatione quod sentis. Intellige tamen quantum sit, quod a te exigatur, cui opinio nostra committitur. Hæc subiectos nostros amplectitur. hæc per gentes exteras peruagat. per hanc vbi non videmur, agnoscimur. Decreta nostra tradunt ciuitatibus prouincijsq; sermones. Iudicare de nobis possunt, qui etiam nostris iussionibus obsecuntur. Summo ergo studio constat esse seruandum, quod de nobis potest ferre iudicium.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEODAHADVS. REX

POst primordia nostri imperij, vobis feliciter nuntiata, congrua nobis contigit P. C. causa sermonis. vt iudicem nos cognoscatis elegisse, cuius vos lingua possit ornare. Quæstor enim eloquens Reipub. decus est, qui & vota nostra optime videatur edicere, & Antiquorũ iura firmo consilio custodire. Hic est em̃ Patritius suis iam vocabulis honoratus. Nam perpetua fruitur laude, cui est honor in nomĩe. cuius affluentem facundiam studia Romana genuerũt, ostentans merito de loci

dignitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignitate peritiam. Nam qui illic potuit imbui, meruit vbiq; laudari. ibi defecatus sermo latinus est. inde discuntur verba toto nitore lucentia. Aliq regiones vina, balsama, & olentia thura transmittãt, Roma tradit eloquium, quo suauius nil sit auditum. Sic bonis artibus eruditus, mox est forensibus aptatus excubijs. vt oratores, quos longa meditatione præceperat, a simili declamatione monstraret. Notum est etiam, quanta cum collegis suis moderatione contendit. Certaminibus eius modestia semper affuit. dicendi calore raptatus, studuit laudabilibus inuentis. non, quod plerique faciũt, vacauit iniurijs. qui sic perorauit causas sub tranquillitate, vt mores proprios semper assereret. Contendisse siquidem, non litigasse repertus est. Alienam enim causam faciebat suam gloriam. Nam sic cognitus est vincere, vt probaretur contrarium animum nõ læsisse. Talem itaq; virum non decuit diutius iustitiã petere, sed docere. Quia iudicaria virtus est, linguę bonis abundare, & mentis temperantiam custodire. Cognoscite P. C. quid fieri velimus, quando in iudicibus primum mores elegimus, in ea magis dignitate, quæ iura consueuit edicere. Non enim temporibus nostris potestate regia est armata Quæstura, sed legibus probatur esse composita. Velle nostrum Antiquorum principum est voluntas. quos in tãtum desideramus imitari, quãtum illi iustitiam sunt secuti. Illa est enim reuerenda priorum auctoritas, quæ a recto tramite non declinat. Sequendi enim necessitatem reliquit posteris, qui iustitiam suis miscuerit constitutis. Et ideo P. C. per decimamtertiam Indictionem, Illustri Patritio Quæsturę cõtulimus dignitatem. vt qui est clarus nomine, magnificus etiam sit honore. Fouete in eum nostra iudicia. vt quod nos præstitimus, vobis placitum nihilominus sentiatur.

IVSTINIANO. AVGVSTO. AMALASVENTHA. REGINA

ATa nos gratia vestræ pietatis oblectat, vt quicquid ad decorem nostrum potest proficere, libẽter a vestris velimus partibus postulare. Quia talia nobis diuina tribuerũt, vt & vos eius affluenter muneribus abundetis, et sperãtibus benigno animo, quę sunt necessaria, concedatis. Et ideo mansuetudinem vestram reuerẽter salutans, harum portitorẽ illum ad excellentiæ vestrę beneficia destinaui. vt marmora, vel alia necessaria, quæ quondam Calogenitũ comparare feceramus, per pium portitorem ad nos peruenire, domino fauẽte, iubeatis. Vt cognoscamus nos a pietate vestra re vera diligi, quorũ facitis vota compleri. Vestra enim gloria est noster ornatus. quando vos præstitisse cognoscit, quod nostris laudibus applicatur. Decet enim, vt & Orbis iste Romanus iuuamine vestro resplendeat, quem amor vestræ serenitatis illustrat.

IVSTINIANO. AVGVSTO. THEODAHADVS. REX

AEquum est, sapientissime Imperator, vt illa nobis libenti animo faciatis impendi, ad quæ si essemus desides, a vestra potius clementia deberemus hortari. Vobis enim gratum esse non dubium est, quicquid per nos ad Italiæ decorem contigerit expediri. Quia

Quia laudibus nostris iure proficit, quãdo videtur crescere, quod ad nostrę Reipub. potest gloriam pertinere. Quapropter exhibens principatui reuerentissimum salutationis affectum, harum portitorem ad illa direximus exhibenda, ad quæ quondam Calogenitus fuerat destinatus. vt, & si persona rebus humanis subtracta est, veniant. Ne cassetur desiderium, quod conuenienter est de vestra præsumptione secutum.

THEODORAE. AVGVSTAE. AMALASVENTHA. REGINA

DVm propositi nostri sit, illa quærere, quæ probantur ad gloriam principis pertinere, dignum est vos sermone venerari, quos bonis omnibus constat semper augeri. Concordia nõ est sola præsentium. quinimmo illi se melius respiciunt, qui animi caritate se coniungũt. Atq; ideo reddens augustæ reuerentiæ salutationis affectum, spero vt redeuntibus Legatis nostris, quos ad clementissimũ & gloriosissimum principẽ destinauimus, de vestra nos faciatis sospitate gaudere. Quia prospera vestra ita nobis grata videntur, vt propria. & necesse est, sospitatem desideranter suscipere, quam nos iugiter constat optare.

MAXIMO. DOMESTICO. V. I. THEODAHADVS. REX

SI gloria est bonorum principum, incognitas honoribus clarificare personas (dum quicquid a subiectis proficitur regnantiũ laudibus applicatur) quãto nobis prestantius est, nobilissimę familię reddere, quod eam cognoscimus etiã nascendi sorte meruisse? Sic enim iustitiam sequimur, si bonis heredibus parentum præmia non negemus. Decet em̃, etiam priores suos vincere, qui ad nostra meruerunt tempora peruenire. Anitios quidem pene principibus ætas prisca progenuit, quorũ nominis dignitas ad te sanguinis fonte perducta, collectis viribus hilarior instaurata rutilauit. Quis ergo relinqueret in posteris minus honoris, quos tam diu constat fuisse precipuos? Accusarentur sæcula, si talis potuisset latere familia. Atq; nobis Marios vel Coruinos annosior vita seruasset, vix saciaretur principis votum, si nos contingeret personas illas talium possidere meritorum. quemadmodum nunc profecto negligamus inuenta, qui desideramus habere preterita? Atq; ideo (quod feliciter dictum sit) Primiceriatus, qui & Domesticatus nominat̃, ab Indictõe decimaquarta tibi conferimus dignitatem. Vsurus es omnibus titulis, qui ad eius pertinent actionem. Hic honor quanuis tantis natalibus videatur inferior, cunctis tamen fascibus tuis videtur esse felicior, cuius tempore meruisti coniugem regiæ stirpis accipere, quam in tuis curulibus nec præsumpsisses optare. Age nunc, vt sicut tibi est votiuus, ita nobis reddatur acceptus. Considera quod merueris, & dignum te nostra affinitate tractabis. Nam qui familiæ regnantis adiungitur, in laudum gremio collocatur. Nunc maior opera mansuetudini detur. nunc omnibus communio benigna præbeatur. vt talem probemur elegisse, quem nulla possit prosperitas immutare. Humilis

age rem

Universidad de Deusto
Biblioteca

agerem gloriæ. quia de modestia laus sumitur, de elatione odiū concitatur. Prouectibus quidem proxima est indubitāter inuidia. sed tolerantia melius vincitur, quæ contentione semper augetur. Supra cæteras enim virtutes amicam sapientibus ama patientiam. erectus ex nobis, sustinendo potius q̄ vindicando laudaberis. Iram vince. benigna dilige. caue ne maior videat esse felicitas moribus tuis. sed qui nostro iungeris generi, proximus glorioſis actionibus comproberis. Laudati sunt hactenus parentes tui, sed tanta non sunt coniunctione decorati. Nobilitas tua nō est vltra quod crescat. Quicquid præconialiter egeris, proprio matrimonio dignissimus æstimaris.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEODAHADVS. REX

NE quis nos, P. C. in honoribus dandis non æstimet habuisse rationē, q̄ post insignia Consulatus minora magis posterius conferamus. Quinimmo nobis merita candidati, ne iā maturus nulla videretur sumere, qui primæuus emerita cognoscit accepisse. Auari quippe principis erat, in vno honore spatia vitę tam magna concludere, & ideo magis nihil præstare, quia prius cognoscitur summa meruisse. quin potius omnia ꝑmiscue concedamus. Nulla dignitas minor est, cū bene geritur. quando reuerentiam plerunq; actio videtur accipere de claritate personæ. Hæc autem tunc sunt gradibus distincta, cum diuersis fuerint attributa. Nam honorem suum semper æqualiter retinet quicquid probe retinet Cōsularis. Sic minorum fluminū vocabula maior amnis absorbet. & q̄uis plurima fluenta Tiberis noster excipiat, tamen a proprio nomine nō declinat. Et ideo, qd̄ feliciter dictū sit, illustri viro atq; magnifico Patritio Maximo Primiceriatus, qui & Domesticatus nominat̄, a quartadecima Indictione gerendam tribuimus dignitatem. vt mediocritas honoris merito crescere præsidentis. Neq; enim fas est humile dici, quod gerit amicius. familia toto Orbe prædicata, vere dicitur nobilis, quando ab ea actionis probitas nō recedit. Sed his bonis addimus P. C. vt vestrę affinitati prę celsæ clara familiæ nostræ gratia misceatur. Verum hanc gloriam non sibi tantum potest vnus assumere, quam nos probamur Romano nomini contulisse. Reddite affectui meo plenissimam caritatem. Plus est amandus a domino, qui parentis nomen dignatus est præstare subiecto. Sed æquum est P. C. vt carus existat, per quem vobis talia contigerunt. Exultate generaliter, & has nuptias lætitia profusa celebrate. Vnde profecit nomen omnium, vota debent esse cunctorū. Quæ preces a me exigere potuerūt, quod meus animus spontanea deliberatione concessit? vt vestri ordinis viros parentes vere appellare possimus, qui nobis affinitatis claritate iungendi sunt.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEODAHADVS. REX

POstquam venerabiles viros Episcopos agnita legatione remisimus, nec petitionibus vestris, quanuis essent quędam reprehensibilia, noster animus obuiasset. veniētes ad nos aliqui rettulerūt, ciuitatem Romanam adhuc inepta solicitudine laborare, & id agere,

agere, vt nisi nostræ mansuetudinis interesset, pericula sibi potius certa ex dubijs suspitionibus concitaret. Vnde æstimate, cui debeat populorū inanis leuitas imputari, nisi vestro ordini, a quo decuerant cuncta componi. Per vestram siquidem sapientiam admoneri prouincias oportuit vniuersas. vt talia probarentur assumere, quæ principis primordia viderentur ornare. Verum quæ ciuitas non fiat excusabilis, si Roma deliquerit? Res minor ad potioris currit exemplum, & alieni facti iure inuidiam sustinet, quæ peccatis præstat exemplum. Sed gratias diuinitati referimus, quæ dona sua vestris potius ornauit excessibus. Ecce prius culpas ignoscimus, q̄ deuotiones aliquas sentiamus. Nil debemus, & soluimus. ante benefici sumus, vt postea gratissimos inuenire possimus. Sed licet in hac parte nostræ modestiæ grauitas asseratur, nolumus tamen vos tantum prædicari, nisi vt & deuotionis Romanæ benignitas possit ostendi. Plus enim vestra opinione pascimur, q̄ si de nostra tranquillitate laudemur. Amouete suspitiones, ab ordine vestro semper extraneas. Nō decet Senatum corrigi, qui debet alios paterna exhortatione moderari. Nam ex quibus habebunt genium mores, si parentes publicos minores contigerit inueniri? Sufficiunt hęc nobilibus, sufficiunt ista verecundis, vt ad studiū perfectæ deuotionis incitemus, quos paululum de praua suspitione culpamus. Nos enim, q̄ præsentiam vestram expetiuimus, non vexationis iniuriam, sed vtilitatis vestræ causas profunda cogitatione tractauimus. vt illud magis debuissetis efficere, quod vobis cognouimus expedire. Certe munus est, videre principem. Hoc vobis pro Reipub. vtilitate volumus fieri, quod præmijs solebat optari. Sed ne ipsa remedia in aliqua parte viderentur austera, cum res poposcerit aliquos ad nos prę cipimus euocari. vt nec Roma suis ciuibus enudetur, & nostra consilia iuris prudentibus adiuuentur. Redite ergo in pristinam deuotionem, vt solicitudines meę, quas pro generalitate sustineo, vestro potius adiuuentur ingenio. Quia hoc vobis semper institū fuit, principibus vestris votum puritatis offerre. nec parere necessitate terroris, sed potius amore dominantis. Reliqua per illum harum portitorem verbo dicenda cōmisimus. vt summotis cogitationibus ambiguis, nostris admonitionibus credere debeatis.

POPVLO. ROMANO. THEODAHADVS. REX

LIcet vobis sit insitum, dominos vestros pura mente diligere. & obsequijs id agere, vt regnantis animum possitis habere placabilem. hoc tamen Maiorum vestrorum semper proprium fuit, vt tanquā membra capiti, ita suis principibus viderentur adiungi. Quam enim vicissitudinem reddat, qui maximo labore defenditur, cuius per dies singulos ciuilitas custodit̄, nisi vt illos diligat supra omnia, per quos habere probatur immēsa? Absit enim a temporibus nostris, vt in vobis aliquid tale reperiamus, quod nostris indignationibus esse possit idoneum. Fides vestra, quę vos hactenus asseruit, modo potius euidēter ostendat̄. Non vanum, nō dolosum, nec seditionibus plenū, populum decet esse Romanū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mali mores nostro nomini probantur aduersi. Sed hoc quoq; mirabile est, q; grauitatem vestrã cogimur admonere, quam constat semper sponte sapuisse. Nullę vos ineptę suspitiones, nulla timoris vmbra deterreat. Habetis principem, qui pietatis studio optet in vobis inuenire, quod diligat. Hostibus vestris, non defensoribus obuietis. Inuitare, non excludere debuistis auxilium. Sed sensus iste fortassis eorum est, qui minus probantur intelligere, quæ generaliter poterant expedire. Ad vestrũ potius redite consiliũ. Nunquid vos noua gentis facies vlla deterruit? Cur expauistis, quos parẽtes hactenus nominastis? Qui relictis familijs ad vos venire properabant, de vestra erant potius securitate soliciti. Quãdo, rogo, talis ab illo viciſſitudo recepta est, cui salutis prẽmia debebantur? Illud enim, qd ad nos attinet, scire debuistis. quia die noctuq; incessanter optamus, vt quod parentũ nostrorũ temporibus constat enutritũ, sub nobis potius diuinis auxilijs augeat. Vbi em̃ fama regnantis erit, si vos (quod absit) patiamur imminui? Nolite talia cogitare, qualia nos min̄e videtis assumere. Immo magis, si quis aliqua iniquitate depressus est, spem de bona conscientia non amittat. Quoniã sublevare cupimus, quos int̄edere probis moribus inuenimus. Aliqua etiã vobis per illum dicenda cõmisimus. vt nostrum circa vos in omni parte animum propitium sentientes, iugibus (sicut oportet) obsequijs, & oratione syncera deuoti esse debeatis.

IVSTINIANO. IMPERATORI. THEODAHADVS. REX

COnstat, desideriũ nostrę voluntatis expleri, quoties ad pietatem vestram salutiferos apices cõtigerit destinari. Quia semper felici gaudio repletur, qui vobiscũ syncera mente colloquitur. Et ideo salutans clementiã vestram honorificentia cõpetenti, harũ portitorem pro negocio Rauennatis Ecclesiæ venientem, gratissima vobis petitione cõmendo. Quando talis offertur causa prestandi, vbi merces videat acquiri, quam vos facere semper exoptant, qui serenitatem vestrã florere desiderant. Non est enim dubiũ, meliora recipere, quos cõtingit iusta prestare.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEODAHADVS. REX

IMperiosa nimium res est P.C. pietas nostra. quando propria voluntate vincimur, qui alienis conditionibus non tenemur. Nam cũ (deo præstante) possimus omnia, sola nobis licere credimus laudanda. Cognoscitis prudentes viri verba, quæ loquimur, vel nũc clementiã, quã vobis ante promittere debuistis, agnoscite. Ecce nec solicitos patimur, quibus infensi esse putabamur. Sic est a principe grauis vincenda suspitio. sic curare debuit, qui noxius esse non voluit. Postulata siquidem sacramenta, vobis ab illo atq; illo præstari, nostra decreuit auctoritas. quod bene imperaturo non est difficile persuasu. quia sic vobis securitatem dedimus, vt nihil nostro proposito addere videremur. Talia siquidẽ, qualia promittimus, eramus acturi. quia Deo debemus ista, non homini. Nam qui per lectiões sacras antiqua regna cucurrimus, quid aliud optare possumus, nisi

nisi qd diuinitati in alijs placuisse sentimus? Ipse enim remunerator est bonorum omnium Deus. Nam quicquid in subiectos pietatis efficimus, illum nobis repensare sine dubio iudicamus. Quapropter conscientiam fidelem adepta securitate monstrate. Quia post talia redditur clementiæ nostræ, potius q; offertur, affectus.

POPVLO. ROMANO. THEODAHADVS. REX

COgnoscite Quirites, quali vos prĩceps vester firmitate dilexerit, vt tentatus asperis rebus nõ vos pateretur esse solicitos. nec volumus amplius vota nostra differri, quos semp optamus in summa Reip. celebritate lætari. Vestra em̃ securitas noster ornatus est. & hoc vere gratãter accipimus, cum gaudia vos habere sentimus. Quapropter flexi petitionibus vestris per illum atq; illũ prestari vobis sacramẽta censuimus, vt Regis vestri animũ non habeatis incognitum, nec liceat falsis suspitionibus errare, dum manifeste teneatur, qd creditis in principe. Aestimate, quid vobis benignitatis videatur impendi. quãdo ille iurat, qui nõ potest cogi. Scimus enim pro remedio nos datos esse cunctorum. non despicimus sanare subiectos. et ideo licet culmini nostro videret incongruũ, libẽter acquieuimus facere, quod generalitatem probamus optasse. Intelligite quãtum vobis imponere vester videatur affectus. fide vobis cõstringimur, qui vel solo verbo promissa seruare sacris lectionibus admonemur. Ostendite nunc deuotionem vestrã. supernæ maiestati iugiter supplicate, vt tranquilla tempora, quæ nos habere cupimus, cœlesti munere concedantur.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. THEODAHADVS. REX

REmedium, quod pro vobis P.C. pia mente transmisimus, non sinimus vobis fieri acerba suspitione contrarium. quia læsionis instar est, occulte consulere, & aliud velle monstrare. Cognoscite itaque arma nostra pro salute vestra potius destinata. vt qui vos tentauerit appetere, diuino auxilio manus eis Gothorum debeat obuiare. Nam si insidias gregis strenuus pastor excludit, si paterfamilias diligens decipientibus locum surreptionis intercipit, qua nos cõuenit cautela Romam defendere, quam constat in Mundo similem nihil habere? Summa nõ mittuntur in casu. quia probatur minus diligere, qui negligit aduersa tractare. Sed ne in aliquo vobis grauis existeret vel ipsa defensio, exercitui destinato, ordinante illo, annonas fecimus secundum forum rerum venalium comparari. vt & illis tolleretur necessitas excedendi, & vobis auferretur causa dispendij. His etiam prẽfecimus maiorem domus nostræ Vaccenem. qui pro suarum qualitate virtutum bellatoribus esset iure reuerendus. cuius exemplo & excessus vitarent, & fortitudinis instrumẽta perquirerent. Quos tamen locis aptis prẽcipimus immorari. vt foris sit armata defensio, intus vobis tranquilla ciuilitas. Intelligite quid excogitauerit consolatorium principis pro vobis ingenium. defensio vos obsidet, ne manus inimica circundet, & a periculis exceperimus, quos nostrorũ sanguine vindicamus. Absit

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim, vt noſtris temporibus vrbs illa muris videatur protegi, quã conſtat hominibus vel ſola opinione fuiſſe terrori. Ita enim de diuino ſperamus auxilio, vt quæ ſemper fuit libera nullius incluſionis decoloretur iniuria.

IVSTINIANO. IMPERATORI. THEODAHADVS. REX

GRatias diuinitati referimus, cui eſt Regum ſemper accepta tranquillitas, ꝙ prouectum noſtrum clementiæ veſtræ gratiſſimum eſſe declaraſtis. Conſtat enim amare vos poſſe, quẽ gaudetis ad Regni culmina peruenisſe. Sic decuit ſuſcipi, qui ſe per vos præſumpſit augeri. Præſtate igitur Mundo veſtræ benignitatis exemplum. vt detur intelligi, quantum promoueat, qui ſe pura vobis affectione commendat. Non enim rixas viles per Regna requiritis. non vos iniuſta certamina, quæ ſunt bonis moribus inimica, delectant. quia nihil aliud vos conſtat appetere, niſi ꝙ opinionem veſtram poſſit ornare. Quemadmodum enim pacem exorati poteritis abſcere, quam pro ingenita pietate, & iracundis gentibus conſueuiſtis imponere? Bona quidem veſtræ concordiæ non taceamus. Totum creditur eximiũ, quicquid vobis fuerit prædicabili caritate ſociatum. Sed & vobis glorioſi principes, cum ſitis abſolute mirabiles, aliquid tamen additur, cum vos omnia regna venerantur. Nam commune eſt cunctis, in ſuis imperijs prædicari. ſed illud eſt omnimodis ſingulare, in extranea gente laudes proprias inuenire. Quia ibi ſunt vera iudicia, vbi neminem comprimit vlla timiditas. Diligeris quidem, pijſſime Imperator, in propijs regnis. ſed quanto præſtantius in Italiæ partibus plus amari, vnde nomen Romanum per Orbem terrarum conſtat eſſe diffuſum? Oportet ergo noſtram pacem ſeruari, quæ vobis contulit glorioſa exordia vocabuli. Sed vt ſacris affatibus ordine reſpondere videamur, reuerentiſſima ſalutatione decurſa, pijs ſenſibus indicamus, beatiſſimum Papam vrbis Romæ, vel ampliſſimum Senatum, veſtra præceptione commonitos, vt vir eloquentiſſimus Petrus ſerenitatis veſtræ, & doctrina ſummus, & conſcientiæ claritate præcipuus, ſine aliqua dilatione competentia reſponſa reciperet, nec contra voluntatem veſtram moras incongruas ſuſtineret. quia totum illud deſideramus efficere, quod veſtro nequeat iudicio diſplicere. Quãdo & pietatem veſtrã hoc ſtudere cognoſcimus, quod nobis per omnia prodeſſe ſentimus. cui virum venerabilem illum, Legatum noſtrum, adiungendũ eſſe credidimus. vt non per occaſionem Legationis veſtræ, ſed propria potius deſtinatione, noſtra poſſitis vota cognoſcere.

THEODORAE. AVGVSTAE. GVDELINA. REGINA

ILteras pietatis veſtræ gratia, qua deſiderata ſemper ſumũtur, accepi. & colloquia oris veſtri, muneribus omnibus celſiora, reuerentiſſima gratulatione promerui. cuncta mihi de tam ſereno animo promittens, quando quicquid optare potui, in tam benigna collocutione ſuſcepi. Hortamini enim, vt quicquid experendum a triumphali principe, domno iugali noſtro credimus, veſtris ante ſenſibus ingeramus.

mus, quis iam dubitet ad effectũ peruenire, quod talis poteſtas dignabitur allegare? Ante quidem de cauſarum noſtarũ æquitate præſumpſimus, ſed nunc amplius de veſtra promiſſione lętamur. Non enim poterunt vota veſtra differri, quando intereſt quæ merentur audiri. Nunc implete promiſſa. vt rem tenere faciatis, cui ſpem certiſſimam contuliſtis. Additum eſt etiam gaudio meo, ꝙ talem virum noſtra ſerenitas deſtinauit, qualem & tanta gloria debuit mittere, & veſtra decet obſequia retinere. Dubium enim non eſt, illam mores retinere, cui obſeruatur aſſidue. dũ conſtat defecari animũ, bonis præceptionibus inſtitutum. Hinc eſt, ꝙ veſtra reuerentia commoniti, duximus ordinandum, vt ſiue beatiſſimus Papa, ſiue Senatus ampliſſimus ſine aliqua dilatione reſpondeant, quod ab eis expetendum eſſe iudicaſtis. ne gloria veſtra minus reuerenda putetur, cui ſtudiũ dilationis opponitur, ſed potius de celeritate facti, votiua gratia poſſit augeri. Nam & de illa perſona, de qua ad nos aliquid verbo titillante peruenit, hoc ordinatum eſſe cognoſcite, quod veſtris credimus animis conuenire. Deſiderium enim noſtrum tale eſt, vt interueniente gratia non minus in regno noſtro, cꝫ in veſtro iubeatis imperio. Significamus itaque, ſupradictum ante nos a venerabili viro Papa egredi feciſſe, cꝫ veſter Legatus harum portitor de vrbe Roma potuiſſet exire. ne aliquid accederet, quod veſtris animis obuiaret. Quapropter ſalutans veneratione, quæ tantis debet meritis exhiberi, virum venerabilem illum, & moribus doctrinaq; pollentem, ſanctitatis etiam honore reuerendum ad veſtram clementiam Legationis officio peculiariter curauimus deſtinãdum. Quia gratas vobis illas credimus eſſe perſonas, quas diuinis miniſterijs iudicamus acceptas.

THEODORAE. AVGVSTAE. GVDELINA. REGINA

AEſtimare te conuenit, Auguſtarum prudentiſſima, quantis cupiam niſibus gratiam veſtram quærere, quam & domnus iugalis meus magno ſtudio deſiderat obtinere. Nam licet hoc illi ſit omnimodis carum, mihi tamen cognoſcitur eſſe præcipuum. quando me tantæ dominæ ita poteſt amor erigere, vt ſupra regnum cognoſcat maius aliquid inuenire. Quid enim gratius, q̃ ſi gloriæ veſtræ videar caritatis participatione ſociari? vt quia vos abunde fulgetis, nobis libenter de proprio ſplendore impertiamini. cũ damnum nõ eſt lumini, alteri de ſua claritate largiri. Fouete deſideria noſtra, quæ cognoſcitis ſyncritate prę cipua. Gratia veſtra per omnia nos regna commendet. Debetis enim nos claros reddere, qui de veſtra volumus luce fulgere. Quapropter, ſerenitati veſtræ reuerentiam ſalutationis impertiens, affectuoſa me animis veſtris preſumptione commendo. ſperans, vt ſic omnia mirabilis prudentia veſtra componat, quatenus fiducia, quæ nobis de animo veſtro data eſt, vberius augeatur. Nam cum nullam inter Romana regna deceat eſſe diſcordiam, emerſit tamen & qualitas rei, quæ vos efficere cariores veſtræ debeat æquitati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTINIANO. IMPERATORI. THEODAHADVS. REX

REtinetis, sapientissime principum, & per Legatos nostros, & per virum disertissimum Petrum, quem nuper ad nos vestra pietas destinauit, quo studio concordiam augustæ serenitatis optemus. Et nunc iterum per illum virum sanctissimum eadem credimus esse repetenda. vt vera atque affectuosa iudicetis, quæ frequenter expetita cognoscitis. Pacem siquidem sub omni synceritate petimus, qui causas certaminis non habemus. Talis ergo ad nos veniat, sic composita, sic decora, vt eam tantis votis merito quęsisse videamur. Absit autem, vt quod nobis committitur, debeat ingrauare. Pro nobis potius tractate, quod conuenit. Trahitur enim ad beneuola, cui causa creditur rationabiliter ordinanda, nec potest vtilitatem propriam anteferre, cui magis decorum est credenti profutura præstare. Considerate etiam principes docti, & abaui nostri monimenta recolite, quãtum decessores vestri studuerint de suo iure relinquere, vt eis parentum nostrorum fœdera prouenirent. Aestimate, qua gratia debent oblata suscipi, quæ consueuerant postulari. Non arroganter loquimur, qui veritatem fatemur. Gloriæ vestræ potius proficit, quod demonstrare contendimus. quando nunc illi vestram gratiam vltro quęrunt, qui suis parentibus meliores se esse cognoscunt. Associentur amicitia gratuita vestris animis, quos prius vobis largitatis studio iungebatis. Ne bona tantum illorum temporum fuisse credantur, quæ vos & copiosa benignitate vincitis, & affluenti munere superatis. Atque ideo, salutationis honorificentiam prælocuti, illum virum venerabilem, sacerdotio clarum, doctrinæ laude conspicuum, legationis nostræ ad pietatem vestram fecimus vota deferre. Confidimus enim in virtute diuina, cp & suis meritis vobis abunde placeat, & desideria probæ petitionis obtineat. sperantes vt eum cum affectu rerũ celerius recipere debeamus. Sed quia epistolaris series continere non poterat vniuersa, aliqua sacris sensibus verbo insinuanda commisimus, ne fastidium vobis faceret lectio diffusa chartarum.

THEODORAE. AVGVSTAE. GVDELINA. REGINA

SVscipientes Legatum vestrum virum elegantissimum Petrum, &, quod est ipsis dignitatibus honorabilius, vestris obsequijs inhærentem, optata nobis augustæ gratiæ monumenta fulserunt. vt per eum disceremus, acceptum vobis esse, quod in hac Repub. constat euenisse. Ostendistis, vos diligere, quicquid ad iustitiam cognoscitur pertinere. quando per diuinam prouidentiam omni suspitione detersa, desiderabilis potest vnanimitas permanere. Nunc est potius, quod regna coniungat promissio fixa & votiua concordia. Et ideo illum virum venerabilem, vestris conspectibus vere dignissimum, Legatum nostrum ad vos specialiter credimus esse dirigendum. vt vobis annuentibus, serenissimi iugalis nostri pacis gratia solidetur. quatenus generalitas euidenter agnoscat,

scat, merito venisse nos ad suauitatem fœderis, per tale vinculum caritatis. Et quia semel bene inita, nulla debent contraria occasione suspendi, si quid est, quod difficultate sui nobis non opponet imponi, sapientiæ vestræ moderatione mitigetur. vt affectum, quem circa regnum vestrum habere cœpimus, iugibus studijs augeamus. Quapropter exigite vestræ sapientiæ firmitatem, & hanc vobis palmam concordiæ specialiter vindicate. Vt sicut clementissimi Imperatoris fama in prælijs inclyta dicitur, ita in pacis studio opinio vestra cunctorum admiratiõe laudetur. Familiariter vos & frequẽter videat harum portitor, quem direxi. quatenus effectum possit celerem promereri, qui ad præsumptam gratiam visus est destinari. Speramus enim iusta, non grauia. cum tamen nihil videatur impossibile, quod per talem gloriam cognoscimus allegare.

IVSTINIANO. IMPERATORI. GVDELINA. REGINA

VEniente viro sapientissimo Petro, ita nos amor vestræ serenitatis expleuit, vt vidisse nos æstimemus, cuius colloquia benigne suscepimus. Quis enim tanta affabilitate suscepta non reddat venerationis eximia, cui ante dignationis eloquiũ iure ab omnibus commendationis suę debetur officium? Et ideo per illum virum venerabilem, Legatum domni iugalis nostri, ad vos specialiter directum, salutiferos apices curauimus destinandos, vt recurrens vestræ serenitatis affatus, & de optata incolumitate lætificet, & de firmissimæ gratiæ nos faciat exultatione gaudere. Tali enim compendio, causarum bene disponitur ordo, & nostræ tranquillitatis geminata crescit affectio. Suscipiamus ergo vestri animi bona. quia hoc est regale propositum, gloriose viuere, amore cunctorũ. Quædam vobis per harum portitorem verbo suggerenda commisimus. quæ pro ingenita mansuetndine & libenter accipite, & efficaciter, deo auxiliante, præstate.

IVSTINIANO. IMPERATORI. THEODAHADVS. REX

PEr venerabilem virum Herecleanum præsbyterum augusta nobis pagina vestræ serenitatis illuxit, sermones benigne tribuens, & apte munera salutationis impertiens. vt re vera magnũ sit beneficium, tam suaue principis meruisse colloquiũ. Cui reddimus quanta valemus caritate responsum. optantes, vt & sospitatem vestram sępius nos audire contingat, & regni vestri felicitas semper accrescat. Quia tale votum nos decet habere, quod gloriam salutemcp vestram iugiter possit extendere. Significamus etiam, pro vestro voto ad Papam vrbis Romæ nos literas destinasse, vt præsentium gerulo literarum sine aliqua dilatione respondeat. quatenus qui a vobis dirigi meruit, celeritatis gratiã consequatur. Nostri enim voti est, causas emergere, in quibus possimus vestris desiderijs obedire. Quia sic nos ad reddendum dilectionem efficaciter cõmonemus, si vobis in aliqua parte pareamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTINIANO. IMPERATORI. THEODAHADVS. REX

INtelligimus, serenitatis vestræ gratiam muneribus omnibus diuitiorem. quando illa nos hortamini facere, quæ ad mercedem nostram possint omnimodis pertinere. Tale siquidem votum semper amantis est, vt causas nos diuinæ possint cõmendare potentiæ. Et ideo significamus gloriæ vestrę, monasterium famularum dei, quod vobis insinuatum est tributorum gratia forte laborare, eo q̃ ager eius nimia inundatione perfusus sterilitatis vitia de inimica humectatione contraxerit, ad virum eminentissimum Senatorem, Præfectum Prætorio, dedisse nos nihilominus iussionem. vt eius ordinatio prouida ad prædium, de quo querela est, diligens inspector accedat. & rebus moderata inquisitione trutinatis, quicquid grauaminis potest habere possessio, rationabiliter abrogetur. ita vt competens atq; sufficiens dominis remanere possit vtilitas. Quia vere nobis lucrum pretiosissimum iudicamus, quod pro mansuetudinis nostræ voluntate concedimus. Veranildæ quoq; causa, vnde vestra serenitas me cõmonere dignata est, quanuis ante longum tempus sub parentum nostrorũ regno contigerit, tamen necesse nobis fuit negociũ de nostra largitate componere. vt tali facto, eam nõ pœniteret, mutata religione. Earũ siquidem rerum iudicium non præsumimus, vnde mandatum specialiter nõ habemus. Nam cum diuinitas patiatur, multas religiones esse, nos vnam non audemus imponere. Retinemus enim legisse, voluntarie sacrificandum esse domino, non cuiusquam cogentis imperio. Quod qui aliter facere tentauerit, euidenter cœlestibus iussionibus obuiauit. Merito ergo pietas vestra inuitat nos ad talia, quæ nobis præcipiunt diuina mandata.

HONORIO. PRAEFECTO. THEODAHADVS. REX

NOn dare, sed reddere videtur expẽsas, quisquis tributarijs aliquo remedio subuenire festinat. Quid enim iustius est, q̃ petenti conferre, quod intelligitur ipse laborasse? Ad misericordiã forsitan poscantur ocioſi. cultor agri ad futuram famem deseritur, nisi ei, cum necesse fuerit, subuenitur. Quapropter industriosæ Liguriæ, deotisq; Venetijs, copia subtracta dicitur esse de campis. sed nunc nascatur in horreis. quia nimis impium est, pleniſſimis cellis vacuos esurire cultores. Atq; ideo illustris magnitudo tua, quorũ dignitas ad hoc legitur instituta, vt de repositis copijs populũ saturare possetis, tertiam portionẽ ex horreis ticinensibus atque dertonensibus per solidum viginti quinque modios distrahi censitote. Venetis autem ex taruisino atque tridentino horreis ad definitam superius quantitatem item dari facite tertiam portionem. Vt miserata diuinitas copiam largiri possit, quam homines in se exercuisse cognoscit. Et ideo tales viros his distributionibus adhibete. Vt indulgẽtia nostra maxime ad illos perueniat, qui suis viribus pasci minime potuerunt.

SENATORI

SENATORI. POPVLO. THEODAHADVS. REX

DEcet, regiam iustitiam custodire, quod a iudicibus bene agẽtibus fuerit ordinatum. maxime quorũ conscientia sic nota est, vt nihil incaute, nihil venalitatis studio, feciſſe videantur. Et ideo Arcarios prorogatores tritici vini & casei, macellarios, vinarios, capitularios horreariorum & tabernariorum, fœnerarios, & cellaritas, qui ad vrbem Romanam, vel ad mansionem pertinent Rauennatem, sed & eos, qui ripam Ticinensem & Placentinam, siue per alia loca, quicunq; publicos titulos administrare noscuntur, quos a vobis comperimus ordinatos, cuius iudicia sic libenter amplectimur, sic seruari desideramus, tanquam a nobis facta esse credantur, nec sinimus contra illos cuiusquã prævalere malitiam, qui vestro iudicio administrationes publicas susceperunt. Quapropter in designatis titulis ambitio, inimica semper iustitiæ, conquiescat. consuetudinarium bene agentibus locum protinus tollamus inuidiæ. non liceat cuiquam inter quinquennium prædictis velle succedere, si tamen nostra inquisitione eos nulla culpa respuerit. Sint ergo intrepidi, qui vestra voluntate vel sunt vel fuerunt ordinati. procurent sibi necessaria securi. Non timeat intra hoc quinquennium expelli, quem commendauerit probitas actionis. Propter sterilitatẽ quoq; præsentis tẽporis de singulis speciebus, prout eminentiæ vestrę rationabiliter visum fuerit, pretia facite temperari. Vt hi, quibus commissum est exercere singulos apparatus, de iniusto grauamine non quærantur. Sed quoniam humana ambitio nisi per metum damni non potest inhiberi, is qui a nobis titulis ordinatis, siue suffragijs, siue patronorum precibus visus fuerit cuic̃q; succedere, statim triginta librarũ auri mulcta feriatur, a vobis nihilominus exigenda. Quod si ad hoc damnũ idoneus non potuerit inueniri, corporali supplicio pœnam luat, qui non potuerit in supradicta perculsione sufficere. & frustretur ausibus suis. pœna etiam inurendus infamiæ, qui contra interdicta nostra aliqua tergiuersatione venire tentauerit. Nihil enim securum, nihil poterit stabile reperiri, si semper inuidentium vota ad illicitas accedere permittantur insidias. Quod magnitudo vestra in omnium faciat peruenire notitiam. Ne quis per ignorantiam se æstimet excusandum, q̃ non intellexerit fuisse prohibitum.

VINSIVADO. COMITI. THEODAHADVS. REX

GVm gentis tuæ honoranda nobilitas, & magnæ fidei documenta suaſissent, vt tibi vrbem Ticinum, quam per bella defenderas, gubernandam pace crederemus, limosæ podagrę subita inundatione cõplutus, aquas Bormias potius siccatiuas, salutares huic specialiter passioni, vellete petere postulasti. Desiderium tuum remediali iussione sanamus. Vt sospitatem, quã merito in te quærimus, iussionis beneficio compleamus. Absit enim, vt bellicosissimum virum tyrannis grauissimæ calamitatis exarmet, quæ miro modo membra virentia infusione pœnalis humoris cogit arescere, nodosq; mobiles replet marmoreo tumore crescentes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

crescentes, cum norit alia cuncta vacuare iuncturæ. Petit concauas lacunas, vbi palustri statione pigrescens, saxa perficit de liquore. & quæ ad decorem inflexionis Natura laxauerat, in turpissimum rigorem soliditate peregrina constringit. Hæc passio insanabilis, & sanitas passibilis, ligat solutos, contrahit neruos, & decrescere facit corpora, quæ nulla sunt mutilatione truncata. Constantibus membris proceritatis mensura perit, & minor cernitur, cui nihil subductum esse sentitur. Subtrahuntur superstiti ministeria membrorum. corpus viuum est, nec mouetur. & inter insensibilia redactum, iam non proprio voto, sed motu fertur alieno. Hęc viua mors supra omnia tormẽta sana dicitur. & melius habere fertur, qui euasisse causas tanti periculi non probatur. Deserit quidem dolor, sed dimittit reliquias fortiores. & nouo infelicitatis exemplo, passio videtur abscedere, & eger nõ desinit ægrotare. Appendia ipsa cruciatis debitoribus aliquãdo soluuntur. ista autem vincula sunt, quæ cum semel potuerint illigare captũ, nesciunt in tota vita dissoluere. Infelicia signa relinquit abscedens. & more gentiũ barbararũ hospitium corporis occupatũ, suis iudicijs violenta defendit. ne vbi ferox ista cœpit succedere, aduersa illuc sanitas audeat fortassis intrare. Hoc licet omnibus videatur esse contrariũ, illis maxime, qui armorũ exercitatione floruerunt. ne membra illa durissima langoris decoctione molleſcant. & qui ab hoste foris superari minime potuerunt, ab interna potius contrarietate vincantur. Perge igitur, auctore Deo, gressibus tuis ad locum prædictum. Absit enim, vt bellator noster ambulet passibus alienis. Equino dorso, nõ humana subuectione portetur. Quia viro forti graue est sic viuere, vt nec mortem possit implere. Quę ideo tibi exaggerata narratione retulimus, vt ad studium sanitatis votiua nimis cupiditate rapiaris. Vtere igitur aquis illis, primum potu delinitorijs, deinde thermarum exhibitionibus siccatiuis, vbi merito indomabilis ceruix illa passionis flectit̃, quando interna plurima effusione mundãtur, exteriora attractiua virtute libera fuerint, & velut duobus auxilijs cõgregatis in medium missa superantur. Amentur illic munera concessa diuinitus. Contra illam humani generis debellatricem data sunt oportuna munimina lauacrorum. & quam uon edomat iuge decennium, non mille potionum molliter introitus, voluptuosis illic remedijs effugatur. Præstent optatum diuina beneficium, vt famam loci verissimam tua potius salubritate noscamus, quem nobis desiderabile est euadere quicquid adimit corpoream sospitatem.

HONORIO. PRAEFECTO. THEODAHADVS. REX.

RElationis vestræ tenore comperimus, in via Sacra, quam multis superstitiõibus ditauit Antiquitas, elephantes æneos vicina ominimodis ruina titubare. & qui solent in carnali substantia supra millenos annos viuere, occasum videantur proximum in simulachris

lachris æreis sustinere. His prouidentia vestra reddi faciat propriam longæuitatem, vncis ferreis hiantia membra solidando. Aluum quoque demissam subdito pariete corroboret. Ne illa magnitudo mirabilis soluatur turpiter in ruinam. Nam & viuis ipse casus aduersus est. Qui dum ingenijs cubationis arte hominum succisis arboribus ingentia membra commiserint, toto pondere supinati, nequeunt proprijs viribus surgere, quos semel contigerit corruisse. scilicet, quia pedes eorum nullis articulis inflectuntur, sed in modum columnarum rigentes atque incuruabiles, iugiter persœuerant. Ibi tanta mole prostrati sunt, vt tunc magis metallicos possis credere, cum se viuos aspicias non mouere. Iacent superstites similitudine cadauerum. Mortuos putes, quos viuos esse non dubites. Et more cadentium fabricarum, nesciunt locum sponte relinquere, quem suis membris potuerint occupare. Magnitudo illa terribilis, nec formicis minutissimis par est. quando beneficium non habet Naturæ, quod vltima videntur animalia meruisse. Humano solatio consurgunt, cuius arte iacuerunt. Belua tamen suis gressibus restituta, nouit memor esse beneficij. in magistrum quippe recipit, quem sibi subuenisse cognoscit. ad ipsius arbitrium gressus mouet. ipsius voluntate cibos capit. Et, quod omnem intelligentiam quadrupedum superat, non dubitat primo aspectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem esse. qui si tyrannus appareat, inflexa permanet. nec imponi potest beluæ, hoc & malis pendere, quod a se nouit bonis principibus exhibere. Inuicem manus promuscidem tendit, & magistro profutura gratanter accipit, quia se ipsius cura viuere posse cognoscit. Est enim (vt ita dixerim) prædictæ beluæ nasuta manus, per quam data suscipit, vt ori suo voranda trasmittat. Nam cum sit altum animal, breuissima ceruice compositũ est. vt quod cibos ex humo non prævalebit carpere, hoc se ministerio videretur posse satiare. Tentando solum cautus semper incedit, retinens initio captionis suæ fuisse sibi noxiam ruinam. Flatum suũ, quia dolori capitis humani mederi dicitur, rogatus exhalat. Hic dum ad aquas venerit hauriendas, per cauum promuscidis in modum pluuiæ imbrem postulatus effundit. & sic agnoscit, quod patitur. & vt libens faciat, quod rogatur, motu corporis ab diuersis postulat, quod magistro porrigat. & nutritoris compendia, sua putat alimenta. ꝙ si aliquis præbere contempserit postulata, vesicæ collectaculo patefacto, tantam dicitur alluuionem egerere, vt in eius penatibus quidam fluuius videatur intrasse. contemptum vindicans de fetore. Nam & læsus seruat offensam, & longo post tempore reddere dicitur, a quo iniuriatus esse sentitur. Oculi quidem parui, sed grauiter se mouentes. Credas aliquid regium eius intendisse conspectum. Despicit scurriliter ludentes. honestum aliquid gratanter attendit. & aduertis recte iudicare, cui leuia cognoueris displicere. Cutis huius vlcerosis vallibus exaratur (a qua transportancorum nefanda passio nomen accepit) quæ in tantam duritiam solidatur, vt putes esse osseam cutem. Hæc nulla vi transmittitur, nullo ferri acumine penetratur.

netratur. Ideoq; Persarum Reges hanc beluam ad bella traxerunt, quæ & nullis ictibus pulsata cederet, & aduersarios sua mole terreret. Quapropter habere eorum vel formas, gratissimum est. vt qui viuam substantiam non viderunt, opinatum animal tali imaginatione cognoscant. Et ideo non patiaris perire. quoniam Romanæ dignitatis est, artificum ingenijs in illa vrbe recondere, quod per diuersas Mundi partes cognoscitur diues Natura procreasse.

VNIVERSIS. GOTHIS. VITIGIS. REX

QVanuis omnis prouectus ad diuinitatis est munera referendus. nec aliquid constat bonum, nisi quod ab ipsa dignoscitur esse collatum. tamen ꝙmaxime causa regiæ dignitatis supernis est applicanda iudicijs. quia ipse nihilominus ordinauit, cui suos populos parere cognoscit. Vnde auctori nostro gratias humillima satisfactione referentes, indicamus, parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scutorum suppositio, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem. Vt honorem arma darent, cui opinionem pepererant. Non enim in cubilis angustijs, sed in campis late patẽtibus electum me esse noueritis. nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepãtibus sum quæsitus. vt tali fremitu cõcitatus desiderio virtutis ingenitæ Regem sibi martium Geticus populus inueniret. Quandiu enim fortes viri, inter bella feruentia nutriti, principem ferre poterant non probatum? vt de eius fama laboraret, quanuis de propria virtute præsumeret. Necesse est enim, talem de cunctis opinionem currere, qualem gens meruit habere rectorem. Nam, sicut audire potuistis, parentum periculis euocatus aduenera communem cum omnibus subire fortunam. sed illi ducem me sibi esse non passi sunt, qui exercitatum Regem querere videbantur. Quapropter primum diuinæ gratiæ, deinde Gothorum fauete iudicijs. quia me Regem omnes facitis, qui vnanimiter vota confertis. Deponite nunc damnorum metum. dispendiorum suspitiones abijcite. nihil sub nobis asperum formidetis. Amare nouimus viros fortes, qui sæpius bella peregimus. Additur, ꝙ vnicuiq; virtutum vestrarum testis assisto. Ab alio enim mihi non est opus facta vestra narrari. quia omnia vobiscũ laboribus sociatus agnoui. Amici Gothorũ nulla promissionum mearum varietate frangendi sunt. Ad gentis vtilitatẽ respiciet omne, quod agimus. priuatim nec nos amabimus. Hoc sequi promittimus, quod ornet regium nomen. Postremo nostrum per omnia pollicemur imperium, quale Gothos habere deceat post inclytum Theodericum. vir ad regni curas singulariter & pulchre compositus. vt merito vnusquisq; principum tantum præclarus intelligatur, quantum consilia ipsius amare dignoscitur. Iccirco parens ipsius debet credi, qui eius facta potuerit imitari. Et ideo pro regni nostri vtilitate estote soliciti, de interna conuersatione, deo iuuante, securi.

IVSTINIANO

IVSTINIANO. IMPERATORI. VITIGIS. REX

QVanta sit nobis, clementissime Imperator, gratiæ vestræ votiua suauitas, hinc omnino datur intelligi, vt post grauissimas læsiones, & tanta effusiõe sanguinis perpetratas, sic videamur pacem vestram quærere, tanquam nos nemo vestrorum putetur ante læsisse. Pertulimus talia, qualia & ipsos offendere possunt, qui fecerunt insecutiones sine reatu, odium sine culpa, damna sine debitis. Et ne pro paruitate sui negligi potuisset, non in prouincijs tantum, sed in ipso rerum capite probatur inflictũ. Aestimate, quos dolores abijcimus, vt vestram iustitiam reperire possimus. Talis res effecta est, quã Mundus loquatur. quę sic a vobis meretur componi, vt æquitatem vestram generalitas debeat admirari. Nam si vindicta Regis Theodahadi quæritur, mereor diligi. si cõmendatio diuæ memoriæ Amalasuenthæ Reginæ præ oculis habetur, eius debet filia cogitari, quam nisus vestrorum omnium perducere decuisset ad regnum. Vt cunctæ gentes potuissent agnoscere, vicissitudinem vos gratiæ tantæ pignori reddidisse. Illud etenim vos debuit permouere, qui distributiõe mirabili ante regni fastigia inuicem nos diuinitas nostrã fecit habere notitiam, vt amoris causam tribueret, quibus aspectus gratia contulisset. Quali enim reuerẽtia principem colere potui, quem adhuc in illa positum fortuna suspexi? Sed potestis & nunc omnia reintegrare, quę facta sunt. quando non est difficile in affectum retinere, qui gratiam constat desideranter expetere. Et ideo salutantes clementiã vestam honorificentia competenti, indicamus nos Legatos nostros illum atq; illum ad serenitatis vestræ sapientiam destinasse. vt omnia more vestro cogitetis, quatenus vtræq; Respub. restaurata concordia perseuerent. & quod temporibus retro principum laudabili opinione fundatum est, sub vestro magis imperio diuinis auxilijs augeatur. Reliqua vero per Legatos prædictos serenitati vestræ verbo insinuanda cõmisimus. vt & aliqua epistolaris breuitas stringeret, & causas nostras suggerentes plenius intimarent.

MAGISTRO. OFFICIORVM. VITIGIS. REX

ILlum & illum Legatos nostros ad serenissimum principem dirigentes, congruum fuit, magnitudini vestræ per eos salutiferos apices destinare. vt in omni parte vestra beneficia mererentur, cum nostræ deportaretur collocutionis affectus. Et ideo epistolarem gratiam vestris meritis exhibentes, speramus, vt apud clementissimi Imperatoris animos vestra prudẽtia suffragetur. Quia sic sunt iusta, quæ petimus, vt omnium sapientium mereantur adnisum. Facile enim a vobis debet corrigi, quod nõ decuisset admitti. Sed potestis omnia grataanter, omnia placabiliter ordinare. Quia dulcior solet esse gratia post amaritudines expiatas. Refugere vos eñ potuisset ignotus. ego autem, qui ornatũ Reipub. vestræ vidi, qui tot nobilium corda procerum cognoui, non me desidero a pijssimi principis gratia diuidere, si in me velit, quę sunt iusta cogitare. Nam

Y si alter

Universidad de Deusto
Biblioteca

si alter offensam meruit,ego debeo gratissimus haberi, qui odioso cum vindicta successi. Vestros animos sum secutus,præmia mihi fuerant reddenda, non læsio. Et ideo non negeť gratia,cui nulla penitus sunt imputanda. atq; adeo sepultum sit odium cum morte peccantis. Nam & si de vobis aliquid minus forte mereamur, Romana vbertas cogitetur, quæ per bellorum tumultus vbiq; concutitur. Pauca dixisse sapientiæ vestræ sufficiunt, quia in alto pectore protenditur,quod consideratum semper augetur.

EPISCOPIS. SVIS. VITIGIS. REX

SI sacerdotibus,etiam ignotis, honorem debemus, quanto magis illis,quos amabili veneratione conspeximus? Aliter enim requirimus notum,& aliter appellamus incognitum. Visorum maior semper affectus est,dum gratissime retinetur,qui assiduo & suaui sermone coniungitur. Et ideo per harum portitores, Legatos nostros, quos ad sereníssimum principem destinauimus,sanctitati vestræ præsentamus debitæ veneratiõnis obsequium. sperantes, vt pro nobis orare dignemini, & vbi vsus exegerit,solatia nostra reperiant. Quia necesse est,vt bene velitis,quos vobis religione iunctos esse cognoscitis.

PATRICIO. VIRO. QVAESTORI. VITIGIS. REX

ILlum & illum, Legatos nostros,ad sereníssimũ principem,deo fauente, direximus. per quos necesse fuit magnitudini vestræ reddere salutationis affectum. Quoniam honori vestro & sapientię debetur,vt vobiscũ collocutionis gratia perfruamur. Speramus autem ab excellentia vestra, vt moram non debeant sustinere, quos nos sub celeritate prospicitis destinasse. quatenus vestris beneficijs applicemus,si eos remota tarditate peruenire cognoscimus.

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM · LIBER · VNDECIMVS

PRAEFATIO

PRæfationis auxilium ex cõtrarietate nascitur plerunq; actionum. quoniam illud opitulatur scriptori, quod potuit impedire cogitanti. Quæ res & si laudes adimit,clementer tamen veniam tractata concedit. Quia constat,ocioso debere. nemo potest, occupatos exigere. Quapropter administrator amplissimus si vacasse credatur, opprobrium est,cuius etiam secretum dicitur, qđ' tumultuosis actiõibus verberatur. Sed vix nobis aliquid præstabit

stabit ad effectũ ducta probatio. quoniam & occupati fuisse credimur, & male scribere minime debuisse iudicamur. Nã multo satius est,vitiosa tenebris occulere,q̃ culpãda præsumpta importunitate vulgare. Verũ hoc mihi obijcere poterit ociosus, si verbũ improuida celeritate proieci, si sensum de medio sumptum non ornauerim venustate sermonũ,si precepto Veterum nõ reddiderim propria personarũ. occupatus aũt, qui rapit diuersitate causarũ, cui iugiter incumbit responsum reddere, & alteri expedienda dictare, nõ me addicere poterit, qui se in talibus periclitatũ esse cognoscit. Facile em absolutor est alieni, conscius sui, neq; in illis semper valemus,quę interdum posse iudicamur. Argutum inuentum lætum fundit ingeniũ,tepentia dicta mens concipit occupata. aliquãdo acutũ, iugiter decet esse cõpositum. quia dicẽdi ars in nostra sita potestate cognoscit, alacritas mentis diuinis tantũ muneribus applicať. Remanet itaq; ad excusandũ breuitas insperata librorũ. quã nemo purgat diutius,nisi qui bene crediť esse dicturus. Sed ne quis forsitan possit offendi,qui in Prætoriano culmine constitutus,sic omnimodis actioso pauca dictauerim,accipiat viri prudẽtissimi Felicis pręsumptione factũ,cuius participatus sum in omni causa consiliũ. Etenim vir primum est morũ synceritate defecatus,scientia iuris eximius, verborũ proprietate distinctus, senilis iuuenis,altercator suauis,mẽsuratus eloquens. qui necessitates publicas elegãter implendo, ad fauorabilẽ opinionẽ suo potius labore perduxit. Alioqui tãtis causarũ molibus oneratus, aut impar esse potui,aut forte arrogãs inueniri. Sed melius, q̃ eius fatigatiõe recreatus,sic regalibus curis affui,vt nõ potuissem in arduis rebus deficiens approbari. Duos itaq; libellos dictationũ mearũ de Præfecturę actione subiunxi. Vt qui decem libris ore regio sum locutus, ex psona propria nõ haberer incognitus. Quia nimis absurdum est,in adepta dignitate cõticescere,qui pro alijs videbamur plura dixisse. Sed postq̃ duodecim libris opusculũ nostrum desiderato fine concluseram,de Animę substantia,vel de virtutibus eius,amici mę disserere coegerũt. vt per quã multa diximus,de ipsa quoq; dicere videremur. Modo parcite diserti,fauete potius inchoantes. Nã si nihil mereor eloquentiæ munere,considerandus sum potius ex officiosissimo labore,qui tantis Reipub. necessitatibus occupatus,sic vacare potui,suburentibus curis,si me gloriari contigisset fluminibus tullianis. Nã ipse quoq; fons eloquentię, cum dicere peteretur,fertur excusasse,q̃ pridie non legisset. Quid iam alijs accidere poterit,si tanta laus facundię auctorum visa est beneficia postulare? Aegrescit profecto ingeniũ,nisi iugi lectione reparetur. Cito expendunť horrea,quæ assidua nõ fuerint adiectione fulcita. Thesaurus ipse q̃ facile profunditur,si nullis iterũ pecunijs cõpleatur? Sic humanus sensus, cũ alieno nõ farcitur inuento,potest attenuari de proprio. Si quid autẽ in nobis redolet,studiorũ flos est. quod nihilominus marcidum redditur,si a matre lectione carpatur. illic enim potest esse lætissimum, vnde docetur & natum. quoniam omnia in origine sua plenissime viuunt, quæ necdum a naturalibus finibus auferuntur. Proinde veniæ magna pars est, si scribimus,non vacantes. si legimur,

mur non legentes. Sed iam remoueamur ab excusationis voto, ne magis offendat nimis affectata defensio.

SENATVI. VRBIS. ROMAE. SENATOR. POPVLO

COmmendatis mihi P.C. prouectum meum, si vobis intelligo fuisse votiuum. Credo enim euenisse prosperrime, quod tot felices constat optasse. Desideria quippe vestra, bonorum omniũ probantur auspicia. quoniam nemo potest talium fauore susci pi, nisi quem diuinitas præcepit augeri. Mutuamini ergo gratiam, vt exigatis obsequium. Natura rerũ est, amare collegam. Laudes quinimmo vestras extollitis, si honorem, qui Senatori datus est, erigatis. Solicitudo patrũ ad publicas vtilitates instanter impellat. vt vestro magis imputetur præconio, cum tali meruero placere patrono. Secunda mihi est cura, vobis me cõmendare post principes. quia illud vos amare confidimus, quod & rerũ dominos iubere sentimus. Primũ, vt hoc putemus vtile, quod honestũ. vt vestros actus quasi pedisequa semper iustitia comitetur. & qđ a continenti principe nõ emimus, nulli turpiter vendicemus. Audistis, principes viri, quæ rerũ pondera prędicatus exceperim. Supra vires exigitur, qui dignitatis culmina laudatur ingressus. Hæc nõ audemus falsa dicere, sed confitemur esse potiora. Nam talia iudicia non inuenerunt merita, sed fecerunt. Necꝫ enim nos inde iactamus, qui intelligimus dominos nostros humilia voluisse sustollere, ne videantur immeritis tam ingentia prestitisse. Rapiunt nos prędicandi temporis bona. & velut longa ariditate sitiẽtes, ad haustũ dulcissimi saporis inuitant. O sæculi beata fortuna, sub principe feriato matris regnat affectio. per quã totũ sic peragit, vt generalis nos tegere caritas sentiatur. Huic gloriosum præstat obsequiũ, cui omnia seruiũt. & mirabili temperamento concordię, anteꝙ possit populos regere, suis iam cœpit moribus imperare. Hoc est profecto difficillimũ regnandi genus, exercere iuuenem in suis sensibus principatũ. Rarum omnino bonũ est, dominũ triumphare de moribus, & hoc consequi in florida ætate, ad quod vix credit cana modestia peruenire. Gaudeamus P.C. et supernę maiestati gratias supplici deuotiõe referamus. quoniã nulla erit accessu temporis difficilis clementia nostro principi, qui in annis puerilibus didicit seruire pietati. Sed hoc miraculũ vtriusꝙ moribus demus. nam tantus est genius maternus, cui etiam iure princeps seruire debuisset extraneus. Hãc enim dignissime omnia regna venerant. quã videre, reuerentia est. loquentem audire, miraculũ. Qua enim lingua nõ probatur esse doctissima? Atticæ facundię claritate diserta est, Romani eloquij pompa resplendet, natiui sermonis vbertate gloriatur. excellit cunctos in proprijs, cũ sit ęqualiter vbiꝙ mirabilis. Nam si vernaculã linguam bene nosse, prudentis est, quid de tali sapientia poterit æstimari, quæ tot genera eloquij inoffensa exercitatione custodit? Hinc venit diuersis nationibus necessariũ magnumꝙ præsidium, ꝙ apud aures prudentissimæ dominæ nullus eget interprete, Non enim aut Legatus moram, aut interpellans aliquã sustinet de

de mediatoris tarditate iacturam. quãdo vterꝙ & genuinis verbis auditur, & patriotica responsione cõponitur. Iungitur his rebus, quasi diadema eximium, impretiabilis notitia literarum, per quã dum veterum prudentia discitur, regalis dignitas semper augetur. Sed cum tanta gaudeat perfectione linguarum, in actu publico sic tacita est, vt credatur ociosa. Paucis litigia nodosa dissoluit, bella feruentia sub quiete disponit, silentioseꝙ geritur publicũ bonũ. Non audis prędici, quod palam videtur assumi, & temperamẽto mirabili dissimulãdo peragit, quod accelerandũ esse cognoscit. Quid tale Antiquitas honora promeruit? Placidiam Mundi opinione celebratã, aliquorũ prosapia glorioſam, purpurato filio studuisse percepimus. Cuius dũ remisse administrat imperium, indecenter cognoscitur imminutum. Nurum deniꝙ sibi amissione Illyrici comparauit, factaꝙ est cõiunctio regnantis, diuisio dolenda prouincijs. Militẽ quoꝙ nimia quiete dissoluit. Pertulit a matre protectus, quæ vix pati potuit destitutus. Sub hac autẽ domina, quę tot Reges habuit, quot parẽtes (iuuãte deo) noster exercitus terret externos. qui prouida dispositione libratus, nec assiduis bellis atteritur, nec iterũ longa pace mollitur. In ipsis quoꝙ primordijs (quãdo semper nouitas incerta tentatur) contra orientis principis votum, Romanum fecit esse Danubiũ. Notum est, quæ pertulerint inuasores. quæ ideo prætermittenda dijudico, ne genus socialis principis verecundiam sustineat proditoris. Quid enim de nostris patribus senserit, hinc datur intelligi, quando pacem contulit læsus, quam alijs concedere noluit exoratus. Additur, ꝙ tantis nos legationibus tam raro requisitus ornauit, & singularis illa potentia, vt Italicos dominos erigeret, reuerentiã eoi culminis inclinauit. Franci etiam, tot barbarorũ victorijs præpotentes, quam ingenti expeditione turbati sunt? Lacessiti meruerunt cũ nostris inire certamen, qui præcipitis saltibus prælia semper gentibus intulerũt. Sed q̃uis superba natio declinauerit conflictũ, vitare tamen proprij Regis nequiuit interitũ. Nam Theodericus ille diu potenti nomine gloriatus in triumphũ principum nostrorũ langoris potius pugna superatus excubuit. ordinatione credo diuina, ne nos aut affiniũ bella polluerent, aut iuxta productus exercitus vindictã aliquã non haberet. Macte procinctus Gothorũ omni felicitate iucundior, qui hostem regalem capite cedis, & nobis nec vnius vltimi facta subducis. Burgundio quinetiã vt sua reciperet, deuotus effectus est, reddens se totũ, dum accepisset exiguũ. Elegit quippe integer obedire, ꝙ immunitus obsistere. tutius tũc defendit regnũ, quãdo arma deposuit. Recuperauit eñ prece, quod amisit in acie. Beatam te, domina, laude multiplici. cui diuino beneficio necessitas tollitur cũcta certaminis. quando aduersos Reipub. aut cœlesti felicitate vincis, aut tuis imperijs spõtanea largitate cõiungis. Exultate Gothi ac Romani. Dignum miraculum quod omnes loquant. Ecce (præstante deo) felix domina, quod habet eximium vterꝙ sexus, impleuit. nã & glorioſum Regẽ nobis ædidit, & latissimum imperiũ animi fortitudine vindicauit. Hęc quantũ ad arma pertinẽt, vtcunꝙ referunt. Nam si pietatis eius velimus atria intrare, vix nobis pote-

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt centum linguæ, centumq; ora sufficere. cui par est quidem æquitas & voluntas, sed maior benignitas, q̄p potestas. Dicamus igit̄ parua de magnis, pauca de plurimis. Scitis, quãta bona nostro ordini, cęlesti benignitate, largita est. nihil est dubium, vbi est testis Senatus. Afflictos statu meliore restituit. illæsos sublimauit honoribus. & sigillatim bona tribuit, quos sub vniuersali munimine custodiuit. Ea, quæ asserimus, iam creuerunt. Respicite nanq; Patritium Liberium, præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, cõmunione gratissimum, meritis clarum, forma conspicuum, sed vulneribus pulchriorem, laborum suorum munera consecutum. vt nec præfecturam, quam bene gessit, amitteret. & eximiũ virum honor geminatus ornaret. confessus meritum, cui solus non sufficit ad præmium. Accepit enim & præsentaneam dignitatem. ne de Repub. bene meritus, diu absens putaretur ingratus. O admiranda beneuolentia dominorũ, quę in tantum extulit prædictum virum, vt donatis fascibus & patrimonium iudicaret addendum. quod sic ab vniuersis grataṅter acceptum est, vt in munere eius cuncti se potius crederent esse ditatos. Quoniam quicquid digno creditur, hoc multis sine dubio collatũ esse sentitur. Quid ergo de animi firmitate loquar, quæ vicit & philosophos valde prędicatos? Procedit enim ex ore dominæ beneficus sermo, & manens sub securitate promissio. Non sunt nobis P.C. minus probata, quę loquimur. verus testis est, qui laudat expertus. Cognouistis enim, quæ contra me vota conflixerunt. non aurum, non magnæ valuere preces. tẽtata sunt vniuersa, vt probaretur sapientissimæ dominę gloriosa constantia. Ordo flagitat dictionis, augustarum veterum pompam moderna comparatione discutere. Sed quemadmodum illis sufficere poterunt exempla fęminea, cui virorum laus cedit vniuersa? Hanc si parentum cohors illa regalis aspiceret, tanc̄p in speculum purissimũ sua præconia mox videret. Enituit enim Amalus felicitate, Ostrogotha patientia, Athala mansuetudine, Munitaurius æquitate, Vnimundus forma, Thorismut castitate, Vnalamer fide, Theudimer pietate, patientia (vtiã vidistis) inclytus pater. Cognoscerent hic profecto vniuersi sigillatim propria, feliciter fatererentur esse superata. quando vnius præconium cum turba se iure nõ potest æquare virtutũ. Aestimate, quale eis esset de tali herede gaudium, quæ merita potuit transire cunctorum. Quęratis forsitan sequestratim principis bona. abunde prædicat sobolem, qui eius laudat auctorẽ. Deinde retinetis facundissimi Symmachi eximiũ dictum, Specto feliciter virtutis eius augmenta, qui differo laudare principia. Subuenite P.C. & agẽdo pro me cõmunibus dominis gratias debitũ meum vestra satisfactiõe persoluite. Nã sicut vnus satiare non valet omnium vota, ita multi vnius possunt complere disposita.

IOANNI. PAPAE. SENATOR. POPVLO

Svpplicandum vobis est, beatissime Pater, vt lætitiam quam per vos (deo largiente) percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet, prosperitatem nostram vestris

vestris meritis applicandam? quando honorem adipiscimur, qui a domino diligi non meremur. & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus. Ecclesiasticis siquidem ieiunijs fames est exclusa popularis. decoris lachrymis tristitia fœda discessit. & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius, quod grauabat. Et ideo, salutans officiositate, qua dignum est, precor vt viuacius oretis pro salute regnantium. Quatenus eorum vitam cœlestis princeps faciat esse longæuam, Romanæ Reipub. hostes imminuat, tempora tranquilla concedat. deinde, quod ornat pacem, necessariam nobis copiam de abundantiæ suæ horreis largiatur. mihiq; filio vestro intelligentiæ sensus aperiat. vt quæ vere sunt vtilia sequar, quæ vitanda refugiam. vigor ille rationabilis animæ nobis consilium præstet. facies veritatis albescat, ne mentem nostram innubilet caligo corporea. sequamur quod intus est, ne foris a nobis simus. instruat quod de vera sapientia sapit. illuminet quod cœlesti claritate resplendet. Talem vtique ludicem excipiat publicus actus, qualem filium catholica mittit Ecclesia. In suis nos etiam muneribus virtus sancta custodiat. Quia grauiores insidias antiqui aduersarij tunc subimus, quando eius dona suscipimus. Nolite in me tantum reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius vestra laude secura est. Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis. vos patris nomine vniuersa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui diuinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem. tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est, vtraq; re fouere. Primum penuriam temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis amouete. Si quid autem (quod absit) acciderit, tunc bene necessitas excluditur, quando contra eam sub vbertate tractatur. Monete me, quæ sunt gerenda solicite. Bene agere vel correptus exopto. Quia difficilius errat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris. nec facile efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus. Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus. Sed cum me a vobis desiderem & moneri consilijs & orationibus adiuuari, iam vobis est applicandum, si quid in me fuerit aliter, q̄p optabatur, inuentũ. Sedes illa, toto Orbe mirabilis, proprios tegat affectione cultores. quæ licet generalis Mundo sit præstita, vobis etiam cognoscitur & localiter attributa. Tenemus aliquid sanctorum Apostolorum proprium, si peccatis diuidentibus non reddatur alienum. quando confessiones illas, quas videre vniuersitas appetit, Roma felicior in suis finibus habere promeruit. Nil ergo timemus talibus patronis, si oratio non desistat antistitis. Arduum est quidem, multorũ desiderijs satisfacere, sed nouit diuinitas multa præstare. Ipsa retundat inuidos, ipsa nobis faciat ciues, cœlesti aspiratione, gratissimos. & supplicationibus vestris tempora tribuat, quibus superna gratia prædicetur indulta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VNIVERSIS . EPISCOPIS . SENATOR . POPVLO

CORporalium patrum naturalis mos est, de filiorum prouectione gaudere. dum eorũ institutionibus applicatur, quicquid laudis in clara prole conceditur. Vos autem spiritales parentes, qui auctorem rerum illuminata mente conspicitis, pro me sanctę Trinitati sedulo supplicate, vt splendere late faciat in medio positum candelabrũ. quatenus nec mihi interior desit visus, & de me alijs panda aspectus. Nunquid proderit ludicem alijs esse perspicuũ, si sibi potius reddatur obscurus? Dignitatem conscientiæ donet, qui tribunalia conferre dignatus est. Faciat inoffensum ludicem, ne damnet errantem. Sit nobis prosperrime præsens, vt infausta vitia reddantur absentia. Amorem suũ tribuat, vt peccandi ambitum miseratus excludat. Quapropter, veri parentes, affectuosa & probabili petitione vos deprecor, vt indicto ieiunio domino supplicetis, qui vitam principum nostrorũ florenti regno protendat, hostes Reipub. defensor imminuat, donet quieta tempora & ad laudẽ sui nominis copiosa, faciatq; rerum omnium tranquillitatem, et me vobis reddere dignetur amabilem. Sed quo facilius vestra quoque exaudiatur oratio, estote circa eos, quos destinamus attenti. Quod nescimus, nobis non debet imputari. Actus eorum testimonia vestra prosequantur. vt aut laudatus gratiam, aut accusatus apud vos inuenire possit offensam. Neq; enim vobis imputare poterunt, si delinquunt. quando non iubentur mala dare, vt perperam coganẽ accipere. Orphanis viduisq; contra sęuos impetus debent placita prętare solatia. Ita tamen, ne (qđ accidit per nimiam pietatem) dum miseris subuenire queritis, locum legibus auferatis. Nam si aliquid offendit, forte districtum, talia date cunctis monita, vt iura possitis reddere feriata. Excludite sanctissimi inter immũdos spiritus implacabiles vitiorum furores, violentiã temperate, auaritiam depellite, furta remouete, depopulatricem humani generis luxuriã a vestro populo segregate. Sic auctorem iniquitatis efficaciter vincitis, si eius persuasiones de humanis cordibus auferatis. Episcopus doceat. ne iudex possit inuenire, qđ puniat. Administratio vobis innocentiæ data est. Nam si prędicatio vestra nõ desinat, necesse est, vt pœnalis actio conquiescat. Et ideo dignitatem meã in omni vobis parte cõmendo, quatenus actus nostri sanctorũ orationibus adiuuentur, qui minus in humana potestate pręsumimus, familiariter etiam mihi suadentes, quod iustum est. Non sum callidus adiurator. quod generaliter debeo, incoactus exoluo. Rependo etiam sanctitati vestrę honorificæ salutationis officium, textumq; epistolæ affectuoso fine concludo, vt in mente vestra dulciora remaneant, quia bene sibi animus posteriora commendat.

AMBROSIO . V. I. AGENTI . VICES . SENATOR . POPVLO

SEcure vobis, Deo iuuante, opinionem nostram credimus, cuius conscientiã per causarum varios vsus longa ætate probauimus. Nam si in aduocatiõis studio iustitiæ claritate fulsistis, quid nũc, prouecti ad consilia nostra, facietis? Crescit enim in illo meritũ, cui

maius datur officium. Quando iam habendus est in ludicum partem, qui meruit aulicis Potestatibus assidere. Ornentur ergo subsellia, cuius ore fora tonuerunt. Absens adhære nostro lateri, pleniorem laudem inde sumpturus. quia integrum tibi reputabitur, quod bene ordinaueris solus. Hanc coram posito mecum curam participareris & gloriam. nunc autem tibi tantum cogimur debere, quicquid inde (præstante deo) laudis potuerimus accipere. Quapropter officium tibi obseruare cẽsemus, quod nostris iussionibus obsecundat, præceptis etiã tuis pro publicis vtilitatibus iustissime designatis obediri. Quatenus & tibi sit pro publica vtilitate mittẽdi fiducia, & nullus te contemnendi sumat audaciam. Si quos etiam fideiussoribus committere necessarium æstimaueris, confidenter assume. quia illud magis releuare potest animum nostrũ, si aliquid per vos cognoscamus impletũ. Præsenti eñ sola verba præstaras, nunc aũt facta potius debentur absenti. Consilium quippe tantæ sedis, ingens est proculdubio fama meritorũ. Sed considera, quid exigatur, cui tale nomẽ imponitur. Labor vester procuret mihi omnium quietem. Scitis, quæ turpia neglectus intulerit. Scopulus vitãdus est, vbi alter offendit. Sed hoc vos monere, mea potius curiositas, q; vestra diffidẽtia facit. Nam omnia vos illa agere credimus, quę (iuuante Deo) famæ nostræ, & Reipub. vtilia esse iudicamus.

AMBROSIO . V. I. AGENTI . VICES . SENATOR . POPVLO

GAudere vos quidem in eis credo, quæ caritatem vestram optasse dijudico. nam ipsius quodammodo res agitur, cuius in alterum vota complentur. Sed hinc intelligo antiquæ amicitiæ fructum, quę venustate felicior est, in suauissimi saporis emanasse dulcedinem, si prius Romanæ ciuitatis copiam per eos, quorum interest, tanquam munus eximium nostris hospitijs offeratis. Ideo enim peregrinationis incõmoda, ideo tot angusta cogitationis intrauimus, vt populus ille, antiquis delectationibus assuetus, beatissimis regnantiũ temporibus, explosis necessitatibus, perfruatur. Procul enim sit, vt aliquo illius esuriente satiemur. Illorũ (quod absit) indigentia, nostra penuria est. Quid plura? læti esse nõ possumus, nisi & illos gaudentes cõmuniter audiamus. Atq; ideo tãta viuacitate incorrupta species frumenti congregetur, vt panis inde coctus nõ horrori, sed delitijs videaẽ esse propositus. Ponderatio iusta seruetur. Vincant copiæ mentium desideria. Non putatur abundare, quod queritur. Fugite scelerata lucra, vitate nefanda compendia. Quicquid ibi male præsumitur, in mei animi læsione crassatur. Nemo putet, quod in ista tentauerit parte, pręsumere. In nobis facilius consentimus excedi, q; Romanorum vtilitates patiamur imminui. non vt fauorem, plausumque popularem, sed vt (iuuante domino) meum in illis compleam dilectiõis arbitrium. Ciues siquidem omnes fouendi sunt, sed Romani aliquid plus merentur. Vrbs ornata tot eximijs Senatoribus, beata tam nobilibus populis, laudes debet nostrorũ principum personare, quas homo nationis exterę se miretur audisse. Nam iuste se illic extollit lætitia popularis, quæ dominos cognoscitur habere victores.

Quapropter

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quapropter impendendum est quicquid fides, quicquid magna potest exhibere cautela. Quia illud vere nostrum est commodū, quod illorum mihi procurat affectum. Lætentur præsentibus gaudijs, qui erant de nostra actione suspensi. Illorum me desideria, illorum me vota iuuerunt. Et hoc mihi apud rerū dominos profuit, quod ab eis vniuersaliter audiebatur optari. Agite nūc, vt amor iste, iuuante domino, perseueret. quia eos amplius in reliquum credo facere, quod se in me feliciter sentiunt inchoasse. Abundantiā nunc petamus communibus votis. supernæ misericordiæ humiles supplicemus, vt primum nobis salutem dominorum clementia diuina concedat. Cæterum prouentum, quem prestiterit, non negligentia diminuit, non venalitas vlla subducit. Fidem meam promitto, sed cum ipsis diuinitatis dona sustineo, cautelam offero, turpia fraudulentissimæ nundinationis excludo. Ipsi autem in domino de promerita vbertate glorientur.

IOANNI. CANCELLARIO. SENATOR. POPVLO

QVanuis statutis gradibus omnis militia peragatur. & tempora sibi custodiant, qui iudicum iussionibus obsecundant. tuus honor cognoscitur solenni ordine non teneri, qui suis primatibus meruit anteponi. Tibi em̄ reddunt obsequia, qui te prēire noscūtur. & reflexa conditione iustitiæ, illis reuerendus aspiceris, quos subsequi posse monstraris. Hinc inæquabilem æquitatem, speciale decretum, singulare beneficium sub aspectu iudicis agis. Nec potest rationabiliter culpari, quod impugnante ordine videatur assumi. Nullus tibi de temporis qualitate præscribit. Transgressio matriculæ actio tua est. & solus confidenter negligis, quod alijs seruare contendis. Sed talia tibi pro excellentibus meritis conceduntur. dum crederis omnes industria fideq; superare, quem nos constat elegisse. Nemo enim sequentem probat, nisi quem sibi laudanda virtus associat. Quoniā vituperabile est inferiorē erigere, nisi meritis alios videatur excellere. Hoc igitur laudabile prēiudicium, sententiam gratiosam, militiam domesticā, a duodecima Indictione cancellorū tibi decus attribuit. Vt Cōsistorij nostri secreta fideli integritate custodias. per te prēsentandus accedat. per te nostris auribus desideriū supplicis innotescat. iussa nostra sine studio venalitatis expedias. omniaq; sic geras, vt nostrā possis cōmendare iustitiā. Actus enim tui iudicis opinio est, & sicut penetrale domus de foribus potest cōgruenter intelligi, sic mens prēsulis de te probatur agnosci. nō iniuria, quia talē vnusquisq; ad responsa sua videt eligere, qualē se cunctos decreuerit ēstimari. Vestes ipsē, quē nostris corporibus applicantur, nonne nos deformare possunt, si aliquo inquinamēto sordescāt? quanta vero gratia nos decorare vident, cum laudabili puritate nituerint? Sic miles ad secreta iudicis proximatus prēsulis sui formā aut ornat, aut maculat. In nobis siquidem peccant, qui alios maculant. & dum spolium obsecrantis ambitur, fama præsidentis exuitur. Considera si negligere debemus, vnde nos culpari posse cognoscamus. Vltra omnes clementes est, qui vlcisci nō appetit quem

quem grassatum in suo dedecore comprehendit. Respice, quo nomine nuncuperis. Latere non potest, quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas. Et quanuis studiose claudas, necesse est, vt te cunctis aperias. Nam si foris cærtis modis, non emendaris obtutibus, si intus ingrediaris, obseruantium nō potes declinare conspectus. Vide quo te Antiquitas voluerit collocari. vndiq; conspiceris, qui in illa claritate versaris. Proinde ad nostra monita aures animumq; conuerte. fige menti omnia, quę iubemus. non te, tanquam vacuam fistulam, dicta perexeant. quæ tam diu plena conspicitur, q̄ diu in eam vndæ influere possē, noscuntur. Esto potius conceptaculum, quod audita custodias, quod suscepta non fundas. Quia nihil proderit, si auribus tuis transitura placeāt, & in cordis finibus se omnia non defigant.

VNIVERSIS. IVDICIBVS. PROVINCIARVM. SENATOR. POPVLO

IVstissime quæritur, quod annua deuotione præstatur. quoniā sub quodam constat inferri, quod soluitur lege naturali. Stipendium nanq; est, quod subiectum facit munificum dici. & offerentis nomen accipit, qui se, quod pendit, debere cognoscit. Quam cautum est, intrepidum foro assistere, publicum non timere, & inter deuotos laudabilem collocari, qui pudore nō finitur compulsi? Inhonorum est enim omne quod agitur. nec offerentis habet gratiam, qui damnis suis perducitur ad tributum. contra, quam libero dignum est, compulsoribus nihil debere? Ille solus delectabilis ager est domino, in quo superuenire non timetur exactor. Merito ergo testimonium solutionis securitas dicitur, de quo nō solum animus, sed substantia cōmunitur. Et ideo, quod feliciter dictum sit, Indictione duodecima, per diocesim dicationis suæ solenni moderamine custodito, possessorem te officiumq; tuum præcipimus admonere, vt trina illatione deuotus, constitutis temporibus suam compleat functionem. ita vt cesset venalis illa dilatio, quæ non ad tributariorum compendia, sed fraudis ambitū cognoscitur exquisita. Nam qui se huius onera subleuare dicūt, aliud magis pondus abominabilis nundinationis imponit. Absit a nostris temporibus detestabilis et fugienda versutia. Possessor nihil aliud, nisi quod publico debetur, exoluat. Nam sua damna potius agunt, qui sub nobis aliqua fraudare contendunt. Quapropter sicut fiscalia onera nulla occasione volumus aggrauari, ita constitutis temporibus præfinitas illationes prēcipimus, deo iuuante, compleri. quatenus & possessorum deuotio gratissima dominis innotescat, & tarditatis inuoluta confusio nostris orationibus auferatur. Vnde singulis quibusq; temporibus solenni more factos Breues ad scrinia nostra transmittite. sicut te & prisca legum, & nostræ iussionis presens commonere videtur auctoritas. Ne si aliquid horum ēstimaueris negligendum, tu tibi absolute facias esse periculum. Veruntamen, vt iustissimarum præceptionum diligentior procuretur affectus, illum atque illum, prēcedentibus meritis comprobatos, tibi officioq; tuo iussimus immi-

nere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere. vt nihil possit nocere negligẽtia, vbi adlibeẽ solicitudo geminata. Vnde cõtinenter agite, si prouectũ vestrum magis desideratis extendere. Impia lucra aut a vobis omnimodis aliena. vos possessorẽ deuotũ redditis, si fraudulentis non grauetur incõmodis. De æquitate potius, q̃ de rapacitate proficitur. Semper metuit iniusta præsumptio. Quid eñ acquiri putatur, vbi bona conscientia perditur? aut in qua parte possit homo proficere, si innocẽtiam probatus fuerit amisisse? Nolite sine præmio credere, quę videntur ad bonam conscientiã pertinere. Habebũt nos bene agentes, in quo possumus, auditores. Remuneratorem enim illi esse promitto, quem se aliqua honestate tractasse, cognouero. Agite ergo, laudes ad me potius vestri perueniant, q̃ querelæ. Maius cõmodum non quæratis, q̃ si nihil venditis. Illa tantum sequenda sunt lucra, quæ potest lætus offerre, & miles solenniter securus accipere. Non censor, sed laudator vester esse desidero. Cauete ergo, ne reddatur infestus, qui vobis cupit esse beneficus. Nam grauius semper irascitur, qui contra propositum commouetur.

EDICTVM. PER. PROVINCIAS. SENATOR. POPVLO

PRiscorum mos fuit, noua iura decernere, vt succedenti populo aliquid, quod omissum videbatur, adiungerent. nunc autem sufficiens laus conscientiæ est, Veterum decreta seruare. Erat ante genus hominum sub hac nouitate solicitum, dum regulam vitæ suæ in aliena cognoscerent voluntate pendere. modo vero vnusquisque nouit fixum, quod ab Antiquis plenissime non dubitat constitutum. Sufficiunt ergo vobis iura, si nõ desit voluntas eximia. Quid præconum voces? quid periculosas sententias præsulum erectis auribus sustinetis? Propriæ vitæ imponit modũ, qui sibi se iudicem intelligit constitutum. Studete cuncti actibus bonis, & formidanda nescitis. Nolite inardescere ad præsumptiones illicitas. amate viuere quieti. transigite semper innoxij. Quid litibus honesta confunditis? Cur facitis, quæ mox timere possitis? Si quæritis lucra, vitate potius damnosa litigia. Si quod tamen emerserit ciuile certamen, legibus patrijs estote contenti. Nullus ad seditiosa consurgat. nullus ad violenta cõfugiat. Furoris genus est, in sæculo pacato turbulento studere proposito. Sed quia vobis de iudicibus, & si non verus, tamen oritur rationabilis metus (dum inexperta potestas trahit potius ad timorem) quantum ad meum propositum pertinet, iuuante Deo, rerumq; dominis regnantibus, omnia vobis iusta, omnia moderata promittite. Primum, quod maxime Iudicem dehonestat, nundinatio a me fœda nescietur. Non enim verba mea, more vestium, suspensa venduntur. Sperari a vobis aliquid sola specierum indigentia faciet, non malitiosa venalitas. vbi tamen erit quæ tempus mitigat moderata præceptio. non indicimus, quod ematur. nec ad taxationem trahimus, quę necessaria non habentur. Estote tantum ad consueta soliciti, de nouitate securi. Quin illud solum vobis iudicauimus esse commodum, si vos, iuuante domino, seruemus illæsos. Non vos quisquam militum pro

sua voluntate concutiet, non exactor adiectitijs grauabit incommodis. non solũ nostras, sed & officij innoxias custodimus manus. Alioqui inutile bonum est, Iudicem non accipere, & multis accipiendi licentiã præbuisse. Neq; enim sic a nobis egrediuntur, vt ea quæ passi fuerint alijs merito fecisse videantur. Imminuta sunt enim vestro amore suffragia, quæ hactenus omnium detrimento crescebant. Ostendimus in vobis, Deo iuuante, continentiam, vt ea militibus sine pudore imperare possimus. Non enim potest auctorem habere sermo, qui nõ iuuatur exemplo. dum iniquum sit, bona præcipere, & talia non fecisse. Ordinatio igitur nostra vtilitatem publicam tantummodo respiciet, non furta priuata. Scimus quæ pro nobis vota fuderitis, qua fuistis anxietate suspensi. Deforme nobis est talia facere, vt minus possitis in vestra exultatione gaudere. Patebunt, deo propitio, aures nostræ ad suscipienda desideria supplicantum. auctor causæ suis nos oculis sub libertate visurus est. non redempta, sed propria lingua loquetur. Vobis enim nec seruitus imperabit, nec a nobis nobilitas veneranda fatigabitur. Prætoria denicq; nostra nullius temporis actus intrauit. nemo a nobis, q̃ venerat, minus locupletior redit. Nesciuit domesticum penetrale a subsellijs discrepare. Iudicem me obseruans inueniet, quocũq; respexerit. verecundiæ memores, iuuante Deo, sic agere nos optamus, quemadmodũ a rerum dominis mandata suscepimus. Vos ad omnia iusta estote deuoti, vt me prouinciarum patrem faciatis esse, q̃ Iudicem. quia iterũ grauius irascitur, qui minime de probitatum actione pensatur. Nam si præbuistis læsionibus obsequium, quid illi impendere debetis, quẽ vobis magnopere studere cognoscitis. Solennia cõmoda sedis nostræ laborantibus militibus non negentur. quia ipse præbet viam excedendi, qui non patitur iusta persolui. Præceptis etiam nostris obedientiam æquali moderatione præstate. Compellat rationabiliter proprius animus, ne vos vrgeat terror armatus. Odium sibi excitat, qui iustis resultat imperijs. Quæ iam coegero, non amabo. Sic enim cuncta, quæ agenda sunt, volumus explicari, vt nos nullo compulsore faciamus imminui. Seruari vobis cupimus concessa pridem dominorum beneficia, nulla abominabili præsumptione distracta. Honorem nostrum sola vos optamus gratulatione sentire, & regnantibus bona petere, qui vestra desideria visi sunt præstitisse. Viuite nunc adepta securitate gaudentes. Quem fas nõ fuit cogere, potuistis voluntarijs sponsionibus obligare. Nam qui dubitat sub Dei confidentia iusta promittere, vult habere liberum, quod non est pollicitus immutare. Tenete igitur arbitrij mei idoneum vadem, speculum cordis, imaginem voluntatis. vt quibus non sum facie notus, fiam morum qualitate recognitus. In hac me potius parte conspicite, qua latent præsentes. Non est vobis damnum absentiæ meæ. vtilius est, Iudicem mente nosse, q̃ corpore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVDICIBVS. PROVINCIARVM. SENATOR'. POPVLO

SCiens, ab eis contrarium posse credi, qui præcedentibus malis fuerāt imminuti (dum mens humana facile suspicatur de quolibet illa, quę pertulit) propositi nostri votum edictali tenore permisimus, ne, iuuante Deo, quos securos esse cupimus, vel de ipsa solicitudine grauaremus. Non enim est paruum tormentum, aduersum aliquid formidare venturum, dum semper grauius æstimatur emergere, quod timetur. Absit a nostris temporibus vel minima credulitas læsionis. Reo iam vicinus est, qui malus putatur. quia tunc aliquid persuadetur animo, cum intrauerit pectus acta suspitio. Quapropter dicatio tua per loca celeberrima proponi faciat destinata. Aptum est enim, ab his iussa cognosci, quos decreuimus admoneri. Excitetur nunc amor omnium circa dominos felices. vt sicut nos nullum contraria voluimus cogitatione suspendere, ita se & illi deuotos debeant pie regnantibus exhibere. Sponsiones autem vestras vos veras efficitis, si prouincialibus ęquabiliter præsidetis. Diligite iustitiam. quæ vos & amabiles faciat, & glorioſum commodum sua participatione concedat. Scitote, officia vobis quasi actuum vestrorum testes assistere. Et ideo q̄ magnum est in tantorum conspectu facere, quod omnium possint ora prædicare? Iudicium, quasi iuridicium, cognoscite vocitatum. Præsulem agere non decet, quod alter accuset. Quid timeat reus, cum viderit crimen in fascibus constitutum? Sola malis illa tormenta sunt, si publica vota moribus suis sentiant esse contraria. Dici enim non potest disciplina, quando ipsa fuerit corrigenda. Studete ergo nobiscum, vt boni mores prouincialibus dentur, sed nuditas auferatur. De remedijs potius, q̄ de læsione tractetur. Graue malum est, quicquam ad largienda iuris beneficia fieri, & mixtum lęsionibus inueniri. Sic agite, vt cum iustitia probata quæritur, annus vester breuis esse videatur. Honores potius vobis offerantur. Necessitatem quippe ambitus amittitis, si prouincialiū vobis vota societis. Nullos vestrorum actuū facimus esse custodes. nec sub priuato arbitrio ingenium Iudicis inclinamus. Sed omnia sic gerite, ne fiat necessarium, quod nunc credimus esse turpissimum. Instar nostræ geritis dignitatis, si vos conscientiæ puritate tractetis. Obuiate malis, fouete nihilominus innocentes. Si quis tamen est, qui ausu temerario contra vestros fasces erigatur, nec possitis exercere quod iustum est, aut petitorem protinus cum vestra relatiōe transmittite, aut si iuribus deseritur veniendi, negocium destinata relatione declarēt. quando & euectiōes publicas accepistis, & nobis gratū fit audire de talibus. Atq̄ ideo vobis totius excusationis causa summota est. quando aut per dignitatē vestrā potestis recte gerere, aut certe nobis sunt necessaria nuntiare.

BEATO. V. C. CANCELLARIO. SENATOR. POPVLO

CVm rerum domini clemētia de famuli sui Dauī salute cogitaret (cuius votum est de cunctorū sospitate lętari) remedia Lactarij montis eum iussit expetere. vt cui medela humana nil profuit, vulgati

vulgati loci beneficium subueniret. qui crebra tussi retonans anhelo pectore, membra tenuauit. dum ministeria Naturę, nimia concussione debilitata, virtutes suas explicare nequeunt ad salutem. Escas enim in auxilium humani corporis contributas, dum apte nō transigit, reddit inutiles. Nec interest talibus aut sumere cibum, aut sustinere ieiunium. in dies singulos substantia viua deficit. &, velut rimosum dolium, paulatim defluens, donec euacuatur expenditur. Huic ferocissimæ passioni beneficium montis illius diuina tribuerunt. vbi aēris salubritas cum pinguis arui fœcunditate consentiens, herbas producit dulcissima qualitate conditas. quarū pastu vaccarum turba saginata lac tanta salubritate conficit, vt quibus medicorum tot consilia nesciunt prodesse, solus videatur potus ille præstare, reddens primo ordini resolutam passionibus vim naturæ. Replet membra vacuata, vires efœtas instaurat, & fomento quodam reparabili ægris ita subuenit, quem admodum somnus labore fatigatis. Hæc itaq̄ armenta, in tam abundanti pabulo hausta videre, miraculū est. vt humor ille lacteus non præstet origini suæ, qui corpora mortalium probatur læsa reficere. miroq̄ modo herbis animalia non proficiunt, vnde hominum membra pinguescunt. Exiles per dumeta discurrunt montium, tenues videntur, & instar eius, cui medentur, sustinent passionis. Lac autem tam pingue, vt hæreat digitis cum exprimatur in vasis. Qua de re annonas deputatas, subiectionemq̄ necessariam prębete venienti, in supradicto loco salubriter pastus, eodem alimento reparetur eius iuuentus, quo nutritur infantia. Consurgite animi tali passione laborantium. Iam non amaro antidoto horrebitis dulcissimam vitam. Voluptuose bibite, quæ saluberrima sentiatis. Felicitatis genus est, inde curari, vnde libens animo æger possit expleri.

EDICTVM. DE. PRETIIS. CVSTODIENDIS. RAVENNA

VEnalitas victualiū rerum temptoris debet subiacere rationi. Vt neq̄ in vilitate caritas, nec in caritate vilitas expetatur. sed æqualitate perpensa, & murmur ementibus, & grauamē querulis negociatoribus auferatur. Atq̄ ideo trutinatis omnibus, & adliquidum calculatione collecta, diuersarum specierū pretia subter affiximus. vt omni ambiguitate summota, definitarum rerum debeat manere custodia. Siquis autem vendentium non seruauerit, quæ præsentis edicti tenor eloquitur, per singulos excessus sex Solidorū mulctam a se nouerit exigendum. & fustuario possit subiacere supplicio. Quatenus eum & damni metus terreat, & prædicta pœna vehementer affligat.

EDICTVM. PRETIORVM. PER. FLAMINIAM

SI ociosi populi vrbium singularum sub pretiorum iustitia continentur, quanto magis debet laborantibus subueniri, ne vtilitas commeantium saucietur discrimine fortuitorum? Et ideo suscęptio transeuntium requies debet esse curarum. Ne quod ad leua-

men inuentum esse constat, detestabile potius grauamẽ infligat. Recipiatur hospes ad pretia definita, iniquitatem non patiatur auaram, quæ inuitatur ad gratiam. Quoniam turpis occupatio est, terrere enormitate pretij, & susceptione blandiri. Prædoni similis est, qui sub iniqua cupit voluntate distrahere. vtrosque enim constat velle diripere, & considerationem iustitiæ non habere. Nescitis, quãta possitis acquirere moderati. Vltro ad commoda vestra veniunt, qui vos temperanter agere posse cognoscunt. Nullus ergo se æstimet, quod est familiare semper absentiũ, longinquitatis obliuione defendi. Cauete potius damna multorum, qui lucrorum auiditates appetitis. Sex enim Solidorum dispendium se nouerit sustinere, & laceratione corporis affligendum, si quis aliter vendendum esse crediderit, q̃ miles noster in rem directus pretia, cum ciuibus atq; episcopis locorum habita deliberatione, censuerit. Sufficere enim debent omnibus honesta lucra de ciuibus, ne obsessa potius videantur itinera esse latronum.

IVSTINIANO. AVGVSTO. SENATVS. VRBIS. ROMAE

HOnestum nimis & necessarium videtur esse negocium, pro securitate Romanæ Reipub. pio principi supplicare. Quia conuenit a vobis expeti, quod nostræ possit proficere libertati. Nam inter cętera bona, quę vobis singulariter diuina tribuerũt, nihil gloriosius probatur accedere, q̃ quod vos cognoscitis vbiq; posse prętare. Rogamus ergo, clementissime Imperator, & de gremio Curiæ duplices tendimus manus, vt pacem vestrã nostro Regi firmissimã prębeatis. nec nos patiamini abominabiles fieri, qui semper de vestra concordia videbamur accepti. Romanum siquidem nomen vos commendatis, si nostris dominis benigna conceditis. Gratia vestra nos erigit ac tuetur. & hoc mereri cognoscimus, quod de vestra mente sentiẽ. Quietem ergo Italiæ fœdera vestra componant. Quia tũc amari possumus, si per vos dilectio votiua copuletur. Cui rei si nostræ preces adhuc non videntur posse sufficere, æstimate patriam nostram in hæc precatoria verba prorumpere. Si tibi aliquando grata fui, ama, pijssime principum, defensores meos. Qui mihi dominantur, tibi deberi esse concordes. ne incipiant talia in me facere, quæ a votis tuis cognouerint discrepare. Non mihi sis causa crudelis exitij, qui semper vitæ gaudia præstitisti. Ecce alumnos meos sub tua pace geminaui. Ecce ciuibus ornata resplendui. Si me lædi pateris, vbi iam nomen tuæ pietatis ostendis? Quid enim pro me nitaris amplius agere, cuius religio, quæ tua est, cognoscitur sic florere? Senatus meus honoribus crescit, facultatibus indesinenter augetur. Noli discordia dissipare, quod deberes per bella defendere. Habui multos Reges, sed neminem huius literarũ. habui prudentes viros, sed nullum sic doctrina & pietate pollentem. Diligo Amalum, meis vberibus enutritum, virum fortem, mea conuersatione compositum, Romanis prudentia carum, gẽtibus virtute reuerendum. Iunge quinimmo vota, participare consilia,

consilia. & vt tuę glorię proficiat, si mihi aliquid prosperitatis accedat. Noli me sic quærere, vt non valeas inuenire. Tua sum nihilominus caritate, sed nullum facias mea membra lacerare. Nam si Libya meruit per te recipere libertatem, crudele est me amittere, quam semper visa sum possidere. Impera motibus iracundiæ triumphator egregie. Plus est qđ generali voce petitur, q̃ si vester animus cuiuslibet ingratitudinis offensione vincatur. Hæc Roma loquitur, dum vobis per suos supplicat Senatores. Quod si adhuc minus est, beatorum apostolorum Petri atq; Pauli petitio sanctissima cogitetur. Nam qui securitatem Romanam sæpe defendisse probantur ab hostibus, quid erit, quod eorum meritis vester non tribuat principatus? Sed vt omnia reuerentię vestrę cõgruere videantur, per illum virum venerabilem, legatum pijssimi Regis nostri ad vestram clementiam destinatum, preces nostras credimus porrigendas. vt tam multi debeant efficere, quæ vel singuli poterunt apud pios animos obtinere.

GAVDIOSO. CANCELLARIO. SENATOR. POPVLO

DVm multis itineribus Como ciuitas expetatur, ita se possessores parauerẽdorum assiduitate suggerũt esse fatigatos, vt equorum nimio cursu ipsi potius atterãtur. Quibus indultu regali beneficium præcipimus iugiter custodiri. ne vrbs illa, positione sua libenter habitabilis, rarescat incolis, frequentia lęsionis. Est enim post montium deuia, & laci purissimi vastitatem, quasi murus quidam planæ Liguriæ. Quæ licet munimen claustrale probetur esse prouinciæ, in tantam pulchritudinem perducitur, vt ad solas delitias instituta esse videatur. Hæc post tergum campestria culta transmittit, amœnis vectationibus apta, & victualibus copijs indulgenter accõmoda. a fronte sexaginta millibus dulcissimi æquoris amœnitate perfruitur. vt & animus recreabili delectatione satietur, et piscium copia nullis tempestatibus subducatur. Merito ergo Como nomen accepit, quę tantis lætatur compta muneribus. Hic profecto lacus est nimis amplissimę vallis profunditate susceptus. qui concharum formas decenter imitatus, spumei litoris albore depingitur. Circa quem conueniunt in coronæ speciem excelsorum montium pulcherrimæ summitates. cuius ora prætoriorum luminibus decenter ornata, quasi quodam cingulo palladiæ syluæ perpetuis viriditatibus ambiuntur. Super hunc frondosæ vineæ latus montis ascendunt. Apex autem ipse, quasi quibusdam capillis, castanearum densitate crispatus, ornante Natura depingitur. Huic riui nigri candore relucentes in aream laci altitudine præcipitante descendunt. Huius sinibus ab austro veniẽs Addua fluuius, faucibus apertis excipitur. Qui ideo tale nomen accepit, quia duobus fontibus acquisitis, quasi in proprium mare deuoluitur. qui tanto impetu vastissimi ęquoris vndas incidit, vt nomen retinens & colorem in Septentrionem obesiore aluei ventre generetur. putes, quandam lineam fusciorem in aquis albentibus esse descriptam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptam. miroque modo influentis discolor natura conspicitur, quæ misceri posse simili liquore sentitur. Hoc & in marinis quidem fluctibus fluuiorum inundatione contingit. sed ratio ipsa vulgariter patet, vt torrentes præcipites limosa fece corrupti vitreo sint æquori discolores. Hoc autem iure putabitur stupendum, cp simile tantis qualitatibus elementum per pigrum stagnum videas ire celerrime. vt amnem per solidos campos putes decurrere, quem se peregrinis vndis non videas colore posse miscere. Quapropter incolis harum rerum iure parcitur. quoniam amœna omnia delicata sunt ad labores. & facile onus afflictionis sentiunt, qui vti suauibus delitijs consueuerunt. Fruantur ergo munere regali perpetuo. Vt sicut gaudent natiuis epulis, ita eos exultare faciat munificentia principalis.

LIGVRIBVS. SENATOR. POPVLO

REgale munus impetratum gaudium debet esse cunctorum. vt prouocetis ad meliora, cum de vobis concessa probaueritis esse gratissima. Nam si subuenire semper amantis est, cuiusmodi vos æstimatos intelligitis, quos releuatos esse sentitis? Sed ne vestram lætitiam longis prælocutionibus differamus (quia bonarū rerum celerrima semper desideratur agnitio) glorioſissimi domini, deuotę Liguriæ necessitatibus consulentes, centum libras auri per illum atq; illū de cubiculo suo, pietate solita, destinauerunt. Vt iudicio vestro, quibus est causa notissima, tanta vnusquisq; huius muneris participatione lætetur, quanta necessitate grauatus esse cognoscitur. Ne quod afflictis datum est, vsurpet ilæsus. sed illi reparatis viribus consurgant, qui damnorum sarcina prægnum corruerant. Astensis autem ciuitas, quæ supra cæteras suggeritur mente corruerant. Astensis autem ciuitas, quæ supra cæteras suggeritur ingrauata, dispositionis vestræ iustitia maxime subleuetur. vt secundū modum dispendij commoditate beneficij perfruatur. Sumite pietatis stipendium tributarij, & dominorum æstimate clementiam. qui conditione mutata hoc vos ab ærario videtis accipere, quod consueueratis inferre. Sed vt beneficia dominorum subtractis exactionum incommodis augeantur, cerlerius relatio vestra nos instruat, quid vnicuiq; de hac summa relaxandum esse iudicetis. vt tantum de prima illatione faciamus suspendi, quantum ad nos notitia directa vulgauerit. Quapropter pijssimis dominis, votis salutaribus reddite, quę debetis. vt ratio vestra supplicādo peragat, quod se in ipso vniuersitas recepisse cognoscat.

LIGVRIBVS. SENATOR. POPVLO

STudiose nos oportet erigere, quos statuit regalis pietas subleuare. nam quos dominorum clementia voluit conscendere, conuenit etiam his subiectos de propria dignitate præstare. Nuper mihi gratias retulistis, cp spem vobis bonorum cp fructum alium quem

quem contulissem. Inuitastis me ad beneficia, quia magna suscepistis gratulatione promissa. Absoluimus votum ludicis obligati. Quę fuerunt prædicta, nunc probantur impleta. Initium igitur a libra faciemus. quia vbi conscientiam fas est intendere, inde debet sermo ludicis inchoare. Hinc est, cp in ponderibus atq; mensuris vos suggeritis ingrauatos. Et ideo nostra cura prouidebit, vt nullius vos vlterius ex ea parte vexare possit iniquitas. Quia graue scelus esse iudicamus, aut mensuras modū excedere, aut libram æquissimi ponderis iustitiam non habere. Milites etiam sedis nostræ, necnō Exactores atq; Susceptores, a quibus grauia vobis inferri dispendia suspiraſtis, præceptis nostris fecimus conueniri. vt deductis ad liquidum ratiocinijs, si quid fraudis potuerit inueniri, sine aliqua dilatione persoluant. Quia hoc nostris temporibus confitemur inimicū, vt alter alterius lætetur incommodo. Nunc ad apparatum florentissimi exercitus vota conuertite, vniuersa sine querela vel tarditate aliqua procurantes. Efficaciter enim me ad omnia benigna constringitis, si grataner quæ sunt iussa completis. Lætus obediat, quem causa generalitatis inuitat. Illa sola dolere debent dispendia, quæ studio videntur cupiditatis imposita. Nam quod pro rerum necessitate præcipitur, inde prudentium animus non grauatur.

PROMOTIONES. OFFICII. PRAETORIANI. QVAE NATALE. DOMINI. FIVNT

SI hodierno die redemptionis inuenimus vitale remedium, cœlesti beneficio panditur spes salutis, conuenit etiam nos longo labore fatigatis gaudij deferre medicinam. vt superna bona, quæ periclitanti Mundo collata sunt, generaliter sentiantur. Alioqui piaculum quoddam est, inter tristes velle gaudere. & humanitatis refugit affectum, qui dolorem non sequitur alienum. Contra, quanto se melius excitat de communione lætitia? quantum incitamentum magnæ alacritatis est, plurimos videre gaudentes? Hinc est, cp sapientes mortale genus vnum hominem esse testati sunt. quoniam omnes a cunctis casibus suis indiuisos esse voluerunt. Quapropter vnusquisq; iuxta matriculæ seriem, tua desiderat vulgetur. Vt quem loci ordo postulat, gradus promotionis accedat. Egrediatur vnus, vt anteponat vniuersos. Totam sequentem seriem ad prouectum trahit, dum prior militiam perfunctus exierit.

DE. CORNICVLARIO. QVI. EGREDITVR

AMplectenda est promotionum grata solennitas, quæ benemeritorum soluit excubias. quia tyronibus conceditur spes laboris, dum vicissitudo fuerit reddita veteranis. Et ideo Antianum, qui prætorianis inculpabiliter paruisse perhibetur obsequijs, inter Tribunos & Notarios ad adorandos aspectus properet principales. Vt juxta consuetudinem præsentatus, Spectabilitatis decoretur insignibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE. CORNICVLARIO. QVI. ACCEDIT

OPtatus ad optata perueniens, sui nominis sortiatur effectum. Et ideo supradictum, assiduis laboribus comprobatum, Cornicularíorum sumere censemus effectum. Vt iure inter primates assistat, qui tyronum inculpabiliter egit excubias.

DE. PRIMISCRINIO. QVI. EGREDITVR

OLim quidem efficaciter peragens imperata, meruisti multorum bona iudicia. sed nunc & diuino fauore commendatus erigeris, quando militiæ laboribus perfunctus esse monstraris. Quapropter Spectabilitatis honore suffultus, inter Tribunos & Notarios venerandam purpuram adoraturus accede. Vt per sacros aspectus principis tuæ subsistat firmitas dignitatis.

DE. PRIMISCRINIO. QVI. ACCEDIT

DIfferri non patimur merita fidelium. vt ad studia bonorum actuum prouocemus vota cunctorum. Demus igitur, quæ sunt iusta, laboribus. vt prouectu priorum inuitemus corda sequentium. Atque ideo Andreas, qui Prætorianis fascibus inculpabiliter noscitur obsequutus, gradum feliciter Primiscriniatus ascendat. Vt locum, quem versutia nesciuit exquirere, se gaudeat probis moribus inuenisse.

DE. SCRINIARIO. ACTORVM

VSte potentiora consequitur, qui de commissa sibi negocij perfectione laudatur. Et ideo Catellum, quem matriculæ series fecit accedere, nostra auctoritas quoq; Actorum Scriniorum curam præcepit obtinere.

DE. CVRA. EPISTOLARVM

COnstantiniani merita licet plures asserant, adstipulatio quoque nostra commendat. Tanta est etenim in eo synceritas mentis, vt & iudice teste mereatur laudari. Hic itaque epistolarum Canonicarum curam prouectus accipiat. Vt amplius momenta suæ integritatis exhibeat, quando fidem publicam sibi respicit esse commissam.

DE. SCRINIARIO. CVRAE. MILITARIS

COnuenienter honoris præstat augmentū probitas actionis, nec decet differri, quem decenter efficacem contigit approbari. Hinc est, q̃ Lucillum Scriniarium Curæ Militaris esse præcipimus, exhibiturus obsequium, cui se merito non dubitat attributum.

DE. PRIMICERIO. EXCEPTORVM

DEcet, nos incunctanter tribuere promotionis ascensus, quos labor militiæ meretur assiduus. Sicut enim æquum est, desidiosis laborantium præmia denegare, ita conuenit excubantibus remunerationis optata concedere. Et ideo Patritius Exceptorum Primicerium se a nobis nouerit institutum. vt ad tale perductus officium, placuisse suarum merita gaudeat actionum.

DE. SEXTO. SCHOLARIO

DIgnus est nostro iudicio promoueri, qui a multis præsulibus meruit approbari. Vni enim acceptum fuisse, interdum gratia est. multis placuisse, iudicium. Iustus igitur locum Sexti Scholaris se nouerit consecutum. inuenturus militiæ præmium, cum se actibus studuerit sociare fidelibus.

DE. PRAEROGATIVARIO

OVis Ioannem non æstimet merito esse promouendum, qui nostro iudicio Cancellorum olim sumpserit officium, & tunc iam prærogatiuam conscientiæ meruit, quando decreti munus iudicialis accepit? Fruatur itaq; gaudio & ordinis & honoris, qui moribus noscitur placuisse laudatis. Hinc igitur prærogatiuarum sententia nostra confirmat, vt gradus potius emeriti deuotioribus animis publice pareat iussioni.

DE. COMMENTARIENSE

IVuat, benemeritorum votis beneficijs respondere vicarijs. vt deuotiore mente possit obsequi, qui meruit anteferri. Quapropter Cheliodorus Commentariensium fruatur officio. Digne siquidem eius integritati committimus, quæ custodienda esse censemus.

DE. REGENDARIO

AEquitati videtur accommodum, si efficaci actione laudatis digna moribus vicissitudo præstetur. Habet enim suam gloriam, qui pensatis excubijs ad militarem noscitur peruenire fortunam. Hinc est, q̃ Cartherium Regendarij locum feliciter obtinere censemus. vt spe futuri prouectus, auidius prætorianis possit inhærere laboribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE. PRIMICERIO. DEPVTATORVM. ET. DE. PRIMI

CERIO. AVGVSTALIVM

DIgnum est, vt sequatur vota fidelium fructus laborum. & superior gradus excipiat, quos gestarum rerum integritas affecta commendat. Hinc est, q; Vrsum Primicerium Deputatorum, atq; Beatum Augustaliũ esse, censemus. Vt qui ad maiora prouecti tenduntur officia, prædicanda conscientiæ sequantur exempla.

DE. PRIMICERIO. SINGVLARIORVM. QVI

EGREDITVR

DEbet palmæ præmia consequi, qui sacramentis militaribus videntur esse perfuncti. quia diutinus labor sibi vendicat, quod inexperta vix potest inuenire nobilitas. Et ideo quoniam Vrbicus Primiceriatus sui noscitur tempora peregisse, inter Domesticos & Protectores sacram purpuram adoraturus accedat. Vt venerandis clarificatus aspectibus, militaribus excubijs se gaudeat liberatum.

DE. PRIMICERIO. SINGVLARIORVM. QVI. ACCEDIT

ADest militaribus obsequijs integritas iudicantis. quia gratanter exoluit, quod deberi iuste cognouit. Quapropter Pierius Primicerium Singulariorum se nostra auctoritate cognoscat effectũ. Si qua sunt talia fiducialiter suggerantur. Quia non est hæsitationis metus, vbi non est iudicis venalis auditus.

DE. CONCEDENDIS. DELEGATORIIS

MOras intercipit, quem præstandi consuetudo constringit. quia plus ille ad beneficia compellitur, qui innata beneuolentia commouetur. Neque enim decet, vt nostrorum factorum dissimiles esse debeamus. dum oporteat crescere numerositate remedij, cui administrationis tempora videntur augeri. Et ideo de præsenti vobis Delegatorios nostra largitur humanitas. Vt tunc habeatis commoda præmij, quando estis & sudoris terminum consecuti. Non vos anxia mora suspendimus, nec cruciabili dilatione fatigamus. Vnus sit finis solicitudinis & laboris. Nam differendum quis putet, si beneficia sua vendere non retractet?

ANTIANO. SVGGERENTE. DICTVM. EST

PEtitionem tuam retinebit officium, donec consensum sequentium, dum facultas fuerit, inquiramus. quia vni incaute creditur, quod est a plurimis asserendum. Ite omnes prouecti. Estote cuncti feliciter approbati. Nil sustinuistis dubium, dum omne iudicium

iudicium habeatur incertum. Sola nos alpha complectitur, vbi ea litera non timetur. Sic enim vnusquisq; proprio vsus est voto, tanquam de alieno non pependisset arbitrio.

DE. LEGATORIA

SI Olympiaci currus agitator rapit præmia post labores. si ferarum certamẽ honestum velociter solet coronare victores. quam celeritatem remunerationis merebitur, a quo laudabiliter militiæ sacramenta peraguntur? qui crebris actionibus excubando, ideo principis nomen habere promeruit, quia militiæ sacramentis cæteros antecellit. Obseruabit enim iugiter imperialibus iussis. & vt reuerentiam Prætorianæ sedis excelleret, tunc ad eius venit obsequium, quando vocabulũ cœpit habere præcipuum. Tales ergo tardare, piaculum est. quia post palmam nemo dilatus est. Votiuum nõ potest dici, quod tristis suscipit. Grauamina nulla metuant absoluti. ne portus hoc ingerat liberis, q; facere potuit procella vetatis. Quapropter experientia tua de illa prouincia, ex illatione tertia, fiscalium tributorũ Solidos, quos Principi Augustorũ prouida deputauit Antiquitas, sine aliqua dilatione persoluat, quos noueris tertiædecimæ Indictionis rationibus imputandos. Sed caue venales moras, declina damnosa fastidia. vt qui desideras similia consequi, exemplum tibi non videaris intulisse dispendij. Quapropter poscẽtem ratione submoueas, si te actionis tuæ qualitate constringat. Honorabiles quidem a cunctis habendi sunt veterani. sed ab his maxime, qui militiæ labore detinentur. Tibi ergo præstas, quod parcis alteri. quoniam indemnitas prioris lucrũ potius fit sequentis.

ANATHOLICO. CANCELLARIO. PROVINCIAE

SAMNII. SENATOR. POPVLO

QVi laborioſas excubias & officia magnę sedulitatis inuenit, rationabiliter & temporis definita constituit. vt quod erat sub vitæ termino positum, prẽmium non haberet incertum. Alioqui quis sufficere semper & spectare posset, cũ se mortalibus lux ipsa subduceret? Qua de re sub incerta vita, certa militia est. Nec habet, q; possit metuere, qui ad designatum tempus inoffense meruit peruenire. Astra ipsa, vt astronomi volunt, licet assidua repetitione voluantur, cursus sui definita custodiant. nequit esse ambiguum, quod fine proprio tenetur inclusum. Saturnus annis triginta constituta sibi cœli spatia peruagatur. Stella Iouis duodecim annis attributam sibi regionem illustrat. Martis sidus, ignea celeritate raptatum, decem & octo mensibus deputata sibi discurrit. Sol anni spatio zodiaci circuli Signa præteruolat. Astrum Veneris mensibus quindecim spatia concessa transcendit. Mercurius, velocitate succinctus, tredecim mensibus proposita sibi interualla præteruehit. Luna, peculiari nobis vicinitate proximior, triginta diebus peragit, quod anni spatio Sol aureus circumactus impleuerit. Merito ergo laboris finem mortales inueniunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

niunt. quoniam, vt philosophi dicunt, & ipsa quæ deficere nequeunt nisi cum mundo, cursus sui terminos rationabiliter acceperunt. hac tamen interueniente distantia, ꝙ illa opus suum finiunt, vt ad principium redeant. humanum genus ideo militat, vt peractis sudoribus conquiescat. Et ideo illi qui inculpabiliter Cornicularij est perfunctus officio, septem Solidos, quos & longæua consuetudo deputauit, per illam Indictionē de Samnij prouincia ex illatione tertia sine ambiguitate contrade. Quia non potest dubitare de præmio, quem vera principis cōmendat assertio. Præfuit enim curibus Secretarij Prætoriani. vnde ei nomen est deriuatum. laudatis actionibus comprobatus. eo ministrante caliculū, scripsimus inempti, quod magnis pretijs optabatur impleri. gratificati sumus, cui leges fauerunt. negauimus, cui iustitia nō promisit. Nemo tristis extitit de victoria sua. quia saluis facultatibus obtinuit, quando vt fieret superior non redemit. Nostis omne, quod loquimur. neqꝫ em̄ in cubiculis nostris secretaria nostra peracta sunt. Quod egimus, cohortes nouerūt. Sumus nimirum ad nocendum priuati, ad præstandum Iudices. Districtio nostra in verbis est habita, & in factis sensa benignitas. Irascebamur placati. minabamur innoxij. & ne potuissemus lædere, terrorem videbamur inferre. Habetis, vt solebatis dicere, castissimum Iudicem, relinquam vos integerrimos testes.

LVCINO. NVNC. CANCELLARIO. CAMPANIAE SENATOR. POPVLO

BEne antiqua moderatione prouisum est, vt laboris sui pretia recipiant, qui publicis vtilitatibus obsecundant. ne quis haberetur preteritus, qui probabili fuerat actione laudandus. Nam cui officio remuneratio solueretur, si Prætorianis laboribus tardarentur? Quicquid enim pene in Repub. geritur, eorum strenuitate completur. &, quod difficillimum seruiendi genus est (sic enim cogitur omnia implere, vt non permittatur excedere) exercitibus paret, armatis obtemperat, & inde reportat gratiā, vbi inuenire potest alter offensam. Quid publicas actiones per difficiles minutias referamus esse collectas? quas magna subtilitate compositas, & ab illis exigunt, quos offendere non præsumunt. Eorum est etiam sudoribus applicandum, ꝙ victuales expensæ, longe quidem positæ, sed tanquam in vrbe regia natæ, sine querela prouincialium congregantur. Quia dum suis temporibus aliquid apte queritur, danti dispendium nō putatur. Actus ipsorum, nostra gloria est. opinio temporū, virtus explicabilis iussionum. & quicquid pro continendis omnibus gratificationis accipimus, eorum iuste prouisionibus applicamus. Splendescunt vsu ipso laboribus attributi, qui reddunt homines semper instructos. labores inquā, violenti magistri, soliciti pedagogi. per quos cautior quis efficitur, dum incurri pericula formidantur. Erudiatur quis forensibus literis, alter qualibet disciplina doceatur. Ille tamen instructior redditur, qui actu continuæ deuotionis eruditur. Et ideo talibus cum honore soluendum est, quod merentur. vt &

vt & sibi aliquando accipiat, qui semper Reipub. vtilitatibus acquirebat. Quocirca illi Primiscrinio, iam militię labore perfuncto, ex canone prouinciæ campaniæ, tertię illationis tot Solidos solenniter te dare censemus. vt & ille iustis laboribus perfruatur, & posteri eius exemplum liberæ famulationis accipiant, cum eum pro sua fide bene habitum fuisse cognoscunt.

IOANNI. CANONICARIO. THVSCIAE. SENATOR. POPVLO

MOderatrix rerum omnium diligenter desiderauit Antiquitas, vt quoniam erat plurimis per nostra scrinia consulendum, copia non deesset procurata chartarū. quatenus cum Iudices multis profutura decernerent, odiosas moras dulcia beneficia non haberent. Hoc munus supplicantibus datum est, ne auare constringerentur ad commodum, pro quibus a largitate publica constabat acceptum. Ademptus est impudentissimus exactionibus locus. specialiter a damnis exemit, propter quod principis humanitas dedit. Pulchrum plane opus Memphis ingeniosa concepit, vt vniuersa scrinia vestiret, quod vnius loci labor elegans texuisset. Surgit nilotica sylua sine ramis, nemus sine frondibus, aquarum seges, paludum pulchra cesaries, virgultis mollior, herbis durior, nescio qua vacuitate plena, plenitudine vacua, bibula teneritudine spongeum lignum, cui more pomi robur in cortice est, mollicies in medullis, proceritas leuis, sed ipsa se continens, fœdæ inundationis pulcherrimus fructus. Nam quid tale in qualibet cultura nascitur, ꝙ illud vbi prudentum sensa seruantur? Periclitabantur ante hoc dicta sapientum, cogitata Maiorum. Nam quemadmodū velociter potuisset scribi, quod repugnante duritia corticis vix poterat expediri? Ineptas nimirum moras calor animi sustinebat. & cum differebantur verba, tepescere cogebantur ingenia. Hinc & priscorū opuscula libros appellauit Antiquitas. Nam hodie quoque librum virentis ligni vocitamus exuuias. Erat indecorum, fateor, doctos sermones committere tabulis impolitis. & in veternosis ramalibus imprimere, quod sensualis poterat elegantia reperire. Grauatis manibus paucis memoriam commonebat, nec inuitabatur plura dicere, cui se talis pagina videbatur offerre. Sed hoc primordijs consentaneum fuit. quoniam rude principium tale debuit habere commentum, quod prouocaret ingenia sequentium. Inuitatrix pulchritudo chartarum affluenter dicitur, exceptionis subtrahi materia non timetur. Hæc enim tergo niueo aperit eloquentibus campum, copiosa semper assistit. & quo fiat habilis, in se reuoluta colligitur, dum magnis tractatibus explicetur. Iunctura sine rimis, continuitas de minutijs, viscera niuea virentium herbarum, scripturabilis facies, quæ nigredinem suscipit ad decorem, vbi apicibus eleuatis fœcundissima verborum planta, seges fructum mentibus toties suauissimum reddit, quoties desiderium lectoris inuenerit. humanorum actuum seruans fidele testimonium, præteritorum loquax, obliuionis inimica. Nam me-

a moria

Universidad de Deusto
Biblioteca

moria noſtra & ſi cauſas retinet, verba commutat. Illic autem ſecure repo-
nitur, quod ſemper æqualiter audiatur. Quapropter deputatam ſummam
tot Solidorum de Thuſcia prouincia illi ex illatione tertia te præbere cenſe-
mus, tertiam de decimæ Indictionis rationibus imputãdam. quatenus ſcri-
nium publicum integritatem fidei ſuæ laudabili debeat perpetuitate ſerua-
re. quod defectum inter mortalia neſciens, annua cumulatione ſemper au-
geſcit, noua iugiter accipiens, & vetuſta cuſtodiens.

VITALIANO. NVNC. CANCELLARIO. LVCANIAE. ET
BRVTIORVM. SENATOR. POPVLO

APparet, quantus in Romana ciuitate fuerit populus, vt eum eti-
am de longinquis regionibus copia prouiſa ſatiaret. quatenus
circunuectæ peregrinorum victui ſufficerent, cum illis vber-
tas aduecta ſeruaret. Nam q̃ breuis numerus eſſe poterat, qui
Mundi regimina poſſidebat? Teſtantur enim turbas ciuium ampliſſima
ſpatia murorum, Spectaculorum diſtenſus amplexus, mirabilis magnitu-
do thermarum, & illa vniuerſitas molarum, quam ſpecialiter contributam
conſtat ad victum. Hoc enim inſtrumentum, niſi fuerit vſuale, neceſſarium
non habetur. quoniam nec ornatui poteſt proficere, nec parti aliæ conueni-
re. Deniq; hæc, quaſi veſtimenta pretioſa corporum, ita ſunt indicia ciuita-
tum. dum nullus acquieſcit ſuperflua facere, quæ ſe nouit magnis prætijs
explicare. Hinc enim, vt montuoſa Lucania ſues penderet, hinc vt Brutij
boum pecus indigena vbertate præſtarent. Fuit nimirum vtrunque mira-
bile, vt & prouinciæ tantæ ciuitati ſufficerent, & ſic ampla ciuitas earum
beneficijs victualium indigentiam non haberet. Erat quidem illis glorio-
ſum, Romam paſcere. ſed quanto diſpendio videbatur poſſe conſtare, ad-
ducere tam multis muneribus, quę darẽtur ad pondus? dum quę proban-
tur decreſcere, nullus poterat imputare. Redactum eſt ad pretium, vbi pa-
ti non poterant detrimentum, quæ nec itineribus muniuntur, nec labori-
bus ſauciantur. Intelligant prouinciæ bona ſua. Nam ſi antiqui eorum fue-
runt ad diſpendia deuoti, cur iſti non ſint ad compendia ſoluenda muni-
fici? Et ideo ambos titulos in aſſem publicum iam redactos diligentia ſta-
tutis illationibus procurauit. ne meis temporibus negligentes eſſe videan-
tur, qui alienis dignitatibus laudabili integritate paruerunt. Nam licet &
alias prouincias ſtuduerint reficere, nil tamen in illis actum eſt, quod vo-
luerim vindicare. Senſerunt me Iudicem ſuum, & quibus priuatus ab auis
atauiſq; profui, viuacius viſus ſim meis faſcibus adiuuare. vt me agnoſce-
rent retinere affectum patriæ, quos in meis prouectibus ſentiebam pro-
penſa exultatione gaudere. Pareant ergo non compulſione aliqua, ſed a-
more. Quando & hanc ſummam illis minui, quę ſolebat offerri. Nam cum
mille ducenti Solidi annuis præſtationibus ſoluerent, ad mille eos regia lar-
gitate reuocaui. vt exultarent gaudiorũ elementis de oneribus imminutis.

INDVL

INDVLGENTIA

QVanuis nomen ipſum Iudicis dicatũ videatur eſſe Iuſtitię, & to-
tius anni orbitam æquitatis iubeamur ambulare veſtigijs. his ta-
men diebus in domicilio Pietatis iure deflectimus. vt ad Redem-
ptorem omnium remiſſionis itinere peruenire poſſimus. Ex hac
nim virtute ſuauiſſimos fructus legimus, & remittendo alijs nobis parci-
mus. Nam qui periculoſe iuſti ſumus, ſub ſecuritate ſemper ignoſcimus.
Quapropter pęnas abdicamus, tormenta damnamus, & tunc vere Iudices
ſumus. Macte Indulgentia, quæ ſoluis & præſul es. Tu patrona humani
generis. tu afflictis rebus medicina ſingularis. Quis tuo non egeat munere,
cum ſit peccare commune? Ab vniuerſis neceſſario peteris. quando ſub te
ſpes vitę ſumitur, quæ ſub Iuſtitia non habeẽt. Nam dum tribus alijs ſororij-
bus cœleſti gratia perfruaris, & amabili amplexatione nectamini, omẽs tibi
(q̃uis & ipſæ virtutes ſint) honorabiliter cedunt. quando te humano ge-
neri ſalutiferam eſſe cognoſcunt. Sed quid tantũ de terrena conuerſatione
dicamus? Pietas eſt, quæ regit & cęlos. O ſi tecũ liceret longis temporibus
habitare, totus excluderetur reatus. & parcẽdo fieret, vt parce tolleret. Sed
prouidentiſſime tanta res ſacris ſolum tẽporibus videt eſſe conceſſa. vt gra-
tius mundus acciperet, vnde pro rerũ nouitate gauderet. Quapropter ab-
ſtine noxiam lictor ſecurim, cui licet impune facere, qd' in alijs cognoſceris
vindicare. ama pauliſper ferrũ ſplendidum, nõ cruentũ. Cathenas tuas la-
chrymis madidas felicior rubigo ſuſcipiat. illud potius reconde, qd' ſolebat
includere. Auditoria feraliũ vocum meliore ſorte mutęſcant. Si re vera no-
men cuſtodis, ſine mortibus alienis, quid ſemper Inferis laboras? aliquando
& Superis milita. Otium tibi clemens actus indicit. Qui iuſtitię inexorabili
excubat, neceſſe eſt vt eum pietas benigna diſcingat. Et ideo cella gemitu-
um, triſtitiæ domus, apud Superos Plutonis hoſpitium, locus perpetua no-
cte cæcatus, tandem infuſione lucis albeſcat, in qua non vnum tormentum
ſuſtinet reus, qui antequã incurrat necis exitus a Supernis probatur abſci-
ſus. Primum pedor ille, collega cathenarũ, abominabili mœrore diſcruciat.
auditum alieni gemitus & lamenta conturbant. guſtum ieiunia longa de-
bilitant. tactum pondera prementia defatigant. lumina diutius tenebris
obtuſa torpeſcunt. Non eſt vnum clauſis exitum. multifaria morte peri-
mitur, qui carceris ſqualore torquetur. Nunc ergo reos de Auerno tuo vi-
ſcturos emitte. Redeãt ad Superos, qui ex magna parte Inferos pertulerũt.
Atria tua vacuitatibus impleãtur. Locus illę perennium lachrymarũ quõ-
dam triſtes incolas perdat. Non ſunt inde, qui læti ſunt. qui tunc profecto
habebit gratiam, ſi deſertus appareat. Exite incluſi, vicina morte ſemper
pallentes. Redite ad lucem, quos caligantes tenebræ poſſidebant. nihil am-
plius optata morte paſſuri, niſi q̃ adhuc poteratis occidi. Sed vos, qui
nulla debetis ambitione iam decipi, delicta relinquite cum cathenis, dierum

beneficijs absoluti. Viuite nunc honestate, qui didicistis superstites mori. Cognoscite, q̄ beneficialis sit bona conuersatio. altera contulit teterrimum carcerem, hæc nouit splendidam tribuere libertatem. Ista præstabit, vt velitis viuere. illa dedit, vt eligeretis iam perire. Si leges astringũt, vlterius vos nullus includit. Secreta pauescite. ad forum sine trepidatione venite. Illa iuste refugiris, per quæ tristia pertulistis. Mirentur vos liberos, qui viderunt reos. Odisse debetis, quod vos tradidit neci. Pecora ipsa vitare norunt, quæ se læsisse cognoscunt. itinera illa non repetunt, vbi in foueam corruerunt. Tenaces laqueos auis capta declinat, hærentem viscum alis suspecta non insidet. Pisceus Lupus arenis se mollibus, vt plumbati lini insidias euadat, immergit. cuius vt supradicta retia eius tergũ frustra diraserint, alacer in vndas exilit, & vitati periculi gaudia liberatus agnoscit. Scarus esca pellectus, cum iunceum carcerem cœperit introire, mox vt ad se exitium suum inuitatum fuisse cognouerit, in caudam labiẽ, paulatim se ab angusto subducens. Quem si alter eiusdem generis cognouerit irretitũ, extrema eius mordicus trahit. vt qui sibi captus non potest subuenire, alterius solatio probeturcuadere. Sic & Sauri argutum piscium genus, a velocitate nominati, cum se in insidias nexuosas impulerint, quasi quibusdam funibus æquabiliter illigati, totis nisibus trahentes retrorsum, socios conantur liberare captiuos. Piura sunt, si talia perquirantur. Omnia enim, quæ possunt habere contraria, facilis casus ablumeret, si curam salutis proprię non haberent. Ad te Claustrorum magistrũ verba reuocemus. Patere, pœnale secretarium tuum innocenter esse secretum. Torqueris quidem, quod nullus affligitur. a communibus gaudijs mœstus exciperis, dum tibi soli non parcitur venia generali, liuidæ Inuidiæ comparandus. Sustine de omnium securitate iacturam, qui habuisti de multorum afflictione lætitiam. Sed vt tuos quoq; gemitus consolemur, illos tibi tantummodo vendica, quos lex pietatis gratia nõ relaxat, ne cũ truculentis parceret, asperrima facino ra leuigaret. Soluamus ergo cuncta, sæcularibus actibus implicati. Patitur omnis homo periculosos nexus, quos festinat euadere. Claustra reos dimittant, nos vincula improbæ cogitationis absoluant.

MAGNI

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

VARIARVM · LIBER · DVODECIMVS

DIVERSIS . CANCELLARIIS . PROVINCIARVM SINGVLARVM . SENATOR . POPVLO

NEscio quis magnus esse creditur, qui de penetralibus ludicis destinatur. Quoniam tanto plus æstimatur quis amare iustitiam, quãto ab illo frequentius constat auditam. Per milites suos ludex intelligitur. & sicut discipuli magistri scientiam produnt, sic nos obsequentium mores aperiunt. Præceps non putatur obseruasse moderato. auarus paruisse non aduertitur continenti. stultus prudentibus seruisse non creditur. Periclitamur fateor in actionibus vestris, si vos mala intentione tractetis. & quod nulli accidit vestrum, alienum vitium, nostrum celebratur opprobriũ. Sustinemus tales casus, quales nos in alios iudicare nõ possumus. & lex qua fruuntur cuncti, in nobis non potest custodiri. Sed habemus iterum ex alia parte solatium, q̄ vestra bona nostra creduntur esse mãdata, & nobis ociosis acquiritur, quicquid gloriæ vestris laboribus expeditur. Si te enim aliquis sapienter agere videat, statim famam tui præceptoris exaltat. dum tale institutum fuisse creditur, qualia gesta nihilominus sentiuntur. Vna est sententia plebis, tales esse ludices, quales nos cõtigerit approbari. Et ideo magnopere cauendum est, ne ille de vobis incipiat iudicare, cuius nos opinionem contigerit ante laceraſſe. Vlciscitur pœnis, quod misistis in fabulis. vt tormentis nostris compescat, quod populus vulneratus exaggerat. Q̄ periculosum est, pati ludicem rationabiliter iratum? & illum de fortunis tuis decernere, quem te constat grauiter irritasse? Quapropter stude magis, vt nostra potius voce lauderis. Quia sicut te potest ludicis vel sermo deprimere, ita prosperrima sententia subleuare. Perge igitur, per illam Indictionem, iuuante Deo, ad illam prouinciam, Cancellorum pompa decoratus, & gloriosa grauitate præcinctus. Absens cogita præsentis pudorem. Nam quid debeas tentare vile, qui militas sub honore? Fasces tibi ludicũ parent. & dum iussa Prætorianæ sedis portare crederis, ipsam quodammodo potestatem reuerendus assumis. Edicta nostra inprimis obserua. ostende bonam te intendentibus viam. Nam cuius est ludicis custodire mandata, si milites nostra videantur negligere constituta? Reginam illam procacium vitiorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auaritiam fuge, cui cuncta crimina deteſtabili deuotione famulantur. quæ dum pectus hominis ingreſſa fuerit, gregatim quoq; malefidas cohortes admittit. Ferri nō poteſt recepta, quia neſcit eſſe ſolitaria. Agmen habet blandiſſimum, arma ſuſcipit ex talentis. & per dulcedinem ſuperat, quos amara deceptione captiuat. Proinde ad vtilitates publicas eſto ſolicitus. iniuncta morali compulſione procura. Plus agit inculcator rationis, cū poſſit exercere terribilis. Perſona tua refugium ſit oppreſſi, infirmi defenſio, præſidium aliqua calamitate concluſo. Sic enim proprie noſtros Cancellos agitis, ſi læſorum impia clauſtra ſoluatis.

VNIVERSIS. IVDICIBVS. PROVINCIARVM SENATOR. POPVLO

GRatias diuinitati refero. quia & prouinciales fecerunt, quæ monui, & ego cōpleui omnia, quæ promiſi. Nam nec me ſenſit quiſquam aliqua venalitate pollutum, nec ego pertuli Tributarios indeuotos. Habemus vterq; quod in nobis diligere debeamus. illi reppererunt affectuoſos ludices, nos acquiſiuimus integerrimos pręcones. Agamus itaq;, Deo præſtante, quod cępimus. Poſſeſſor mihi publicas pecunias libens inferat, ego illi in cōuentus iuſtitiæ tributa perſoluam. Vobis autem cōmode repetitur, quod veraciter actum eſſe ſentitur. quoniam de rebus præteritis ſpes magna redditur in futuris. Probaſtis enim, quia nullum coegimus dare, quod non debuiſſet offerre. Non publicis, non priuatis a me quiſquam damnis afflictus eſt. Diſcuſſorū terrores fecimus ignorari. Nec extraordinaria quæſiuimus, qui cuncta geri legibus optabamus. Sed nec vos ſitis in ea parte diſſimiles. Præſules imitatores eſſe dignitatis noſtræ, iura voluerunt. quibus pene eandem, quam nobis, iurisdictionem per prouincias contulerunt. Nullum repudiat ſequenda iuſtitia. omnes clarificat, quos ſui participatione ſublimat. minorem ſe ille ſolus facit, qui ab ipſa diſceſſit. Cur accipiendi ſectemur? Nullam gloriam recipit, qui diues vocatur. Deſideremus potius, quod nos pretioſiores locupletibus facit. Faſces accipimus, vt graues eſſe debeamus. Tribunalia conſcēdimus, vt morum gradibus euehamur. Nil vile, nil cupidū Iudices decet. Claras enim ſuas maculas reddunt, ſi illi ad quos multi reſpiciunt, aliqua reprehenſione ſordeſcunt. Alioqui expedit non videri, cū cunctorū irriſione ſignari. Omnes ergo, qui pręmiorum celſa petimus, vitiorum humilia deſeramus. Sit in nobis frons libera, vt aliorum poſſimus emendare peccata. Aequat crimen omne, quod inquinat. & ideo diſſimilis ab accuſato debet eſſe, qui iudicat. Hæc nos annuo ſermone conuenit loqui. quia bonarū rerum nulla ſatietas eſt. Fateor auiditatem deſiderij mei, cupio me vobiſcum velle prędicari. Veniamus nūc ad conſueta, quæ ideo debent ſuſcipi grata, quia probantur eſſe ſolennia. Quapropter, quod feliciter dictum ſit, te officium q; tuum, cū Dei iuuamine, poſſeſſorem præcipimus admonere, vt tributa Indictionis tertiædecimæ deuota mente perſoluāt. quatenus trinę illationis moderamine cuſtodito,

cuſtodito, debitam Reipub. inferant functionem. Tempora exactionū ſtatuta ſeruentur. ita tamē, vt nullus ſub immaturę compulſionis iniuria ſe ingemiſcat exactum. nec iterum ſub turpi venalitate induciarū largitas damnoſa prębeatur. Dilatio enim tributi maior fit cauſa diſpendij. quādo irrite ſuſpenditur, quod nullis protractionibus euitatur. Expenſarum quoq; fidelem notitiam, quaternis menſibus comprehenſam, conſuetudine cuſtodita, ad ſcrinia noſtra dirigere maturabis. vt totius erroris diſcuſſa caligine, publici ratiocinij poſſit claritas apparere. Nā ſi aliter facias, te damna reſpiciunt, quæ per neglectum tuū publicis vtilitatibus ingeruntur. Et vt facilius poſſis, Deo auxiliante, quæ ſunt ſtatuta perficere, illum atq; illum ſedis noſtræ milites, tibi officioq; veſtro conſuetudinarie præcipimus imminere. quatenus ordinatio noſtra inculpabiliter ſortiatur effectum. Caue ergo, ne te imparem noſtris pręſtes admonitis. Quia nimis fœdum eſt, vt a quo laudanda repoſcimus, reſecanda potius approbemus.

VNIVERSIS. SAIONIBVS. QVI. SVNT. CANCELLARIIS DEPVTATI. SENATOR. POPVLO

OPortet quidem cuncta ſub tranquillitate peragi, quemadmodum poſſit bonis moribus conuenire. Sed tanta eſt in Repub. de morum varietate diuerſitas, vt nemo valeat leges defendere, niſi terror videatur aliqua temperare. Aegris non vna cauſa ſalutis eſt. alter cibis reficitur, alter per abſtinentiæ beneficia tenuatur, hic lauacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera, & varium poſcit remedium diuerſa qualitas paſſionū. ſic qui populis præeſſe cognoſcitur, non vno conſilio præditurus inuenitur. Feroces diſtrictione præmendi ſunt, manſueti ciuiliter admonendi, doloſi caute, ſimplices ſub leuitate tractandi ſunt. Et ideo vbiq; probatur eſſe neceſſaria prudentia, quoniam rebus omnibus adhibere videtur accommoda. Quapropter deuotionem tuam ſolatijs illius viri clariſſimi Cancellarij noſtri ſolenni more deputamus. vt contra nullum alium erigaris, niſi qui legibus parere deſpexerit. Ad forum trahe, qui iuſta non recipit. ſub cōtinentia iraſcere, ſub maturitate diſtringe. Timeri te amplius volumus, q̄ probari. quia maxime illud vigori tuo reputabitur, ſi nullius præſumptione peccetur. Cogitetur præ omnibus pecuniæ publicæ fidelis actio. Sit tuum commodum contemptus alienus. Coactus faciat, qui iuſta ſponte complere neglexerit. Cauſis tantum te delegatis impende. Si præcepta ſequeris, deuia non requiris. Caret culpa, qui imperata perfecerit. In executore illud eſt peſſimū, ſi iudicis relinquat arbitrium. Non indeiacteris, q̄ tibi non poteſt obuiari. Nec aſſumere ſuperbiam velis, quia te multorū humilitas pertimeſcit. Viri fortes ſemper in pace modeſti ſunt, & iuſtitiam nimis diligunt, qui frequenter prælia tractauerunt. Q̄ gratum eſt, ſi inter parentes reuerſus, querelarum non reportes opprobrium, ſed ita te cognoſcant egiſſe, quemadmodum diligentes probantur optare?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nos etiam gratanter excipimus cum laude venientem, & ocio vacare non sinimus, quem probabiliter egisse sentimus. His etiam & rerum dominus maiora credit, quos bona conscientia vtilitates suas egisse probauerit. Quanta sunt, quę possunt tollere sapientes? Nemo amplius acquirit, qui se bona conuersatione tractauit.

CANONICARIO. VENETIARVM. SENATOR. POPVLO

MEnsæ regalis apparatus non paruus Reipub. probatur ornatus, quia tanta dominus possidere creditur, quantis nouitatibus epulatur. Priuati est, habere quod locus cõtinet, in principali conuiuio hoc profecto decet exquiri, qđ visum debeat admirari. Destinet Carpam Danubius, a Reno veniat Ancorago exormis, Tonsicula quibuslibet laboribus offeratur, Brutiorũ mare dulces mittat Acernias, Sapori pisces de diuersis finibus afferant. Sic decet Regẽ pascere, vt a Legatis gentium credatur pene omia possidere. Et ideo procuranda sunt vina, quæ singulariter fęcunda nutrit Italia. ne qui externa debemus appetere, videamur propria non quæsisse. Comitis itaq; Patrimonij relatione declaratum est, Acinaticum, cui nomen ex acino est, Euthecis aulicis fuisse tenuatum. Et quia cunctæ ciuitates inuicem sibi debent necessaria ministrare, quæ probantur ad rerum dominos pertinere, ad Possessores Veronenses, vbi eius rei cura præcipua est, vos iubemus accedere. quatenus accepto pretio competenti, nullus tardet vendere, quod principali gratiæ debetur offerre. Digna plane species, de qua se iactet Italia. Nam licet ingeniosa Græcia multifaria se diligentiæ subtilitate commendet, & vina sua aut odoribus condiat, aut marinis permixtionibus insaporet, sub tanta tamen exquisitione reperitur simile nil habere. Hoc est enim merum, & colore regium, & sapore præcipuum. vt blactam aut ipsius putes fontibus tingi, aut liquores eius a purpura credantur expressi. Dulcedo illi ineffabili suauitate sentitur. stipsis nescio qua firmitate roboratur. tactus eius densitate pinguescit, vt dicas esse aut carneum liquorem, aut edibilem potionem. Libet inferre, q̃ singularis esse videatur eius collectio. Autumno lecta de vineis in pergulis domestis vua resupina suspẽditur, seruatur in vasis suis, thecis naturalibus custoditur. Rigescit non liquescit ex senio, tunc fatuos humores exudans, magna suauitate dulcescit. Trahitur ad mensem Decembrem, donec fluxũ eius hyemis tempus aperiat. miroq; modo incipit esse nouum, quando cellis omnibus reperitur antiquum. Hyemale mustũ, vuarum frigidus sanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, inoleum nectar. deferuet primum in origine sua, & cum potuerit adolescere, perpetuam incipit habere nouitatem. nõ calcibus iniuriose tunditur, nec aliqua sordium admixtione fuscatur. sed quemadmodum decet nobilitas tanta prouocatur. defluit, dum aqua durescit. fœcunda est, cum omnis agrorum fructus absedit. Distillat gemmis comparem liquorem. Iucundum nescio quid illachrymat. & præter q̃ eius delectat dulcedo, in aspectu singularis eius est

est pulchritudo. Hoc q̃tocyus perquisitũ, & competentibus pretijs aggregatum Chartarijs, qui in rem directi sunt, tradite deferẽdum. Nec illud negligendum putetis, quod lacteo poculo reluceſcit. quoniam plus est mirabile, quod potueritis difficilius inuenire. Albedo ibi decora est, & serena puritas. vt illud de rosis, hoc credatur natura esse de lilijs. Colore quidem extraneum, sed sapore germanum est. Aspectus dispar, & similis in vtroque suauitas. Nam quod acute sapit, quod cito reficit, commune illis intelligitur. sed magis est distantia, quæ videtur. Illud intueris robore lætum, hoc inspicis candore festiuum. Et ideo procuratio eorum debet esse celerrima. quando in ambobus esse cognoscitur, quod pariter expetatur.

VALERIANO. V.S. SENATOR. POPVLO

GEneraliter quidem amplissimum cognitorem decet beneficia dilatare. quoniam qui omnibus præesse cognoscitur, cunctis impendere profutura censetur. Sed gratificãte natura illis amplius debemus, qui nobis aliqua proximitate iunguntur. dum quoddam genus recti videatur esse propositi, ab æqualitate discedi. Nam modestiam Collegio impendimus, reuerentiã Patribus exhibemus. Ciuibus debemus communem gratiam, sed affectum filijs singularem. & tanta necessitudinum vis est, vt nullus se contemptum dijudicet, si sibi aliena pignora prælata esse cognoscit. Et ideo non est aliquid iniustũ, de patria plus esse solicitum, eo præsertim tempore cum eius videamur periculis subuenire. Plus enim eos diligere credimus, quos eripere festinamus. Veniens itaq; numerosus exercitus, qui ad defensionem Reipub. noscitur destinatus, Lucaniæ Brutiorumq; dicitur culta vastasse, et abundantiam regionum tenuasse rapinis. Sed quoniam & illis dare, & istis sumere, pro temporis qualitate, necesse est, pretia quæ antiquus ordo constituit ex iussione rerum domini cognoscite temperata. vt multo arctius, q̃ vendere solebatis, in assem publicum præbita debeant imputari. quatenus nec possessor dispendia, nec exercitus laborans sustinere possit inopiam. Nolite igitur esse soliciti. Euasistis exigentium manus. tributa vobis præsens adimit apparatus. Sed quo facilius instrueretur nostra notitia, imputationum summas infra scriptis Breuibus credidimus exprimendas. vt nemo vobis vendat beneficium, qđ publica noscitis largitate collatũ. Continete ergo possessorũ intemperantes motus. Ament quieta, quos nullus ad incerta præcipitat. Dũ belligerat Gothorum exercitus, sit in pace Romanus. Felicium votũ est, qđ iubetur. Ne rustici, agreste hominũ genus, dum laborandi tędia fugiunt, illicitis ausibus efferentur. & contra vos incipiant erigi, quos vix poteratis in pace moderari. Quapropter ex regia iussione singulos Conductores Massarum, & Possessores Validos admonete, vt nullam contrahant in cõcertatione barbariem. ne nõ tantũ festinent bellis prodesse, quantũ quieta cõfundere. Arripiant ferrum, sed vnde agros excolant. sumant cuspides, boum stimulos,

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non furoris. Defensorum maxima laus est, si cum illi videantur prædictas regiones protegere, isti non desinant patrioticas possessiones excolere. Sit iudicibus vigor ex legibus. Subsellia non desinant iura malis moribus intonare. Timeat latro iudicium, quod semper expauit. Adulter gremium Iudicis intremiscat. Falsarius vocem pręconis exhorreat. Fur fora non rideat. Quia tunc libertas gaudet, si talia non lætentur. Sic enim prosperrime geri non sentietis bellum, si vobis sit communiter de ciuilitate consilium. Nullus opprimat indigentem. inuadite peruasores. insequimini persequentes. Est vobis competẽs pugna ciuilis. Omnia pacata vos redditis, si duces scelerum comprimatis. In annonis vero reputandis esto solicitus, ne aliquem cuiusquam possit fraudare versutia. Rectoribus autẽ exercitus a Rerum dominis sub mea præsentia cognoscite delegatum, vt dum a vobis necessario fuerint commoniti, grauatis per iniuriam debeat subueniri. Custodiant nihilominus disciplinam, vnde robustius armatur semper exercitus. Additũ est etiã beneficij genus, vt a pręsenti deuotione præceptis Regis nec diuina domus videatur excepta, sed totum communiter sustineatur, quod pro generalitate censetur. Nunc ergo cum fratribus vestris studiose consurgite. sub omni cautela necessaria prouidete. vt prosit re vera nobilissimæ patriæ talia volumina prætulisse. Quieta enim regere, & ex vsu administrare prouincias, homines vel mediocres intelligentiæ possunt. sed hoc opus, hic labor est, illud magis regere, quod se relictum non potest continere. Cessat enim nautarum in tranquillitate peritia. nec nomen præstat artifici, nisi fuerit vis magna periculi. Habetis ergo tempus, vbi & famam sapientum possitis acquirere, & in omni parte vos laudabiliter, iuuante domino, custodire. Meos autem vltra cæteros minime commendo. quia omnibus hoc cupimus accidere, quod nostris laboribus desideramus euenire. Mihi enim propria cura dilapsa est, postquam generalem cœpi cogitare custodiam. Opto meis bene, sed quod possit esse commune. quia magnæ iniustitiæ genus est, aliud sibi Iudicem velle, cũ potest generalitas sustinere.

VNIVERSIS. PRAEFECTVRAE. TITVLOS. ADMINISTRANTIBVS. SENATOR. POPVLO

QVanuis abunde sufficiant, quæ rerum domini ingenita pietate præceperunt, interminationes tamen importunis & fatuis adhibita districtione geminamus. vt qui nequeunt erubescere, saltem se contineant per timorem. Quis enim de sua prę sumptione gratuletur, quando famam perditurus est, qui interdicta tentauerit? Recondatur ambitio cæca cupientum. proterua refrenetur audacia. qui lucrum de malo quærit, pœna proposita terreatur. Additur etiam, q̃ nostris temporibus sceleratæ pecuniæ non valebunt. nec culpam suam redimit, qui reum se esse cognoscit. Iniquis fraudibus nõ patebit occasio. persequimur, non vendimus excedentes. Vbi iam male capientes spem habebitis, quando vobis & rerum domini, & vestri Iudices comminantur? Vos

Vos tamen, quos ad publicas administrationes peruenire, vestra fecit electio, de actionum honestate confidite. Quia vos illa venalitas excludit, si probitas continuerit actionis. Publicis vtilitatibus seruite fixi. quoniã vos nulla priuata damna cõcutient. Reddite hanc vicissitudinem iudicio meo. Vt qui vos nullo proprio suffragio grauari fecí, studeatis in vobis mea facta laudari. Præfixum itaque tempus a rerum dominis noueritis esse seruandũ. ita tamen, vt ea quæ vobis pro publica vtilitate decreta sunt, prouidere ac soluere debeatis.

CANONICARIO. VENETIARVM. SENATOR. POPVLO

SVb clementia principis nihil constat licere fortuitis. quando siniſtros casus corrigunt, qui præstare prosperrime censuerunt. Nam quemadmodum inferret nudus sæuam barbariem, & districtum principem? quando spoliatus iure negat, quod affluens inferre didicerat. Atq; ideo illi vel illi, Sueuorũ incursione vastatis, fiscum decimæquintæ Indictionis serenitas regalis indulsit. sicut te poterit instruere relecta prœceptio. Vnde obedientiam commendantes a supradictis possessoribus de prædijs, quæ tamen cognoueris esse vastata, præsentis Indictionis tributa non exigas. reliqua vero solenni compulsione procura. Vt constitutis temporibus Arcario nostro residuã suppleas quantitatem. Caue ergo, ne grauior fias hostibus, si adhuc nudare velis exutos. chlamydes non pauescant, qui arma timuerunt. rapinas non sentiant post prædones. Validas contra te apocas inuenerunt, inuictas securitates illis dedit calamitas sua, violenter abstulit, quod quærebas. Cui nihil videtur relictum, a tributis constat esse liberatum.

CONSVLARI. PROVINCIAE. LIGVRIAE. SENATOR. POPVLO

NOuum genus videtur esse compendij, postulantes acquirere, & præstantes nulla damna sentire. Nam sic accipitur ab vno, vt perire non possit ab altero. donatur sine dispendio, ceditur sine imminutione. & nomen habet munificentiæ, qui iura domini nescit exire. Quapropter ille causarum fiscum, in illa prouincia constitutarũ, quas Breuis subter cõscriptus eloquit. exactorũ suggerit enormitate vexari. Desiderans sine aliqua imminutione publicæ vtilitatis, inferre se debere nostris Arcarijs debitam functionẽ. Quod nos, qui nullorum damnis studere cognoscimus, dummodo fisco competẽtia rationabili satisfactione soluantur, libenter annuimus. Quia hoc est bona desideria suspendere, qd̃ illicita perpetrare. Qua de re spectabilitas tua commonitis Curialibus vel Cõpulsoribus, necnon & his, quorum interesse cognoscit, ab illa Indictione prædictis causis exactionem facies sub hac conditione remoueri, vt si inter illas Calendas summa, quę expetit, nõ fuerit Arcario persoluta, intra prouinciã solennis exactio peragatur. Minus ne fide suæ promissionis Arcariorum apocis probauerit esse completam, ab omni inquietudine compulsorum designata prædia liberentur. Quia illa magis debent eligi, quæ sine suspitione damni

libenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

libenti animo probantur offerri. Grata enim nobis est sine instantia compulsoris exactio, & hoc deuotum facere, quod vix poterat actus implere. Atq; vtinam possessor vltroneus, & nobis necessitatem morarum tolleret, & sibi damna competentibus illationibus abrogaret. Ipse enim imminentem necessarium facit, qui solennia præbere distulerit.

PASCHASIO. PRAEFECTO. ANNONAE. SENATOR. POPVLO

Pletate plenum est, peregrinam gentem publicis beneficijs obligare, & non tantum consanguineos ad substantiæ lucra mittere, quantum ipsos quoque aduenas inuitare. Hereditas, quæ est sine proximis, absq; parentela successio, solaq; fide generis est, patrios sonare sermones. Afer enim sic expetit beneficia, vt sibi olim doceat fuisse concessa. donum sine accipientis nomine, præter personam largitas. quia primum collatum est genti, vt postea potentium vocabulum potuisset affigi. Hinc est, q; iure quodam postulant hereditates alienas, & illis tantum videtur competere, quod Romanus non potest in causis similibus obtinere. Beneficium tale non habuerunt in patria sua, sed hic omnes sub hac conditione parentes sunt. vniuersa natio, quantum ad successionis beneficium, vna familia est. Quocirca experientia tua preces illius diligenti examinatione discutiat. & si re vera ille, quem suggerit de hac luce transisse, filios non reliquit, nec ab alio constat rationabiliter possideri, introductiõem memoratæ rei officium vestrum celebret ex more. quatenus antiqua pietas regnantum præsentium reparet beneficia dominorum. & possit pro illis supplicare, sub quibus se magis intellígit votiua meruisse. Resumat facultatem, quam se suspirauerat amisisse. Peregrinum se vltra dicere non potuit, qui optata iura conquirit. Habeat possessorum similem dignitatem, & iam tributa reparatus inferat, qui opem ab alienis manibus expetebat. Gaudeat se ad hoc perductum, vt daret, qui vtiq; nisi habenti non probatur emergere. cæteris dominis in hac tantum sorte deterior, quoniam alienare nequiuit, quod possidere præualuit. Sed & hoc quoq; magna credimus æquitate repertum, vt qui loco succedit pignoris, substãtiam suam affectu patris iure seruet extraneis. Miseratione pastus, nunc pascat & alios. felix illi contigit & prædicanda captiuitas, Romana ciuitate perfrui, & Afrorum priuilegijs potuisse misceri.

DIVERSIS. CANCELLARIIS. PROVINCIARVM. SENATOR. POPVLO

RAtionum publicarum reliquiæ infaustæ sunt ægritudini comparandæ, quæ grauatum debilitant, nisi sub celeritate discedant. Reatus quidam est, esse sub debito. nec liber potest veraciter dici, qui probatur obnoxius reperiri. Prudens se ipse compellit. minus cautus est, qui vrgetur ab altero. Nam quid egit totius anni suscepta expulsio? Summa futuræ Indictionis & quantitas exigatur. Parendo, nõ parcitis. exonerando, prægrauatis. & dũ venales moras quæritis, tributi onera duplicatis.

duplicatis. Relinquite tandem crudelem misericordiam, beneficia tota detestatione fellita. Grauius percutit, qui blandiẽdo grassatur. & sub indulgentia lædit, qui consuetis temporibus exigere tributa distulerit. Et ideo desinite aliquando possessorũ damna mercari. quia totum conscripti per incommoda redditis, quod iniquis dilationibus abstuliſtis. Post ista enim non vos credatis verbis iterum commoneri, sed irremissibili exactione compelli. Quapropter si ad illum diem Archario nostro, quę de prouincijs solenniter postulantur, dispunctis rationibus, non aut per te intuleris, aut destinaueris quantitatem, degeniatus in prouincia velociter reddis, quæ te male distulisse cognoscis. Quia nimis iniquum est, vt assis publicus sub tua negligentia iaceat, & Archarius mutuatam pecuniam publicis vtilitatibus incessanter expendas.

PETRO. NVNC. EROGATORI. OBSONIORVM SENATOR. POPVLO

PRobatæ debet esse conscientiæ, qui principalia beneficia præponitur erogare. ne aliqua cupiditatis sorte desiccetur, quod a tanta liberalitate profunditur. Mutant enim quaslibet largitates rapientium manus. Et sicut fontis puritas per limosa corrumpitur, sic affluẽtia boni Regis auaris distributionibus immutatur. Aurum ipsum, cum soluitur in liquorem, nisi mundissimo caliculo suscipiatur, inficit. quoniam puritatem sui illa sola custodiunt, quæ nulla sordium admixtione fuscantur. Q; gratum, per niueos calculos riuulos videre currentes? & ipsam quodammodo Naturæ liberam ridere puritatem, quando in illis maculis iniuriata turpatur? Sic dona Rerũ domini nulla debent pollutione fuscari. sed sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad Romanos peruenire purissima. Nam licet omnis fraus grauis esse videatur. illa tamen importabilis redditur, quæ in Romulea plebe grassatur. turba quæ viuit quieta. populus qui nescitur, nisi cum locus est. clamor sine seditione. strepitus furoris nescius. quibus sola contentio est, paupertatem fugere, & diuitias non amare. Nesciunt esse lucripetes, nec aliqua se negationis calliditate diseruciant. viuunt fortuna mediocrium, et conscientia diuitum. Nonne piaculum est, talibus rapere, qui nesciunt aliena fraudare? Quapropter obsonia, Romano populo distribuenda, ab illa Indictione, propitia tibi diuinitate concedimus. vt sine aliqua diminutione percipere possit, quod regia largitate promeruit. Caue, ne quod illi meruerunt alter accipiat, & tu a gratia nostra peregrinus reddaris, si a ciuico amore discesseris. Non fiat latialis pretio, qui ciuitatis illius nõ habet iura nascendo. Honorandum semper est, quod nomen gentibus dedit, quoniam potior in humanis rebus redditur, de cuius aliquid claritate præstatur. Munera ista Quiritũ sunt. Non surripiat locum liberi fortuna seruilis. In maiestatem Romani populi peccat, qui sanguinis illius puritatem famulorum societate commaculat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANASTASIO. CANCELLARIO. LVCANIAE. ET
BRVTIORVM. SENATOR. POPVLO

CVm apud Rerum dominum solenni more pranderemus, & diuersæ prouincię de suis delitijs laudarentur, ad vina Brutiorum & Silanica ei suauitate, currente vt assolet sermone, prouentū est. quod herbarum beneficio tanta ibi Naturę iucunditate conficitur, vt non credas deesse mellis gustum, quem nulla conspicis qualitate permixtum. Manat illic leuiter prouocatum lac vberibus fistulosis, & quasi in alios ventres Naturæ vbertate collectū, non guttis impluit, sed quibusdam repentinis torrētibus intumescit. Redolet suauis & varius odor herbarum, naribus agnoscitur pecudum pastus, qui flagrās virtute diuersa, thuris sentitur inspirare similia. Huic tanta pinguedo sociatur, vt arbitreris simul decurrere palladium liquorem, nisi quod ab illa prasina viriditate niueo candore discernit. Tunc cadis late patentibus copia illa mirabilis loco nimirum pastore suscepta, cū admixtione coagulī in callosam cœperit teneritudinem condurari, ad pulcherrimū orbem forma perducitur, quę subterraneis horreis aliquantulum congregata, diuturnam casei fecit esse substantiam. Hoc quantocyus superimpositū nauigijs destinabis, vt desiderijs regalibus paruo munere satisfeciſſe videamur. Vinum quoqꝫ, quod laudare cupiens Palmatianum nominauit Antiquitas, nos ſtipſim a ſpiritu, ſed gratū ſuauitate perquire. Nam licet inter vina brutia videatur extremum, factum tamē est pene generali opinione præcipuum. Ibi enim reperitur & gazeto par, & sabino simile, & magnis odoribus singulare. Sed quia illud famam sibi nobilissimā vindicauit. Hoc & in suo genere nimis elegans perquiratur, ne prudentiam Maiorum aliquid appellasse videatur improprium. Est enim suaui pinguedine, molliter crassum, viuacitate firmissimum, nare violentum, candore quoqꝫ perspicuum. quod ita redolet ore ructatum, vt merito illi a palma nomen videatur impositū. Viscera defecta constringit, vulnera madida desiccat, lapsum reficit pectus. & quod vix valet implere potus arte compositus, hic naturaliter prestat infectus. Sed prouide, vt supradictas species exactas debeas destinare. quia falli non possumus, qui hoc patriotica veritate retinemus. Ad præsens enim de cellarijs nostris, quę desiderabantur, obtulimus. Tu autem tuo periculo dissimilia facis, quorum iam iudicia teneri posse cognoscis.

EDICTVM

VSu contineri debet omnium, largitas impensa dominorum. quoniam necesse est vniuersitati proficere, quod illos impulsu diuinitatis probatum fuerit effeciſſe. Pietas siquidem principū totum custodit imperiū. & dum illis vicissitudo digna redditur, incolumia Reipub. membra seruantur. Dudum siquidem imperialia constituta per Brutios atqꝫ Lucaniam sacrosanctas Ecclesias aliqua munerum deuotione iuuerunt. Sed vt est sacrilegis mentibus familiare, & in ipsa quoque reuerentia

reuerentia diuina peccare, nonnullam exinde partem Muneratiorū nomine Canonicarij subtrahebant. facientes laicum commodū substantiā clericorum. quod sedis nostrę Munerarij execratiōe detestabili respuētes, nunq̄ sibi illatum fuisse suggerunt, quod de tali scelere manus impiæ effraudauerunt. Quid adhuc minime audacia humana tentabis, si & ibi furta porrigis, vbi te minime latere posse cognoscis? Vt illudas oculis fortasse mortalibus, quanuis iniqua, tamen aliqua videtur præsumptio. quanta vero cæcitate damnatur, qui se æstimat perpetrare, quod diuinitas non possit aduertere? Sed ne similis vlterius grassetur forte præsumptio, aut diuinam patientiam frequēs prouocare possit excessus, edictali programmate definimus, vt qui in hac fuerit vlterius fraude versatus, & militia careat, & compendium propriæ facultatis amittat. Grauiore siquidem pœna plectendus, qui vsque ad iniuriam diuinam suam nihilominus tetendit audaciam. Habeant pauperes dona regnantum. possideant aliquid, quibus nulla facultas est. Cur aliena substātia in regali posita largitate peruaditur? Possessio eius, principis munus est. Quemadmodum præsumat subiectus cōtingere, quod Deo respicit humilitatem dominantis offerre? Additur, q̄ talibus non dare, tulisse est. & merito, quando qui potest esurientibus subuenire, si nō pascit, extinguit. Pudeat illis tollere, quibus iubentur offerre. Vltra omnes crudelitates est, diuitem velle fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra, horreantur damnosa compendia. nullus audeat inde tollere, quod possit collecta dispergere. Addendo perdit, qui retinendo collegerit. & paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit.

ANASTASIO. CANCELLARIO. LVCANIAE. ET
BRVTIORVM. SENATOR. POPVLO

RHegienses ciues, vltimi Brutiorū, quos a Siciliæ corpore violenti quondam maris impetus segregauit, vnde ciuitas eorum nomen accepit, diuisio enim ῥήγιον græca lingua vocitatur, iniqua sugerunt se exactorum præsumptione fatigari, implorantes non aurium, sed oculorum nostrorum nota remedia, qui possumus scire, territorium eorum quod petitur non habere. Est enim montanis lapillis terra rarissima, arida pascuis, sed vndosa vindemijs. segetibus aduersa, sed oliuis accommoda. & ideo cultura eius omnis in sarculis est, quia superficies ipsius sicca nutrire non valet superne nascentia. Tergore illic ager nudus, industria potius, q̄ Natura vestitur. Nam palladiæ syluæ po viriditate contegitur, qui in solo aridissimus approbat. Talibus enim locis illa proficiunt, quæ radicibus proceris ab humi penetrale descendunt. Segetes rigantur, vt viuant. & conditione mutata hoc aristis impenditur, quod oleribus exhibetur. Quāta seges est, quę manu colitur? raro illic ab area venit humeris grauatus agricola. vt nō messis in horreis colligatur, sed vix possit aliquos cophynos de summa vbertate complere. In ortis autem rusticorum agmen

Universidad de Deusto
Biblioteca

habetur operosum. quia olus illic omne saporum est marina irroratione re/
spersum. quod humana industria fieri consueuit, hic cum nutriretur, acce/
pit. Contra Maronis aũt sententiam, intyborum illic fibræ dulcissimę sunt,
quæ præcinctæ foliis tortuosis calloſa teneritudine conglobantur. vnde
in morem vitri aliquid decerptũ frangitur, dum a fęcundo cespite segrega/
tur. His victualibus, si vis nosse, regio illa fœcunda est. nam & marinis de/
litijs copiosa iucunditate perfruitur. quia ibi mare Supernum ac Infernum,
insertis frontibus adunatum, delitias vtriusq; pelagi in vnam congregatio/
nem sinus sui volubilitate perducit. Necesse est enim illic & pisces propera/
re, vbi constat & vndam posse defluere. Exormiston quoq; inter pisces re/
gium genus, compar murenis corpore, vel colore distans, naribus setosis,
colostrea delicatitudine præditum, oleoso ac suaui liquore coagulatum, ap/
petibilis grataq; pinguedo, cum spumis fluctuantibus inter aĕris confinia
cœperit enatare, nescit ad cubilia redire. quę deserit, credo, aut immemor re/
uersionis, aut teneritudine summa mollitus. nequit vndis eleuantibus con/
traria obluctatione demergere. fertur velut corpus exanime, nullis nisibus
periculum, nulla arte deuitans, & hinc viribus destitutus, redire non credi/
tur, quia nec fugere posse sentitur. Hic plane tantę dulcedinis esse dignoscit,
vt ei nemo piscium comparetur. Hæc sunt in litore Rhegino, quę diximus.
quod non alio referente cognouimus, & si visuali probatione retinemus.
Quapropter lardi atq; tritici species nullis temporibus coemptiõis nomine
inde decernimus postulari. Quia nimis calumnioſe petitur, quod loci benefi
cio non habetur. Deinde sufficere debet defensio veritatis et testimoniũ lu/
dicis. Quia nimis execrabile malũ est, si cum aliud nouerit conscientia, aliud
lingua decernat. Additur etiam, q; tantis commeantium fatigantur aduen/
tibus, tanta excurrentium laceratione deteritur, vt rationabiliter illi remitti
debuisset vel quod apud ipsam nasci posse constaret.

MAXIMO. V.I. CANCELLARIO. LVCANIAE. ET
BRVTIORVM. SENATOR. POPVLO

SCillacium prima vrbium Brutiorum, quam Troiæ destructor
Vlysses creditur condidisse, irrationabiliter dicitur præsumen/
tium nimietate vexari. qd' nobis pręsidentibus non oportuisset
assumi. quia læsiones eius cogimur plus dolere, dum patriotica
nos probatur affectione contingere. Ciuitas supra sinum Adriaticum con/
stituta, in modũ botrionis pendet in collibus. non quod difficili ascensione
turgescat, sed vt voluptuose campos virentes & cærula maris terga respi/
ciat. Hæc nascentem Solem ab ipsis cunabulis intuetur, vbi ventura dies nõ
præmittit auroram, sed mox vt oriri cœperit lampadem suam vibrans ful/
gor ostendit. Gaudentem respicit Phœbum. propria illic nominis claritate
resplẽdet. vt ipsa magis Solis putetur esse patria, Rhodi opinione superata.
Fruitur luce perspicua. aĕris quoque temperatione dotata, apricas hyemes
refrigeratas

refrigeratas sentit ætates. & sine aliquo mœrore transigitur, vbi infesta tem
pora non timentur. Hinc & homo sensu liberior est, quia temperies cuncta
moderatur. Patria siquidem feruens leues efficit & acutos, frigida tardos,
& subdolos. sola temperata est, quæ mores hominum sua qualitate com/
ponit. Hinc est, q; Antiqui Athenas sedem sapientium esse dixerunt, quæ
aĕris puritate peruncta, lucidissimos sensus ad contemplatiuam partem fe/
lici largitate præparauit. Nunquid enim tale est corpori, aquas cænosas
sorbere, quale perspicuitatem dulcissimi fontis haurire? Sic animæ vigor o/
neratur, dum spiritu grauiore comprimitur. Subiacemus enim necessario
talibus rebus. quando nubilo tristes efficimur, & iterum naturaliter ad
serena gaudemus. quia cœlestis animæ substantia ad infecta quoque & pu/
rissima lætatur. Fruitur marinis quoq; copiosa delitijs, dum possidet vici/
na, quæ nos fecimus, claustra neptunia. Ad pedem siquidem Moscij mon/
tis saxorum visceribus excauatis, fluenta nerei gurgitis decenter immisi/
mus. Vbi agmen piscium, sub libera captiuitate ludentium, & delectatione
reficit animos, & admiratione mulcet obtutus. Currunt auidi ad manus
hominum. & antequam cibi fiant, escas expetunt. Pascit homo delitias suas.
& dum habet in potestatem quod capiat, frequenter euenit, vt repletus om/
nia derelinquat. Spectaculum quoq; pulchre laborantium non adimitur in
ciuitate sedentibus. Cernuntur affatim copiosæ vindemiæ. Arearum pin/
guis tritatura conspicitur. Oliuarum quoque virentium vultus aperitur.
Non eget aliquis agrorum amœnitate, cui datum est de vrbe cuncta con/
spicere. Hęc quia modo non habet muros, ciuitatem credis ruralem, villam
iudicare possis vrbanam. & inter vtrunque posita, copiosa noscitur laude
ditata. Hanc dum frequenter inuisere desiderant commeantes, dum tædia
laboris refugere cupiunt, amœnitate ciuitatis in parauerendorum & an/
nonarum præbitione propriis ciues fatigantur expensis. Quapropter ne
lædat vrbem amœnitas sua, aut res præconij fiat causa dispendij, paraue/
redorum & annonarum præbitionem, secundum euectiones concessas,
in assem publicum constituimus imputari. pulueratica quoq; Iudicis fundi/
tus amputantes, trium tantum etiam dierum præsulibus annonas præberi
secundum vetera cõstituta decernimus, suis expensis facta tarditate vectu/
ræ. Leges enim administrantes, remedio nõ oneri esse voluerũt. Qua de re
equitatis intuitu ciuitas vestra releuare, iudiciariũ est, qd' tibi referimus, non
remissum. Viueiuuante Deo, iustitia sæculi, & securitatis gaudio singulari.
Alij dicant insulas, ego habitationes tuas appellarem potius, Fortunatas.

CANONICARIA

TEmpus admonet humanis rebus indesinenter accommodum
(dum res nobis etiã asperas captata semper opinione conciliat)
vt illationum fiscalium curam annua festiuitate reparemus. quo
niam Reipub. ordo tali cõsistere cernitur, quod pro cunctorum
vtilitate præstatur. Diligenda sunt ista, vnde Respub. videtur esse firmissi/

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma. Quæ dum redeunte censu reficitur, status sui firmissimo robore continetur. Quapropter magna est quolibet tempore monstrata deuotio, sed tunc acceptior redditur, quando necessaria plus habetur. Præbeant igitur possessores stipendia, suæ gratiæ profutura. Debitum siquidem, quod non potest euitari, prona debet mente semper offerri. vt fiat beneficium, quod sine compulsione constat illatum. Atq; ideo, quod feliciter dictum sit, per Indictionem primam in dictione tua possessorem te præcipimus admonere, vt trina lllatione seruata, assem tributarium deuotus exoluat. quatenus nec aliqui se sub immatura exactione ingemiscat exactum, nec iterum remissione lentata, quisquam se dicat esse præteritum. Nullus quantitatem iustæ ponderationis excedat, sitq; libra iustissima. modus non erit rapiendi, si pondera fas sit excedi. Expensarum quoq; fidelem notitiam, per quaternos menses ad scrinia nostra solenniter declinabis. vt totius erroris obscuritate detersa, rationibus publicis veritas eluceſcat. Sed quo facilius possit, Deo iuuante, quæ sunt instituta complere, illum atque illum sedis nostræ milites, tibi officioq; tuo periculorum suorum memores præcipimus imminere. Quatenus quod agnoscis iussum, inculpabiliter sortiatur effectum. Caue ergo, ne te aut improbæ redemptionis, aut torpentis desidiæ culpa respiciat. & quod expedire neglexeris, tuis inferat damna fortunis.

IOANNI. LIQVATARIO. RAVENNATI. SENATOR. POPVLO

NVnitio ciuitatum spes est certa cunctorum. quoniam in pace ab exteris gentibus discitur, quod veraciter in certamine timeatur. Plena est enim diuersis generibus hominum habitatio vrbium singularum. Quis nouit, cum qua gente confligat? Ideoq; omnes debent agnoscere, quod futuris hostibus gratum non sit audire. Quapropter ex nostra iussione possessores admonere curabis, vt iuxta montem Caprarium, & loca circuniecta muris, fouearum ingentia ora condantur. talisque ibi pateat hiatus, vt nullus relinquatur introitus. Cur nefandi homines perscrutamini accessus illicitos, quibus portarum permittitur licenter ingressus? Nescio quid videmini tegere, qui palam non desideratis intrare. Conscientia recta vias publicas tenet, plurimorū collocutione gratulatur, & cum diuersos gratanter inquirit, laboris tædio non grauatur. Amicum est autem crimini, velle nesciri. & qui vias suas occulit, conscientiam prodit. Proinde in vsus generales itinera prisca reuocentur. ne dum compendium laboris quærunt, vitæ dispendia patiantur. Ille enim iure habendus est hostis, qui munimina nititur violare ciuitatis.

CONSTANTINIANO. VIRO. EXPERIENTISSIMO. SENATOR. POPVLO

REgius apparatus sicut negligentibus affert periculum, sic strenue laborantibus præstat ornatum. Quia præmium est vitæ, domino videnti seruire. cui nec culpa cælari, nec bonum possit abscondi. Qz gratum est, sine offensione aliqua iter agere destinatū videre

videre iudicia diligētię? dubia sine timore transire? gressu facili mōtuosa conscendere? in pontibus trabē nō tremere? viamq; sic conficere, vt omnia probentur animo conuenisse? Militiam vestrā transcenditis, si Rerum domino placere possitis. Nam cui nos parere contendimus, magnus prouectus est, si mereamini ad eius placidos venire cōspectus. Quocirca iter Flaminiæ, riuis sulcantibus exaratum, hiantes ripas latissima pontium interiectione cōiungite. oppressas margines platearum asperrimis syluis enudatæ, paraueredorum ascriptus numerus procuretur, cum electa qualitate membrorū. annonarum designatarum copia sine aliquo possessorum dispendio congregentur. Quia sic omnia grata redditis, si in nulla parte peccetis. Res vna subtracta cuncta deformat, & totum deesse creditur, vbi vel minima querela asperitas commouetur. Speties præterea, quæ mensis regijs apparantur, exactas tota sedulitate perquirite. Nam quid proderit exercitui satisfacere, si vos contigerit in ipsa dominorum passione peccare? Pareant prouinciales admoniti. ciuitates singulę declarata Breuibus subministrēt. Nam quoties læto principio occurritur, efficaciter beneficia postulantur. Cogitate etiam, q; præsens facta vestra dijudico, aut gratias vobis domini gaudens reddo, aut commonitionem principis attribuo. Agite ergo, ne mihi imputetur vester excessus. quia cunctis de vobis satisfacio, quod culpis vestris offendero. Persoluat mihi potius gratiam vniuersus exercitus. Magna nobis erit gloria, & me securum reddere, & tantorum bona iudicia meruisse.

MAXIMO. VICARIO. VRBIS. ROMAE. SENATOR. POPVLO

ADuentum quidem regium ex ipsa potestis cognoscere frequentia commeantium. quia necesse est, vt res magna competentia præmittat semper indicia. Venturum diem Lucifer demonstrat exortus. serena secutura fauens ventus ostendit. imminentia bona quadam cum præsagitione dignoscimus. & difficile magna res geritur, quæ signorum præcursione minime declaratur. Veruntamen & vos necessario commonemus, vt pontis iunctione tiberinos fluctus solenniter vestiatis. quatenus transitum præbeat intremulum, fixum concathenatione nauigium, & de suo situ celerem nobis præstet excursum. Non moueatur pigris funibus, vt solebat. non manibus trahentium moles tanta torpescat. celeritatem potius fixa conferat, quam se mouens antea non præbebat. Ambulent commeantium greges, profecto non nauigijs incisa nos vnda deportet. Sic decet dominum suscipi, vt aliqua debeat nouitate gratulari. Tabularum fortiter iunctura conscripta, soliditatem debet præbere necessariam, vt pauorem vndas dubitantium terrena similitudine possit auferre. Optetur quinimmo longior fuisse, cum transitur innocue. Cancellorum tutamen dextra læuaq; decenter aptetur. Prosper datur transitus, cū fuerit casus asper exclusus. Vide quemadmodū reliqua ad te pertinētia prępares, qui te occursurū esse cognoscis. Quale est em̄ in tanta frequentia non

Universidad de Deusto
Biblioteca

potuisse culpari. Vniuersos affligit, qui Regi aliquid necessarium subtrahit, quia dum lętus optatur ab omnibus, cunctos contristat, si probeť offensus. Adde, qꝙ sic prędarū est sub tanta Senatorū occursione laudari, principem sic susципere, vt omnes intelligāt nil deesse, ante ipsum quoqꝫ dominum venire lętum, cꝫ aliqua trepidatione confusum. Insperatum bonum est, si is ad quem deceptionis pertinet periculum, sibi gratiæ procuret augmentum. In quam rem illum sedis nostræ militem nos direxisse cognosce, qui tibi officioqꝫ tuo debeat imminere. quatenus nobis omnia parata renuntiet, quia committi non potest casui, quod nostro periculo constat asscribi.

THOMATI. ET. PETRO. VV. CC. ARCARIIS
SENATOR. POPVLO

REtinetis mecum, fidelissimi viri, sanctum Agapitum, vrbis Romæ Papam, cum ad Orientis principem legationis gratia mitteretur, iussiōe regia datis pignoribus, a vobis tot libras auri factopictatio solenniter accepisse. vt cui prouidus dominator iussit ad subitum eius etiam vrgeret excessum. Primum quidem benigne præstitit, qui in necessitate mutuas pecunias dedit. sed quanto gloriosius fecit, etiam illud largiri, quod cum gratiarum actione potuisset offerri? Victa est sine damno necessitas. manus Papæ dabat, quod eius substantia non habebat. & illud iter est indemne redditum, quod donis constat expletum. Qualem, rogo, videbatur antistitem petentibus Ecclesiam, & Ecclesiam nulla detrimenta sentire? Distributor fuit potius, cꝫ donator. quia necesse est illi applicari, de cuius facultatibus videbatur expendi. Quid non agat apud pium principem talis legatio, quam destinatam singulari constat exemplo? Quapropter nostra præceptione commoniti, & regia iussione securi, sanctorum vasa, cum obligatione chyrographi auctoribus sancti Petri apostoli, sine aliqua dilatione refundite. vt lucrose reddita celeriter impetrata videantur. optata referantur manibus Leuitarum ministeria, toto Orbe narranda. donetur, quod proprium fuit. quoniam iuste per largitatem recipit, quod sacerdos legibus obligauit. Superatum est exemplum, quod in historia nostra magna intentione rettulimus. Nam cum Rex Alaricus vrbis Romæ deprædatione satiatus, apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset, mox vt rei causam habita interrogatione cognouit, sacris luminibus deportari diripientium manibus imperauit. vt cupiditas, quæ deprædationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum. Sed quid mirum, si reuerendorum sanctorum deripere noluit, qui tanta se vrbis vastatione ditauit? Rex autem vester religioso proposito reddidit vasa, quæ iure pignoris propria videbantur effecta. Et ideo talibus factis frequens præstetur oratio. quoniam læta concedi posse credimus, cum retributionem bonis actibus postulamus.

DEVS

DEVS DEDIT. SCRIBAE. RAVENNATI
SENATOR. POPVLO

SCribarum officium securitas solet esse cunctorum, quoniam ius omnium eius solicitudine custoditur. Alios enim depopulantur incendia, alios nudat furtiua surreptio, nonnullis negligentia perit, quod diligens auctor acquirit. sed de fide publica robustissime reparatur, quicquid a priuatis amittitur. Diligentior est in alienis, cꝫ potest esse cura de proprijs. non admonitus facit, quod vix rogatus impleret. & requisitus non potest negare, quod is cuius interest se fatetur amisisse. Armarium ipsius fortuna cunctorum est. & merito refugium omnium dicitur, vbi vniuersorū securitas inuenitur. Ad paterna transit officia. Sit incorrupta, sit veritas custodita. Nam sicut diligēs genitor seruat, quod ociosus successor inueniat. sic arbiter artium nullum patitur propria vtilitate fraudari. Et ideo tantę rei iugiter præcipimus esse custodem. Vt qui hactenus de integritate placuisti, nulla debeas varietate fuscari. Vide, qꝫ tibi committitur antiqua fides, & quottidiana diligentia dirimis iurgantium litem. Apud cunctos præsules de tua cura litigatur, & tu potius iudicas, qui causarum vincula dissoluis. Hoc honorabile decus, indisputabile testimonium, vox antiqua chartarum, cum de tuis adytis incorrupta præcesserit, cognitores reuerenter excipiunt, litigantes quanuis improbi, coacti tamen obediunt. Et cum fas sit, promulgatam sententiam suspendi, tibi non licet obuiari. Quocirca non habeat venale propositum. Tinea documentorū est, oblatio maligna redimentis, dum quærunt consumere, quod se cognouerunt impedire. Pascat te æditio decora veritatis. facultas tua habeatur integritas. Da petēnibus, quę olim facta sunt. Translator esto, nō conditor antiquorum gestorū. Exemplar, velut anulum, ceris imprime. vt sicut vultus expressa non possunt signa refugere, ita manus tua ab autentico nequeat discrepare. Quod si te aliquis iniqua surreptione traduxerit, quemadmodū in alia causa tibi acquiescat credi, quem scit potuisse corrumpi? Impugnat te fraude sua, & facile conuincit, quem in vna parte decepit. Ama iustitiam, de qua nemo quæritur. vt etiam iratus, testimonium salubre possit dicere, qui te incassum voluit deuiare. Publicum est omne, quod feceris. dum aut laudatus gratiam, aut accusatus inuenire possis offensam.

PROVINCIALIBVS. ISTRIAE. SENATOR. POPVLO

EXpensæ publicę, diuersa temporum varietate titubantes, hac ratione se poterunt continere, si prouentum locorū sequatur salubritas iussionum. Illic enim facilis est procuratio, vbi fuerit fructus vberior. Nam si iudicatur, qđ sterilitas ieiunia denegauit, tunc & prouincia lædituŕ, & effectus obstabilis non habetur. Commeantium igitur attestatione didicimus, Istriam prouinciam matribus egregijs fructibus sub laude nominatā, diuino munere grauidam, vini, olei, vel tritici

præsenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsenti anno fœcunditate gratulari. Et ideo memoratæ ſpecies in tot Solidos datæ pro tributaria functione, qui nobis de præsenti prima Indictione reputentur. Reliqua vero propter ſolennes expenſas relinquimus deuotæ prouinciæ. Sed quoniam nobis in maiore ſumma ſunt quærenda, quæ diximus, tot Solidos etiam de arca noſtra tranſmiſimus, vt res neceſſariæ ſine veſtro diſpendio vberrime debeant congregari. Frequenter enim dum extraneis vrgemini vendere, ſoletis damna ſentire. eo præſertim tempore, cum vobis peregrinus emptor ereptus, & rarum eſt aurum capere, quando mercatores cognoſcitis non adeſſe. Quanto vero melius eſt parere dominis, & præſtare longinquis? & debita fructibus ſoluere, & ementum faſtidia ſuſtinere? Prodimus etiam amore iuſtitiæ, quod nobis ſuggerere poteratis. quia in pretio lædere non debemus, vnde naulorum præbitionibus non grauamur. Eſt enim proxima vobis regio ſupra ſinum maris Ionij conſtituta, oliuis referta, ſegetibus ornata, vite copioſa, vbi quaſi tribus vberibus, egregia vbertate largitis, omnis fructus optabili fœcunditate profluxit. Quæ non immerito dicitur Rauennæ Campania, vrbis regiæ cella penaria, voluptuoſa nimis & delitioſa degreſſio, finitur in Septentrione progreſſa, cœli admiranda temperie. Habet & quaſdam, non abſurde dixerim, Baias ſuas. vbi vndoſum mare terrenas concauitates ingrediens, in faciem decoram ſtagni æqualitate deponitur. Hæc loca & gariſmatia plura nutriunt, & piſcium vbertate gloriantur. Auernus ibi non vnus eſt. Numeroſæ conſpiciuntur piſcinæ neptuniæ. quibus, etiam ceſſante induſtria, paſſim oſtrea naſcuntur iniuſſa. Sic nec ſtudium in nutriendis, nec dubietas in capiendis probatur eſſe delitijs. Prætoria longe lateque iacentia in margaritarum ſpeciem putes eſſe diſpoſita. vt hinc appareat qualia fuerint illius prouinciæ Maiorum iudicia, quã tantis fabricis conſtat ornatam. Additur etiam illi litori ordo pulcherrimus inſularũ. qui amabili vtilitate diſpoſitus, & a periculis vindicat naues, & ditat magna vbertate cultores. Reficit plane Comitatenſes excubias, Italiæ ornat Imperium, primates delitijs, mediocres victualium paſcit expenſis. & quod illic naſcitur, pene totum in vrbe precipua poſſidetur. Præſtet nunc copias ſuas ſponte, magis deuota prouincia amplius pareat, dum ſperatur. quando gratiſſime faciebat, dum minime quæreretur. Sed ne aliqua iuſſionibus noſtris dubietas naſceretur, Laurentium virum experientiſſimũ, & magnis nobis in Repub. laboribus comprobatum, cum præſenti auctoritate direximus. vt ſecundum Breues ſubter annexos incunctanter expediat, quod ſibi pro expenſis publicis iniunctũ eſſe cognoſcit. Nunc procurate, quæ iuſſa ſunt. Vos enim facitis deuotũ militem, cum libentes ſuſcipitis iuſſionẽ. Pretia vero vobis moderata ſequenti iuſſione declaramus, cũ nobis gerulus præſentium natiuitatis modum miſſa relatione ſuggeſſerit. Taxari enim aliquid non poteſt iuſte, niſi copia rei euidenter potuerit indagari. Inæqualis quippe eſt arbiter, qui ſententiam mittit in caſum. & mali ſibi probatur conſcius, qui eſt indeliberata dicturus.

LAVRENTIO

LAVRENTIO. VIRO. EXPERIENTISSIMO. SENATOR. POP.

DEliberatio Iudicis probatos viros debet publicis actionibus adhibere. vt facile poſſit impleri, quod ſub ſterilitate temporis videtur inquiri. In abundantia rerum quælibet ſe poteſt expedire perſona. electis opus eſt militibus, cum fuerit neceſſitatis impulſus. Atq; ideo experientiam tuam, frequentibus nobiſq; tali deuotione gratiſſimam, ad Iſtriam prouinciam iubemus excurrere. vt in tot Solidos vini, olei, vel tritici ſpecies de tributario Solido debeas procurare, in alijs vero tot Solidis, quos a noſtro Arcario percepiſti, tam a negociatoribus, & a poſſeſſoribus emere maturabis, ſicut te a numerarijs inſtruxit porrecta notitia. Quapropter erige nunc animos ad parendum, qui tantis excubijs indiſcreta ſorte placuiſti. Admoneat te prioris cõuerſationis exemplum. quia nimis graue eſt emeritum delinquere, quem tyronem nullatenus cõſtat erraſſe. Qualis autem ſupradictarum ſpecierum vbertas ſe optata laxauerat, veraci nobis vt credimus relatione ſignifica. vt nos habito modo conſtituere debeamus, quod nec prouinciales lædat, nec publicas grauare poſſit expenſas.

TRIBVNIS. MARITIMORVM. SENATOR. POPVLO

DAta pridem iuſſione cenſuimus, vt Iſtria vini & olei ſpecies, quarum præſenti anno copia indulta perfruitur, ad Rauennatem feliciter dirigeret manſionem. Sed vos, qui numeroſa nauigia in eius confinio poſſidetis, pari deuotionis gratia prouidete, vt qd illa parata eſt tradere, vos ſtudeatis ſub celeritate portare. Similis erit quippe vtriſq; gratia perfectionis, quoniam vnũ ex his diſſociatum impleri non permittit effectum. Eſtote ergo promptiſſimi ad vicina, qui ſæpe ſpatia tranſmittitis infinita. Per hoſpitia quodãmodo veſtra diſcurritis, qui per patriam nauigatis. Accedit etiam commodis veſtris, q̃ vobis aliud iter aperitur perpetua ſecuritate tranquillum. Nam cum ventis ſæuientibus mare fuerit clauſum, via vobis panditur per amœniſſima fluuiorum. Carinæ veſtræ flatus aſperos non paueſcunt, terrã cum ſumma felicitate contingunt, & perire neſciunt, quæ frequenter impingunt. Putantur eminus quaſi per prata ferri, cum eorum contingit alueum nõ videri. Tractę funibus ambulant, quæ ſtare rudentibus conſueruũt. & conditione mutata pedibus iuuant homines naues ſuas. vectrices ſine labore trahunt, & pro pauore velorum vtuntur paſſu proſperiore nautarum. Iuuat referre, quemadmodum habitationes veſtras ſitas eſſe proſpeximus. Venetiæ prædicabiles quondam plenę nobilibus, ab auſtro Rauennam padumq; contingũt, ab Oriente iucunditate Ionij litoris perfruũtur. vbi alternus æſtus egrediens modo claudit, modo aperit faciem reciproca inundatione camporũ. Hic vobis aquatilium auiũ more domus eſt. Nanq; nũc terreſtris, modo cernit inſularis. Vt illic magis ęſtimes eſſe Cycladas, vbi ſubito locorũ facies reſpicis ĩmutatas.

Earum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Earum quippe similitudine, per æquora longe patentia domicilia videntur sparsa, quę Natura protulit, sed hominum cura fundauit. Viminibus enim flexibilibus illigatis terrena illic congregata solidata aggregatur, & marino fluctu tam fragilis munitio nõ dubitatur opponi. scilicet quando vadosum litus moles eíjcere nescit vndarum. & sine viribus fertur, quod altitudinis auxilio non iuuatur. Habitatoribus igitur vna copia est, vt solis piscibus expleantur. Paupertas ibi cum diuitibus sub æquabilitate conuiuit. Vnus cibus omnes reficit. habitatio similis vniuersa concludit. nesciunt de penatibus inuidere. & sub hac mensura degentes euadunt vitium, cui Mundum constat esse obnoxium. In salinis autem exercendis tota contentio est. pro aratris, pro falcibus, cylindros voluitis. inde vobis fructus omnis enascitur. quando in ipsis, & quæ non facitis, possidetis. Moneta illic quodammodo percutitur victualis. Arti vestræ omnis fluctus addictus est. Potest aurum aliquis minus quærere. nemo est, qui salem non desideret inuenire. merito, quando isti debet omnis cibus, q̃ potest esse gratissimus. Proinde naues, quas more animalium vestris parietibus illigastis, diligenti cura reficite. vt cum vos vir experientissimus Laurentius, qui ad procurandas species directus est, commonere tentauerit, festinetis excurrere. Quatenus expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aëris compendium vobis eligere potestis itineris.

AMBROSIO. V.I. AGENTI. VICES. SENATOR. POPVLO

PLeruncq; soliciti fiunt, qui mutatos rerum ordines intuẽtur, quia sæpe protendunt aliqua, quæ consuetudini probantur aduersa. Nihil enim sine causa geritur, nec mundus fortuitis casibus implicatur. sed quicquid venire videmus ad terminum, diuinũ constat esse consilium. Suspenduntur homines, cum sua Reges constituta mutauerunt, si aliter induti procedant, cũ eorum vsus inoleuerat. Quis autem de talibus non magna curiositate turbetur, si versa vice consuetudinum, a sideribus aliquid venire videatur obscurum? Nam sicut certa securitas est, suis vicibus tempora notare currentia, sic magna curiositate complemur, cum mutari talia sentiuntur. Quale est, rogo, stellarum primarium conspicere, & eius solita lumina nõ videre? Lunam, noctis decus, intueri orbe suo plenam & naturali splendore vacuatam? Cernimus adhuc cuncti venetum Solem. miramur media die vmbras corpora non habere, & vigorem illum fortissimi caloris vsq; ad extremã temporis inertiam peruenisse, quod non eclypsis momentaneo defectu, sed totius pene anni agi nihilominus constat excursu. Qualis ergo timor est, diutius sustinere, quod vel in summa solet populos celeritate terrere? Habuimus itaq; sine procellis hyemem, sine temperie vernum, sine ardoribus æstatem. Vnde iam speretur posse venire temperies, quando menses, qui fructus decoquere poterant, boreis flatibus vehemẽter algebant? Quid enim fertilitatem producat, si terra æstiuis mensibus non calescat? Quid germen aperiat, si matrem pluuiam non resumat?

Duo

Duo hæc elementis omnibus probamus aduersa, rigorem perpetuum & contrariam siccitatem. Mutauerunt se tempora non mutando, & quod mixtis imbribus solebat effici, ex ariditate sola non potest obtineri. Atque ideo de veteribus frugibus prudentia tua futuram vincat inopiam. quia tanta fuit anni præteriti felix vbertas, vt etiam venturis mensibus prouisa sufficiant. Reponatur omne, quod ad victum quæritur. facile priuatus necessaria reperit, cum se publicus apparatus expleuerit. Sed ne te præsens tam magna hæsitatione discruciet, ad considerationem reuertere naturalium rerum, & fit ratione certum, quod stupenti vulgo videtur ambiguum. Sic enim constat diuina ordinatione dispositum, sic astra præsentis in domicilijs suis mutuis administrationibus conuenerunt, vt supra solitum hyems sicca redderetur & frigida. Hinc aër niuibus nimio rigore densatus, ardore Solis in nulla raritate perductus est, sed in assumpta crassitudine perdurans, & caloribus eius obstitit, & aspectum humanæ fragilitatis elusit. Media enim quæ sunt, nostris dominantur obtutibus, & per ipsa tantum videre possumus, quantum nobis sui corporis tenuitate cõcedunt. Hoc enim inane magnum, quod inter cœlum terramque elementi more peruagatur, dum contigerit esse purum & Solis claritate respersum, vestros veraciter pandit aspectus. si vero aliqua fuerit permixtione congregatum, tunc tenso quasi quodam corio, nec colores proprios, nec calores peruenire facit astrorum. Quod etiam alijs sæculis aëre nubilo pro tempore frequenter efficitur. Hinc est, q̃ diutius radij siderum insolito colore fuscati sunt, q̃ nouum frigus messor expauit, q̃ accessu temporis poma duruerunt, q̃ vuarum senectus acerba est. Sed si hoc diuinæ prouidentiæ tradatur, satagere non debemus, quando ipsius imperio prodigia quærere prohibemur. Illud tamen sine dubio terrenis fructibus aduersarium esse cognoscimus, vbi alimonia consueta nutriri lege propria non videmus. Proinde agat solicitudo vestra, ne nos vnius anni sterilitas roborare videatur. dum sic ab illo primo administratore dignitatis nostræ prouisum est, vt præcedens copia sequentem valuisset mitigare penuriam.

PAVLO. VIRO. STRENVO. SENATOR. POPVLO

FRequenter vtilitas publica compendiosa pietate seruatur. quando illud magis acquirit, quod bonorum intercessione remiserit. Veniens itaque vir venerabilis Augustinus, vita clarus & nomine, Venetum nobis necessitates flebili allegatione declarauit, non vini, non tritici, non panici species apud ipsos fuisse procreatas. asserens ad tantam penuriam prouincialium peruenisse fortunas, vt vitæ pericula sustinere possint, nisi eis pietas regalis solita humanitate prospexerit. Quod nobis crudele visum est, aliquid a petentibus postulare. & illud sperare, quo prouincia cognoscitur indigere. A talibus enim solas lachrymas exigit, qui quod non inuenitur, imponit. Et ideo tanti viri allegatione permoti, vinum & triticum, quod nos in apparatu exercitus ex Concordiense, Aquileiense,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Foroiulienſe ciuitatibus colligere feceramus, præſenti auctoritate remittimus. carnes tantũ, ſicut Breuis vobis datus continet, exinde prouidentes. Hinc enim, cum neceſſe fuerit, ſufficientem tritici ſpeciem deſtinamus. Et quoniam in Iſtria vinum abunde natum eſſe comperimus, exinde quantum de ſupradictis ciuitatibus ſperatum eſt poſtulate, ſicut in foro rerum venalium reperitur. quatenus nec ipſi lædi poſſint, cum eis pretia iuſta ſeruantur. Quapropter præſentem indulgentiam nulla credatis venalitate taxandam. vt dum fuerit remedium gratuitum, poſſit exiſtere nihilominus glorioſum. Noueritis enim, graui vos ſubiici poſſe vindictæ, ſi quod interdictum eſt dari, a vobis videatur acceptum.

DATIO. EPISCOPO. MEDIOLANENSI. SENATOR. POPVLO

MInus prodeſt verum iubere, niſi hoc per viros ſanctiſſimos veliomus efficere. Auget enim beneficium voluntas recta iuſtorum, & quicquid ſine fraude geritur, hoc vere donantis meritis applicatur. Decet enim, vt munificentiam principalem ſacerdotalis puritas exequatur. Nam cui eſt ſtudium, bonum de proprio facere, laudabiliter poteſt aliena vota complere. Et ideo ſanctitatem veſtram petimus (cuius propoſiti eſt, diuinis inſeruire mandatis) vt de horreis Ticinenſibus & Dertonenſibus panici ſpeciem, ſicut a principe iuſſum eſt, tertiam portionem eſurienti populo, ad viginti quinq; modios per Solidum diſtrahi ſub noſtra ordinatione faciatis. ne cuiuſquam venalitate ad illos perueniat, qui ſe de proprio videntur poſſe tranſigere. Accipiat munus, habens indulgentiam principalem. Egentibus iuſtum eſt, non diuitibus, ſubuenire. Fundit potius, qui mittit in plenum. nam illud potius reconditur, quod vaſis vacuis congregatur. Quapropter ſanctitas veſtra miſerationis officia non putet iniuriam. quia totum nobis dignum eſt, vbi pietas inuenitur. Sed quidem aliena deſideria fideliter gerere, hoc eſt bona propria perfeciſſe. Ad quam rem, Deo iuuante, procurandam, illum atque illum curauimus deſtinare. Qui ſanctitatis veſtræ ordinationibus obſecuti, nihil ex ſe faciant, ſed tantummodo vobis obedire contendant. Solidi vero quanti ex ſupradicta quantitate panici poterunt congregari, veſtra nobis relatione declarate. vt apud arcanum reconditi ad ſupra memoratam ſpeciem reparandam, futuris reſeruentur, Deo auxiliante, temporibus. more veſtis rediuiuæ, cuius adunatio per fila reſoluitur, vt in nouam faciem ſplendido potius decore taxetur.

EDICTVM

QVis neſciat, prouidentiam diuinam vſibus noſtris aliqua velle ſubducere, vt humanum poſſit animum comprobare? Nam ſi nullum penitus indigere contingeret, locum proinde largitas non haberet. Data eſt prouinciis in Regis noſtri laude penuria. Steriles

Steriles facti ſunt agri, vt vbertas domini poſſit agnoſci. Minus eſſet acceptiſſimum donum, niſi præceſſiſſet incommodũ. Gaudete prouinciæ, malisq; veſtris potius gratiam referte. quando talem probatis animum principis, vt nullis cedat aduerſis. En pietas mirabilis, quæ vbiq; noſtris repugnat incommodis. Nam cum ſe feritas gentilis prioris temporis animalſet, Aemilia & Liguria noſtra, ſicut vos retinere neceſſe eſt, Burgundionũ iuſſione quateretur, gereretq; bellum de ciuitate furtiuũ, ſubito præſentis lmperij tanquam Solis ortus fama radiauit. Expugnatum ſe hoſtis ſua præſumptione congemuit. quando illum cognouit nominatę gentis eſſe rectorem, quem ſub militis nomine probauerat eſſe ſingularem. Quoties ſe optauit de ſuis finibus non exire Burgundio, ne principe noſtro pugnaret aduerſo? cuius licet præſentiam releuatus euaſerit, felicitatem tamen præcipitatus incurrit. Nam mox vt Gothi ad belliſtudium gemina ſe fortitudine contulerunt, ita proſpera concertatione cæſa eſt rebellium manus, quaſi inde nudos, hinc ſtare contigiſſet armatos. diuini æquitate iudicij, vt in ipſis campis prædo corrueret, quos vaſtare præſumpſit. Exulta aduerſariorum cadaueribus ornata prouincia. aceruum ride funerum, quem inimicorum vitio conſtat effectum. Nunc melius culta Liguria, cui negato fructu ſegetis, meſſis prouenit hoſtilis. Nam & ſi tributa tua minus potuerunt accipi, triumphos in te natos feliciter obtuliſti. His additur Alamannorum nuper fugata ſurreptio. quæ in primis conatibus ſuis ſic probatur oppreſſa, vt ſimul aduentum ſuum iunxiſſet & exitum, quaſi ſalutaris ferri execatione purgata. quatenus & male præſumentium vindicaretur exceſſus, & ſubiectorum non omnino graſſaretur interitus. Poſſem quidem vobis dinumerare, quanta in aliis locis hoſtium turba ceciderit. ſed more humani animi ad noſtra felicia feſtinantes, illud nos tantum dicere cupitis, quod ad vos ſpecialiter pertinere ſentitis. Redeamus ergo ad ſuaue principium, quando vos defendit a belli clade, nec inopiæ patitur pericula ſuſtinere. Nam qui pertulit hoſtem prouinciæ, & famem iuſſit exire. O certamen toto Orbe prædicandum, contra indigentiam ſæuam glorioſi principis pugnat humanitas. cuius vere caſtra ſunt horrea refecta. quæ ſi claudere voluiſſet, tunc importabilis intraſſet inimica. ſed quia magis aperuit, ſequentem aduerſarium mox fugauit. Neſcio quæ principis noſtri bella mundus potius admiretur. ego tamen dicam, quod ſentio. In vſum eſt viris fortibus, feliciter egiſſe pugnas. ſed ſupra humanitatem virtutem eſſe conſtat, viciſſe penuriam. Verum cum his tantis ac talibus bonis nulla potuiſſent ſupplicum vota ſuffi cere, adhuc & dimidiam relaxare pertulit fiſcalis calculi functionem. ne triſtes in aliqua parte faceret, quibus tot felicia preſtitiſſet. Ioſeph legimus contra famem funeſtam, emendi quidem tritici dediſſe lętitiam, ſed tale poſuiſſe pretium, vt ſuæ ſubuectionis auidus, potius venderet alimonia mercaturus. Quale fuit, rogo, tunc miſeris viuere, quibus acerba ſubuentio libertatem ſuam videbatur adimere? vbi non minus ingemuit liberatus, q̃ potuit flere captiuus. Credo virum ſanctum hac neceſſitate conſtrictum, vt &

Universidad de Deusto
Biblioteca

auaro principi satisfaceret,& periclitanti populo subueniret. Pace tanti patris dixerim,quanto præstantius est,libertate salua frumentum vendere,& propter indigentiam tributa laxare? Gratis constat ista venalitas, quando & vnde ematis cessit,& pretium quod vos oblectet,imposuit. Vendit itaq; largitas publica vicenos quinos modios, dum possessor inuenire non possit, ad denos ordinem rerum sæculi mutauit humanitas. nos iubemur vile distrahere, cum esuriens paratus sit carius comparare. O nouum prædicationis euentum. Affectum damni negociatio prouenit, & votum est venденti magis perdere, vt quæstum comparans valeat inuenire. Talia profecto Regem decet tractare commercia,talem conuenit nundinationem exercere pietatem, vt tunc minus acquiescat accipere,quando emptor plurima præcipitatur offerre. Licet referre, qualis etiam nobis sit dominantis affectus. quia & primo cessit,quantum sufficere credit, & nunc iterum postulata geminauit. Verecundum vobis erat aliquid sperare post dona, cum se adhuc beneficia principis reseruaret humanitas non audita despexit, quando ipse visa testatus est. Felix illa calamitas,quę prius miserãtem repperit testem, vt post districtum ludicem non haberet. Gaude igitur assuete iam bono Ligur, in vsu tuo sæcula venerunt. nam collatos tibi Aegyptios magna prosperitate vicisti.euadis tempora necessitatis,et libertatis prędia non amittis. immo illo tempore securus es ab hoste redditus,quando & de famis periculo cognosceris esse liberatus. Adhuc te prædictum ornat exemplum. adhuc est in qua parte superetur. legitur eñ Ioseph fratribus suis tantum saccis occulta pretia reddidisse. quid mirum, si natura compellente proximis suis humanior visus est extitisse? Hic autem cunctis large vendidit,functionem debitam reliquit. Et plus iste generaliter contulit tributarijs, ęꝑ illesolis visus est prędstitisse germanis. Breuiter dicãtur effusa, hinc bona sua discat vniuersitas. quando non regibus comparãtur nostra sæcula, sed prophetis. Sed ne diutius beneficiorum regaliũ cupidos occupemus, præcepta nostra ad eos,quorum interest,manasse cognoscite, vt secundũ tenorem iussionis ad vos perueniat munificentia principalis.

MAGNI

MAGNI · AVRELII CASSIODORI

DE · ANIMA

CVM iam suscepti operis optato fine gauderem, meque duodecim voluminibus iactatum quietis portus exciperet.vbi & si non laudatus,certe liberatus adueneram.amicorum me suaue collegiũ insalum rursus cogitationis expressit. postulans,vt aliqua, quæ tam in libris sacris, ęꝑ in sæcularibus abstrusa compereram, de Animæ substantia, vel de eius virtutibus aperirem,cui datum est tam ingentium rerum secreta referare. addens, nimis ineptum esse, si eam per quam plura cognoscimus, quasi a nobis alienam ignorare patiamur. dum ad omnia sit vtile nosse, qua sapimus. Nulla enim peregrina res est de sensu proprio loqui. quando sibi Natura interrogata respondet, nec longe tendit, vt se inuenire prævaleat. nobiscum semper est ipsa,quam querimus. adest,tractat, loquitur, & si fas est inter ista nescitur. Proinde nota esse debet, quæ sibi præsto est. Quia tunc magis ante se ponitur,cum subtilius de ipsa tractatur. Nam dum a sapientibus præceptum sit, vt cognoscamus nosmet ipsos, quemadmodum sustineri potest, si nos habemus incognitos? Cupimus enim nosse planetarum cœlo contrarios cursus, signorum consentaneum lapsum. Sunt enim ex eis alia manentia, motuque carentia. alia vero quæ mobili semper rotatione vertuntur, nec vllis temporibus conquiescunt. Hæc, vt mundani doctores exquirere tentauerunt,armonicis delectationibus inæstimabili modulatione voluuntur. Quorum tinnitus atęꝑ concentus adunitus efficit dulcisonum melos. Desideramus etiam comprehendere altitudinem ætheris, mensuram telluris, nubigeras pluuias, siue grandinis procellas, tremorem stabilium terrarum, naturam vagantium ventorum, profunditatem inconstantis maris, potestates virentium herbarum, quattuor elementorũ per omne corpus dissociatas complexiones. & ferendum est ipsam se scire non posse, cui superne datum est tanta discutere? Non enim aliquid contentiose quærimus, sed res profundissimas modestissime nosse desideramus. Discamus ergo primum,quare Anima dicat. Deinde,qualis sit eius definitio. Tertio,quę sit eius qualitas substantialis. Quarto,si formam aliquã habere credenda est. Quinto, quas virtutes habeat morales, quas Græci ἀρετὰς vocant, ad decus eius & gloriam contributas. Sexto,quæ illi sint virtutes naturales, ad substantiam scilicet corporis continendam. Septimo, de origine Animæ

 differatur.

disseratur. Octauo, cum sit per omnia membra diffusa, vbi potius insidere credenda sit. Nono, de corporis ipsius forma et compositione noscamus. Decimo, quas proprietates habeat anima peccatorum, per competentia nobis signa declaretur. Vndecimo, qua noscantur discretione iustorũ. quatenus quos oculis istis videre non possumus, per indicia probabilia colligamus. Duodecimo, in resurrectione, quam vere sapiens credit, quid de singulis fieri sentiatur, maxime desideramus agnoscere. quatenus fragilia corda mortaliũ ad diuinitus promissa desideria concitentur. Hæc nobis, præstante Deo, ordine custodito responde. vt & nos facile possimus imbui, & tu gloriam debeas inuenire doctoris. Dixi propositiones has non preceptis Regum, quæ nuper agebantur, sed profundis & remotis dialogis conuenire. qui non tam istas aures corporeas, sed interioris hominis intentum atq; purissimum quærere probantur auditum. nec ideo facile posse de ipsa dici, quia per eam innumera nouimus explicari. Oculus em̃, qui vsq; ad sidera tendit, se videre non prꝙualet. & palatus noster cum diuersa gustu sentiat, cuius ipse sit saporis, ignorat. Nares etiam fragrantium corporum varios odores attrahunt. sed quid oleant, ipsæ non sentiunt. Cerebrum denique nostrum, licet sensum membris reliquis tradat, ipsum tamen sensum legitur non habere. Deinde qualia fatigatus possim differere, qui iam ad laboris terminum auida mente properarem? Postremo tam suaues amici imponitis iterum cogitare, quod a cogendo dici absoluta cognoscitis ratione constare. præsertim dum hæc res a multis disputata, sed pene inexplicabilis videatur esse derelicta. Sed cum his ac talibus ingenia eorum multis allegationibus superare nequiuerim, nec mihi concedere meum velle decreuissent, victus petij, vt me saltem diebus aliquot sustinerent, nec præcipitanter quꝙrerent, quod plenũ difficultatibus imperarent. Quocirca illud mihi accidit Prothei, qui quod voluntate non eligebat pandere, constrictus vinculis cogebatur absoluere. Hoc tamen inde tolerabile visum est. quia de tali re vrgebar dicere, quæ si (Deo fauente) veraciter exprimatur, & audientẽ merito recreat, & sensum bene persuadentis illuminat. Quapropter antequam rem aggrediar expetitam, oportet prius nominum similitudines, quasi ramos obuiantes abscidere, ne semitam disputationis nostræ vocabulorum consonantium sylua vmbrosis imaginibus videatur intexere.

ANima igitur hominis proprie dicitur, non etiam pecudum. quia illorum vita in sanguine tantum noscitur constituta. Hæc vero quoniam immortalis est, anima recte appellatur, quasi ἀναίμα, id est a sanguine longe discreta. quoniam & post mortem corporis perfectam eius constat esse substantiam. sicut in subsequentibus suo loco declarabitur. Alij vero appellatam animam dicunt, eo ꝙ animet substantiam corporis sui atq; viuificet. Animus vero dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, id est a vẽto, ꝙ velocissima cogitatio eius ad similitudinẽ venti motu celeri peruagat. Fit aũt ex appetitu animę pro desiderij eius qualitate cõmotus. Mens autem

autem dicitur, ἀπὸ τῆς μήνης, id est a luna. quæ licet varia vicissitudine commutetur, quadam se tamen in id quod fuit, perfecta nouitate restituit. Modo enim tribulationibus attenuata, quasi probatur obscura. modo iterum in vigorem naturalem lætitia commeante reparatur. Spiritus itaq; triplici modo dicitur. Appellatur enim veraciter & proprie spiritus Deus, nullius indigens, ipse vero à creaturis omnibus indigetur, inspirans quo vult, & dispensans omnia prout vult, cõplens vniuersa, totus in toto, immobilis loco, & volubilitate æternus, cunctaq; quæ summa sunt singulariter potẽs. Vocamus & spiritum substantiam tenuem, nobisq; inuisibilem, creatam immortalem, quantum illi vtiliter datum est valentem. Tertio, spiritum dicimus per totum corpus emissum atque receptum. per quem vita mortalium flatu necessario continetur, nec aliquando ocium capiens, iugi mobilitate reparatur. Atq; ideo sciendum est, animũ & mentem proprie animam non vocari. Sed quia res istæ in anima excellunt, interdum per licentiam sic dicuntur. Nec pro anima vticq; spiritus distincte ponitur. quia hoc illi nomen est commune cum cæteris, id est angelis, potestatibus aëreis, & quæcunque spiritu continentur. Nec iste spiritus veraciter potest dici anima, qui aëris alternatione resoluitur, quando cum pecoribus illi res ista communis est. Restat vt segregatim atq; significanter anima hominis dicatur spiritalis substantia, quæ nullatenus sanguinis effusione consumitur. Nunc de ipsius animæ substantia liberius disseramus. quando eam a similitudine nominum necessaria separatione discreuimus. Quapropter inprimis primatem rerum definitionem cautissima deliberatione formemus. vt consequentia, quę inde potuerint nasci, fide genitoris sui facillime videant agnosci. Magistri sæcularium literarum aiunt, Animam esse substantiam simplicem, speciem naturalem, distantem a materia corporis sui, organũ membrorum, & virtutem vitæ habentem. Anima autem hominis, vt veraciũ doctorum consentit auctoritas, est a Deo creata, spiritalis propriaq; substantia, sui corporis viuificatrix, rationabilis quidem & immortalis, sed in bonum malumq; conuertibilis. Editum est, quasi parturiale ouum, vbi vita futuræ auis, pennarumq; grata varietas continentur. Nunc aperiatur in partes. quia hominum consuetudo est, facilius discere, quæ diuisa possunt euidentius elucere. A deo fieri, vel factas animas, prudentium nullus ignorat. Quãdo omne quod existit, aut creator est, aut creatura. Creatrix igitur nulla creata potest esse substantia. quoniam vt ipsa subsistat indiget Deo, & dare non potest alteri subsistentiam, quam tantũ vt haberet, accepit. Superest, vt eam verissime a diuinitate conditam esse fateamur, quę sola creare potest mortalia & immortalia. Euidenter enim legitur in Solomone, Et reuertatur puluis in terram sicut erat. & spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit eum. Et alibi, Omnem flatum ego feci. Hanc proinde specialem substantiã probabilis et absoluta ratio confitetur. Quia dum omnia corporalia tribus nouerimus lineis contineri, lõgitudine, latitudine, profunditate, nihil tale probatur in anima repperiri. Deinde, ꝙ corpori sociata, quanuis ipsius mole

Universidad de Deusto
Biblioteca

prægrauetur, opiniones rerum ſolicita curioſitate perpendit, cœleſtia profunde cogitat, naturalia ſubtili indagatione veſtigat, & de ipſo quoq; conditore ſuo ardua noſſe deſiderat. Qđ ſi eſſet corporalis, cogitationibus ſuis ſpiritalia nec cerneret vtique, nec videret. Ceſſet ergo de eius corporalitate ſuſpitio. quando & definitionem corporis a ſe omnibus modis reddit alienam, & tales cauſas exquirit, ad quas ſolus ſublimis ſpiritus peruenire contendit. Hinc eſt, q; & ſcripturis ſanctis iuſtiſſime cõmonetur, omnia mundiiſtius viſualia contemnere, quoniam ipſa incorporea eſt. vt merito ad ſpiritalia tendat, quibus ſe ſimilem cognoſcit eſſe formatã. Propria eſt vtiq; illi ſubſtantia, quando nullus ſpiritus alter carnem ſuſcipit, vt eius paſſionibus aut condoleat, aut lætetur. Illud autem, quod diximus, ſui corporis viuificatrix. quia mox vt data fuerit, ineffabili conditione diligit, carcerem ſuum amat, propter quod libera eſſe non poteſt. doloribus eius vehementer afficitur. formidat interitum, quæ non poteſt mori. & ſic eſt ad corporis ſui caſus trepida, vt ipſam magis ſuſtinere credas extrema, quæ non poteſt deficere per naturam. Saluberrima quoq; carnis temperatione perfruitur, oculorum ſpeculatione depaſcitur, ſonoris delectatur auditibus, ſuauiſſimis iucundatur odoribus, neceſſaria guſtus epulatione delinitur. & licet his rebus nullatenus ipſa veſcatur, ſubductis tamen talibus grauiſſimo mœrore conficitur. deſiderans non ſibi naturaliter accommoda, ſed adiunctis artubus profutura. Hinc nonnunquam ſurrepunt vitia contraria rationi, quando anima dilecto corpori indulgentius remittendo, locũ noſcitur præbere peccato. Vita igitur corporis, ſuſceptæ animæ preſentia eſt, mors autem, eius probatur abſceſſus. Sic diem dicimus, luſtrante Sole, qui cũ diſceſſerit, nox vocatur. Viuit ergo corpus animæ præſidio, & ex ipſa probatur accipere, vnde ſe prævalet mouere. Sed quoniam & hoc quoq; ad vitę genus, de quo loquimur, noſcitur pertinere, ſciendum eſt cum ſe partibus corporis ille vigor ignitus infuderit, materiamq; carnalẽ ſpiritus vitalis affluauerit, ſi quod forte vulnus acceperit, ſtatim condolet, quia vbique ſubſtantialiter inſerta eſt. Quod niſi virtus eius, ſcilicet calor, tantum membra vegetaret, inciſum digitum non poterat condolere. ſicut nec Sol probatur quicquam ſentire, ſi eius radios ſecare tẽtaueris. Tota ergo eſt in partibus ſuis. nec alibi minor, alibi maior eſt, ſed alicubi intenſius, alicubi remiſſius, vbiq; tamen vitali intentione porrigitur. Colligit ſe in vnum atq; copulat. membra non ſinit defluere vel contabeſcere, quæ vitali vigore cuſtodit, alimenta competentia vbiq; diſpergit, congruentiam in eis modumq; conſeruans. Mirum prætera videtur, rem incorpoream membris ſolidiſſimis colligatã, & ſic diſtantes naturas in vnam conuenientiam fuiſſe perductas, vt nec anima ſe poſſit ſegregare, cum velit. nec retinere, cum iuſſionem creatoris agnouerit. Clauſa illi ſunt vniuerſa, cum præcipitur inſidere. aperta redduntur omnia, cum iubetur exire. Nam ſi acerbus dolor vulneris infligatur, ſine auctoris imperio non amittitur. ſicut nec ſine ipſius munere cuſtoditur. Hinc eſt, q; frequenter grauiter vulneratos videmus euadere, & rurſus leuibus occaſionibus

nibus interire. Rationem vero homini ineſſe, quis dubitet? quando diuina tractat, humana ſapit, artibus docetur egregijs, diſciplinis eruditur eximijs. & hinc cætera animalia decenter excellit, q; eum ratio decora componit. Rationem vero dico animi probabilem motum, qui per ea quæ conceduntur, atq; nota ſunt, ad aliquod incognitum ducit, peruenies ad veritatis arcanum. Hæc coniecturis atq; argumentis ad illud properare cupit, quod in rerum natura eſſe cognoſcit. Ipſa enim vera & pura & certa ratio dicenda eſt, quæ ab omni imagine falſitatis redditur aliena. Datum eſt ergo illi, cogitationes ſuas quodammodo apprehendere, & per obſequiũ linguæ volubili motione diſſerere. In corpore poſita anima, quam multa videt non a ſe egrediens, q̃ diuerſa circunſpicit, vbiq; quaſi diſtendit, & animæ fieri diſceſſio non probatur. mouetur, erigitur, fluctuari cognoſcitur, & in ſe ipſa tanquam in magno currens ſpatio, peruagatur. Hæc non exit ad cauſas, ſed tractibus ſuis ſibi repræſentat, quod ſua cogitatione reſpiciat, modo quod oculis carnalibus vidit, modo quod fantaſtica imaginatione conceperit. Cogitat plane ſigillatim ſicut & loquitur, per ordinem ſenſus nil proficit, cum le diuerſitate confundit. quia diuinitatis eſt proprium, multa diſponere, & omnia ſimul modulis competentibus explicare. Rationis itaque largitate dotata, quot bona munere diuinitatis inuenit? Literarum formas repperit, diuerſarũ artium vtilitates diſciplinasq; protulit, ciuitates defenſibili muro cinxit, varij generis amictus eiecit, meliores fructus per induſtriam exegit, terras tranſcurrit, abyſſos alato nauigio, vaſtos montes in vſum viantium perforauit, portus ad vtilitatem nauigantiũ lunari diſpoſitione cõcluſit, ornauit pulcherrima fabricarũ diſpoſitione tellurem. Quis iam de eius ratione dubitet, quando ab auctore ſuo illuminata, facit arte conſpici, quod debeat ſub omni celebritate laudari? Conuenit nũc de eius immortalitate diſſerere. Immortales animas, auctores ſæculariũ literarum multifarie probauerunt. dicentes: Si omne quod viuificat aliud, in ſemetipſo viuit, anima autem quoniam viuificat corpus, & in ſemetipſa viuit, vtiq; immortalis eſt. Dicunt etiam, Omnia immortalia ſimplicia ſunt. anima autem non eſt armonica, neq; conſtat ex pluribus, ſed ſimplex natura eſt, anima igitur immortalis eſt. Iterumq; proponunt: Quicquid a contrarietate originali non corrumpitur, immortale iugiter perſeuerat. anima enim, quoniam ſimplex atque pura eſt, ſine dubio immortalis eſt. Adijciunt quoque: Si omne rationale, quod ſe ipſum mouet, immortale eſt, anima autem rationalis ſeipſam mouet, igitur immortalis eſt. Nos autem immortales eſſe animas, facile veridicis lectionibus approbamus. Nam cum eas ad imaginem & ſimilitudinem auctoris ſui legamus effectas, quis audeat contra ſanctam auctoritatem mortales dicere? vt impudenter potius aſſeratur, eas a creatoris ſui ſimilitudine diſcrepare. Nam quemadmodum poterat eſſe imago aut ſimilitudo Dei, ſi animæ hominum mortis termino clauderentur? Ille enim ineffabiliter ſemper viuens, ineffabiliter ſemper manens, perennitatem ipſe cuſtodiens, qui omnia cõtinet, omnia diſponit, potens eſt ſine dubitatione immor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

immortalis immortalia facere,& pro suo modulo vitę competentiam dare. Dicet aliquis, Quomodo sum similis Deo,cum immortalia minime creare valeam? Cui sic per aliquam comparationem respondendū esse iudicamus. Nunquid pictura, quæ nobis est similis,potest imitari quæ facimus? Imago enim aliquam potest habere similitudinem, cæterum hoc non potest implere quod veritas. Nam & hinc immortalem debemus agnoscere, cp appetit de æternitate cogitare, desiderat enim post mortem corporis sui nominis famā relinquere, cupit sine fine laudari,& bona conscięntia plus est de futuris attonita, ne a posteris maculetur relata. Hinc est, cp inter sublimiores constat auctores, quia quicquid dignitate rationis erigitur, mortis iniuria non præmatur. Adde, cp veritas absolute profitetur, malis iuge supplicium,bonis perpetua gaudia,se daturam. vt non sit fas cum hæsitatione recipi,quod dignatur omnipotens diuinitas polliceri. Verum hanc immortalitatem animæ non talem debemus aduertere,quę nullam recipiat passionem. est enim mutabilitati obnoxia, & mœroribus peruia. sed tamen inter quæuis tędia vel anxietates continuationis beneficio perseuerat. Singulariter autem immortalis Deus est,singulariter iustus, singulariter potens, singulariter bonus, singulariter sanctus. quoniam licet ista, vel his similia,hominibus vel angelis inesse dicantur,nulla tamē ad eius altitudinem reuerendæ potestatis attingunt. Omnes enim arduæ virtutes in summitate illa plenissimæ atcp perfectissimæ sunt,quæ creaturis vniuersis ipsius largitate pro suo modulo conceduntur. Nunc sciendum est,hæc immortalis anima quēadmodum degere sentiatur. Viuit in se, post huius sæculi amissionem, non reflante spiritu, sicut corpus, sed æquali mobilitate, quæ illic attributa est, pura,subtilis, cita,æterna, videt, audit, tangit,ac reliquis sensibus efficacius valet,non iam ex partibus suis hæc intelligens, sed omnia specialiter ex toto cognoscens. Alioqui absurdū est putare, minus posse liberam,cp mole brutissimi corporis ingrauatam. Talia enim intelligere posse, non dubium est, & angelos, & potestates aërias, vel cætera quæ sublimi atcp immortali substantia constare noscuntur. Reliquū est,vt nunc obnoxiam mobilitati,currente ordine doceamus. Atcp vtinam esset ambiguum, & non facile probaremus,in qua parte frequenter incurrimus. Quis autē dubitet,modo nos gaudio subleuatos, modo mœrore deiectos, modo pietate mites, modo indignatione terribiles,nunc ad virtutes animos erigere,nunc iterum ad vitia declinare? Alia tenaciter assumimus,alia obliuione respuimus. Quod nunc placet,post displicet. Bonorum etiam sermonibus ædificamur,malorū collocutione destruimur. & quantum proficimus cum rectis, tantum deteriores nouimus esse cum pessimis. Nam si nos vnus rigor,vnum propositum contineret, nec boni ex malis,nec beati ex improbis mutabilitatis beneficio redderemur. Sed vt causa varietatis huius euidentius possit agnosci, recordemur,vt dictum est,prudentiam non esse nobis immutabilem attributam. Et ideo sapimus,cum diuina illuminatione bene gerimus. atcp iterum desipimus, cum delictis caligantibus obcæcamur. Affectio enim, quæ venit & recedit,

recedit,semper incerta est. Solus omnipotens deus est,cui hoc est esse,quod sapere. hoc est posse,quod viuere. hoc est velle,quod facere. Et merito,quādo vniuersa, quæ vere bona sunt, non ad illum veniunt, sed ab illo procedunt. Quapropter hæc animæ, quam diximus,origo non intelligenda est pars Dei,vt quidam dementium irreligiosa voluntate putauerunt,quia cōuertibilis est. necp angelorum, quia carni sociabilis est. necp ex aëre, necp ex igne,neque ex aqua, necp ex terra,necp ex eis,quæ mutua complexione iunguntur. sed simplex & propria quædam natura,& ab alijs spiritibus discreta substantia,quam longe subtiliorem aëre & lucidiorem debemus aduertere. quando istum vulgariter intuemur,illam vero,conditione carnis,aspicere non valemus. Hanc speciem naturalis mobilitas semper exagitat ad cogitationes suas cōmuniter explicandas. Hinc est, cp per quietem remissi, dū materia nobis fuerit solitæ cogitationis abstracta, nec intenti ad quottidianas fuerimus solenniter actiones, res varias nunc falsis nunc veris inspectionibus somniamus. Parum est,cp sopitis sensibus volatica imaginatione deludimur, dum frequenter etiam vigilantes a nostra contemplatione traducimur. Sæpe enim cum nos in oratione magna intentione dirigimus, ludo nescio quo inspiratis subito cogitationibus amouemur. & ita prouenit, vt menti nescio quid aduersum suggeratur, quod dispositum non habemus. Constat ergo, animam in hoc mundo instabili & variabili voluntate conuerti, bonarumcp rerum esse amissibilem ac receptibilem. nec vno semper voluntatis suæ rigore subsistere, sed etiam contra dispositum suum multiplici se conuersione mutare. Nec de illis sumus, qui dicunt, recolere magis animas cp discere vsuales artes & reliquas disciplinas. cum & ad interrogata sint paratæ, vbi potuerint intellectu interueniente contingere, & noua sic audiant, quasi nihil ex eis ante didicissent. Ecce grauida definitio illa iam fere facta est. Ecce in lucem,ni fallor,quæ fuerant clausa proruperūt. Non est quicquam de proposita complexione derelictum. cuius talis est disciplina, vt id quod intendit,ita explicet atcp determinet,vt necp minus neque amplius aliquid dixisse videatur. Nunc ad substantialem eius qualitatem solicitis sensibus accedamus. quam interrogationis nostræ tertium locum tenere memoramini. Qualitatem itacp substantię huius,auctores igneam esse dixerunt. propterea cp mobili semper ardore vegetetur, & iuncta corpori calore suo membra viuificet. deinde, cp cuncta cœlestia flammeo referunt vigore constare, non isto fumeo consumptibili & temporali, sed ex tranquillo,nutritore,atcp immortali. Hoc necp minuitur,necp crescit,sed in susceptæ originis dignitate iugiter perseuerat. Quod ideo finiri nequit,quia nulla, vt corpus aliquod, elementorum diuersitate concretum est. Vnum enim atcp simplex habere nescit aduersum. & ideo semper manet, quoniam in essentia sua non habet litem. Sic immortalia cuncta creata dicunt, quibus spiritalis est concessa substantia. Nos aūt lumen esse potius,nō improbe dixerimus propter imaginem dei. quoniā inter conditiones rerum,quātum illi pro modulo suo necessariū fuit,decenter accepisse memorat. Ipse em Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus omnipotens, ſolus habens immortalitatẽ, lumen habitat inacceſſibile, qđ ſupra omnes claritates vel admirationes ſanitas mẽtis intelligit. Sed imago aliquã habet ſimilitudinem. cæterum hęc lumen habere nõ poteſt, quod veritas. Illud autem, quod ineffabile veremur arcanum, quod vbiq; totum & inuiſibiliter, præſens eſt, pater, & filius, & ſpiritusſanctus, vna eſſentia & indiſcreta maieſtas, ſplendor ſupra omnes fulgores, gloria ſuper omne prędicabile, quod mundiſſima mens, & Deo dicata, poteſt quidem ex aliqua parte ſentire, ſed idonee non poteſt explicare. Nam quemadmodum fas eſt de illo ſufficienter dici, qui creaturæ ſenſu non poteſt comprehendi? Egrediamur licet pietate nimia modum animæ noſtræ, & immenſa religione ſupra noſmetipſos alta cogitatione ſileamus, tranſeamus etiã poteſtates cœleſtium creaturarũ, profundecq; tractemus, quis ſit qui tã magna vna iuſſione, vno momento fecerit. tamen quicquid miramur, amplius eſt. quicquid ſentimus, excelſius. dum ad illam imperſpicabilem maieſtatem mens humana non penetrat. Vna ergo ratio potentiæ huius eſt, venerari q; inueſtigabilis eſt. non definitiue quęrere, qualis quantusq; ſit. His itaq; rebus edocti, lumen aliqđ ſubſtantiale animas habere, haud improbe videmur aduertere. quando in Euangelio legitur, Lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. deinde, q; in cogitatione poſiti, neſcio quid tenue, volubile, clarum, nobis ineſſe ſentimus, quod reſpicit ſine Sole, quod videt ſine extraneo lumine. Nam ſi ipſum in ſe lucidum non eſſet, rerum tantam conſpicientiam non haberet. Tenebroſis iſta non data ſunt. Omnia cæca torpeſcunt. Iſtius enim tam violenta ſunt lumina, vt etiam intueantur abſentia. quæ tamen tunc multo clariores atq; immutabiles efficiuntur, cum a dei gratia bonis factis nõ recedunt. Earum enim ſpeculatiua virtute multa atq; ardua, quæ in arcano Naturæ recondita ſunt, inſpici & comprehendi vſu ipſo certiſſimũ eſt. Nũc inſpiciamus, vtrum formas animæ habere credãtur, quas incorporeas eſſe iam diximus. Prius ſcire conuenit, definitione Maiorum, formæ ipſius veraciſſimã complexionem. formam vero dico, quę aliquod ſpatium linea lineisue concludit. et ſic facile datur intelligi, ſi eam poſſunt animæ ſuſcipere, quas ſpiritali certum eſt vigore ſubſiſtere. Nam cum omnis forma aut in ſuperficie ſit, aut in corpore, ſuperficies non niſi in corpore, corpus vero ſolidum atq; palpabile, ab his autem rebus animam conſtet manifeſte exemptam. reſiduum eſt, vt formas animæ nullatenus habere putandæ ſint, ſed infiguratæ atq; incorporales in ſua qualitate permaneant. Nec illud moueat, quod Apoſtolus de Chriſto domino dicit, Qui cum in forma dei eſſet, nõ rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, &c. Ibi enim naturam vult intelligi. Cæterum incorporeus Deus, qui vbiq; totus atque incomprehenſibilis eſt, quam potuit habere formam? Illud autem, quod in Euangelio legitur, Poſt huius lucis occaſum Abrahæ ſinibus egentem Lazarum fuiſſe ſuſceptum, diuitem vero flammis adurentibus æſtuantem guttam poſtulaſſe, vnde eius temperaretur incendium. ideo intelligitur poſitum, vt humani generis rerum ruinoſa prę-

ſumptio

ſumptio, quid formidare debuiſſet, agnoſceret. Cæterũ, nec ille lingua locutus eſt, quam conſtat eſſe corpoream. nec ille digitos habuit, vnde cadentibus guttis incendium diuitis temperare potuiſſet. Nam & reliqua in hunc modum ſuſcipienda ſunt, quæ lectione ſimili continentur. Parum eſt enim quod de creaturis iſta memorantur ad conſuetudinem humani generis inſtruendam. ipſum quoque auctorem impaſſibilem, immutabilem, per enim, vno modo manentem, furere legimus, dormitare frequenter audimus. non q; talia poſſint Domino conuenire, ſed vt res aliquæ ex humana conſuetudine facilius compendioſiusq; noſcantur. Sic animas nobis informes, formas legimus frequenter accipere. Solet etiam aliquos permouere, ſi anima non habeat quantitatem, dum eam conſtet intra corpus hominis contineri. Sed ſi definitionem veraciſſimam quantitatis reuocemus in medium, quæ res ſingulas breuiter ſemper abſoluit, facile nobis probata veritas eluceſcit. Sic enim arithmetici eam compendioſa veritate deſcribunt. Omnis quãtitas aut de continuatis conſtat, vt arbor, homo, et mons. aut de diſiunctis, vt chorus, populus, vel aceruus, & his ſimilia. Sed cũ anima neq; de continuatis, neque de diſiunctis ſit, quia corpus non eſt. clarum eſt, eam quantitatem penitus non habere. ſed vbicunq; eſt, nec formam recipit, nec habere nobis dicenda eſt aliquam quantitatẽ. Creatori tamẽ circunſtantias earum & quantitates patere poſſe credendum eſt, qui omnia ſub menſura, numero, & pondere creauit. & ipſi ſoli ſunt vere nota, qui ea fecit. qui mira potentia ipſas quoq; cogitationes noſtras quaſi res viſibiles intuet. qui innocentis ſanguinem audit clamantem ad poſtremum, qui nouit omnia & antequã fiant. Tempus eſt venire ad virtutes morales, quæ ſunt ambiendę diuitiæ, & re vera pretioſus cenſus animarum, quas Græci aretas vocant, quibus contra immunditiam corporalem ſuam nititur bona conſcientia vendicare puritatẽ. Primum aduerſum praua vel iniqua iuſtitię munimen obiectum eſt, cuius vt Veteres definire voluerunt, talis noſcitur eſſe complexio. Iuſtitia eſt habitus animi, pro cõmuni vtilitate ſeruatus, ſuã cuiq; tribuens dignitatem. Contra confuſa & incerta, prudentia vtiliter adhibetur. Prudentia vero, eſt rerum bonarũ & malarũ verax ſcientia. Contra aduerſa vel proſpera, remedialis opponit fortitudo. Fortitudo aũt, eſt cõſiderata periculorũ ſuſceptio, & laborũ firma perpeſſio. Contra delectationes igit illicitas, et voluptates feruidas, moderatrix nobis temperantia ſuffragatur. Temperantia quippe, eſt aduerſus libidinẽ atq; alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. His igit munitionibus diuina opitulatione conceſſis, velut quadruplici thorace circundata, in hoc Mundo mortifero ſalus animæ cuſtoditur. nec poteſt a vitijs adiri, quę tanta meruit tuitione vallari. Sed hoc virtutũ quadripertitũ decus trina, vt ita dixerim, parte completur. Prima eſt, contemplatio. quæ aciem noſtrę mentis extendit ad res ſubtiliſſimas intuẽdas. Secunda, iudicialis. quę diſcretionẽ boni maliq; rationabili æſtimatione pertractat. Tertia, memoria. cũ res inſpectæ atq; deliberatæ in animi penetralibus fida cõmendatione reponunt, vt quaſi in quodã conce-

d ptaculo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptaculo ſuſcipiamus, quę frequenti meditatiõe cõbibimus. Veſtiaria noſtra cũ fuerint plena nihil capiũt. Hoc theſaurariũ non grauat oneratũ, ſed cum multa cõdiderit, ſciendi deſiderio plus requirit. Tetigimus ſupradictas partes, quaſi armoniã tricordem. Tali em̃ numero delectatur anima. ipſo etiam noſcit̃ gaudere diuinitas. Cõmouere ſolent aliqui ſubtiliſſimas quæſtiones, dicẽtes. Si diuinitas perfectas & rationabiles anĩas creat, cur aut poſito ſenſu viuunt infantes, aut iuuenes inueniunt̃ excordes? Sed quis nõ attendat, animas paruulorũ imbecillitate corporis, nec officia ſenſuũ, nec miniſteria poſſe explicare membrorũ? vt ſi ignẽ anguſto vaſe concludas, altũ (vt illius moris eſt) nequit appetere. quia eum arctiſſimũ obſtaculũ cõſtat operire. Tunc em̃ vnicuiq; rei facultas ſua videt̃ ſuppetere, cũ illi nihil contrariũ prę ualet impedire. Sic & ſtultis iuuenibus obuiat, quod aut imparilitate partiũ aut craſſitudine humorũ materni vteri vitio ſuſcepto anima inepta nimis habitatione deprimitur, & vim ſuã exercere nõ prævalet inconuenientis domicilĩ ſede præpedita. qđ ſtultis accidere hodieq; cõſpicimus, quos Græci moriones vocãt. Nã vt de vſuali quoq; dicamus euentu, q̃ multis morbis accidentibus, aut onerato cerebro, aut præcordiorũ ſtupore confuſi, acumen ſolitæ ſapientię perdiderũt? quanti etiam momẽtanea læſione mutati ſunt? Nã & ipſe qui celeberrimus ſapiẽs habet̃, copioſo prandio refertus, q̃ facile in crapulã dilapſus obtundit̃? vt virũ illum prudẽtiſſime differentẽ difficile vel viuũ credas, quẽ ſe nec mouere poſſe cõſpicias. Vnum tamẽ certiſſime ſcio, ſapientes nimis feliciſſimos fieri, qui miſericordia Domini a talibus aduerſitatibus reddunt̃ alieni. Forte ſint & aliæ cauſæ, quę rationali animæ ad motus proprios explicandos aduerſum ire videant̃. Cæterũ animæ nec creſcunt cũ paruulis, nec fatuis aliæ varia diſcretiõe tribuunt̃, ſed ſicut immortalitatẽ iugiter ſumũt, ita & rationales eſſe generaliter ſentiunt̃. Paruulis em̃ ratio creſcit longa meditatione nõ anima. Nunc ad reliqua currente ordine tranſeamus. Virtutes anĩæ naturales, quinq; pertitas Veteres eſſe voluerunt. Primã, in vtraq; parte ſenſibilẽ. quę nobis tribuit intelligentię ſenſum, per quã omnia incorporalia varia imaginatiõe ſentimus. facit etiã corporales vigere ſenſus, id eſt viſum, auditũ, odoratũ, guſtum & tactũ. quo dura & & mollia, lenia, aſperaq; ſentimus. Secundã, imperatiuã. quæ iubet organis corporalibus motus diuerſos, quos implere decreuerit. hoc eſt transferri de loco ad locũ, voces edere, mẽbra curuare. Hæc exempli cauſa poſuimus, vt in his ſimilia dixiſſe videamur. Tertiã, principalẽ. cũ omni actu remoti in otium reponimur, et corporalibus ſenſibus quietis profũdius aliq̃d firmiusq; tractamus. Hĩc eſt, q; ętate maturi melius ſapere iudicant̃. quia ſeneſcẽtibus mẽbris et corporalibus ſenſibus emollitis, ꝓxima parte in conſiliũ tranſeũt. vbi dum mens amplius occũpatur, robuſtior virtute adunationis efficitur. Sed iterum deſipiunt, cũ nimia debilitate deponunt̃. quoniam datũ eſt animabus ad tempus ſuorũ ſequi corporum neceſſitates. Quartã, vitalem. id eſt calorem animi naturalẽ. qui nobis, propter ſuum feruorem moderandũ, auras ętthereas hauriendo atq; reddendo, vitã tribuit & ſalutem. Quintam, delecta-

delectationem, hoc eſt, appetitum boni maliq;, quem ſub iucunditate animus concupiſcit. Ecce iterum quadripartita ſub diuiſione, ad ſuſtentationem corporis explicandam, pars iſta refunditur. Prima eſt attractiua, rapiens de naturali, quod ſibi neceſſarium ſentit. Secunda retentoria, aſſumpta retinens, donec ex his vtilis decoctio procuretur. Tertia translatiua, quæ accepta in aliud conuertit atq; tranſponit. Quarta expellitiua, quæ vt natura fiat libera, ſibi nocitura depellit. Soluimus, vt datũ eſt, quaſi alium nodum. inclinauimus velut ſextũ collem. vt difficultatis cacumine deplanato, inoffenſe ad reliqua gradiamur. Nunc ad originem animæ, quoniã difficultatibus plena eſt, cautiſſime veniamus. Legimus in conditione Rerum, mox vt de limo terræ corpus effectum eſt, ſtatim dominum inſufflaſſe. factumq; eſſe Adam in animam viuentem. Inſufflauit enim, dictum eſt ad exprimendam operis dignitatem, vt agnoſceretur aliquid eximiũ, quod eius ore prolatum eſt. Cæterum hoc ſignificat inſufflatio eius, quod mandatum & iuſſio. Nam inſufflare quemadmodum poteſt, qui neque ſpiritum reſoluit, neque buccas habet, quæ conſtat eſſe corporea? Hoc nonnulli ſecuti dixerunt, mox vt ſemen humanum coagulatũ fuerit in vitalem ſubſtantiam, illico creatas animas corporibus dari diſcretas atq; perfectas. Medendi autem artifices quadrageſimo die humanum atque mortale pecus animam dicunt accipere, cum ſe in vtero matris cœperit commouere. Opinione quoque fertur aliquorum, q; creator ille potentiſſimus, ſicut de corpore noſtro ſemen carnis educit, ita & de animę qualitate animã poſſe nouam generari. quatenus originalis illius peccati, quod catholica confitetur Eccleſia, per traducem peccati rea poſſit oſtendi, niſi dono fuerit baptiſmatis abſoluta. Nam quemadmodum infans, qui peccandi nõ habet votum, reus debeat vllatenus inueniri, niſi aliqua ratione in ipſa origine animarum culpa videatur eſſe transfuſa? Vnde pater Auguſtinus, religioſiſſima deuotione laudandus, nihil temere dicit eſſe affirmandum. ſed in ipſius eſſe ſecreto, ſicut & alia multa, quæ noſtra non poteſt nóſſe mediocritas. Hoc autem veraciter fixeq; credendum eſt, & Deum animas creare, & occulta quadam ratione iuſtiſſime illis imputare, q; primi hominis peccato teneantur obnoxiæ. Melius eſt enim in tam occultis cauſis confiteri ignorantiam, quam periculoſam aſſumere fortaſſis audaciam. cum dicat apoſtolus, Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Et iterum, Ex parte enim ſcimus, & ex parte propheta mus. Sed quoniam in hunc locum tenor nos diſputationis adduxit, vt animas reàs per traducem peccati generaliter eſſe diceremus, conuenit animam Chriſti Domini in medium deducere. ne quis calumnioſa intentione peruerſus, ſimili eam putet conditione conſtrictam. Audiamus igitur, originem eius ſanctam Mariæ ſemper virgini, digno præcone, fuiſſe prophetatam. Ait angelus, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Quis, rogo, in hac maieſtate naſcendi, aut originalis peccati credat eſſe

Universidad de Deusto
Biblioteca

culpam, aut profanam aliquam carnis ſuſpicetur offenſam. Abſque peccato ſine dubio venit, qui erat omnium peccata ſoluturus. conceptus myſtico ſpiramine, natus ex virgine. Nihil de Adam traxit, qui vt Adæ malum ſolueretur, aduenit. Funis ille longiſſimus, quo nos ligabamur, abruptus eſt. Torrens, qui nos rapiebat, ibi ſiccatus eſt. Iura ſua mors perdidit, dum conditio noſtra vitam redemptoris accepit. Nam primus homo poſteris tranſmiſit exitium. veniens Chriſtus Dominus credentibus contulit regna cœlorum. Per iſtum enim reparat anima ſtatum, quæ per illum perdiderat meritum. Natus in gloria, conuerſatus ſine macula. quid potuit de illo trahere, quem contraria venit actione deſtruere? Sanctæ origini ſancta vita reſpondit. Qui ſine peccato eſt genitus, nulla eſt Mundi labe ſuperatus. Suſcepit verum hominem, natura non vitijs. Reſpuit quod protoplaſtus deliquit, & aſſumpſit hominem puriſſimum, quem creauit. non peccatum ſuſcipiens, ſed carnem peccati ſine aliqua iniuria pollutionis aſſumens. Suauis quidem nimium mihi facta digreſſio eſt, dum ſuſpitiones improbas amouere contendo. Sed dum ad aliud tendimus, hic dicere multa nõ poſſumus. Reſtat nunc, vt ordinem & propoſitum proſequentes, de ſede animæ dicere debeamus. Quidam ſedem animæ, quanuis ſit in corpore toto diffuſa, in corde eſſe voluerunt. dicentes, ꝙ ibi puriſſimus ſanguis & vitalis ſpiritus continetur, vt inde etiam cogitationes ſiue bonas ſiue malas exire confirment. ꝙ animæ virtutem operari poſſe non dubium eſt. Plurimi autem in capite inſidere manifeſtant, ſi fas eſt cum reuerentia tamen dicere, ad ſimilitudinem aliquam diuinitatis. quæ licet omnia ineffabili ſubſtantia ſua repleat, ſcriptura tamen cœlo inſidere confirmat. Dignum enim fuit, vt arcem peteret, quæ ſe nouerat cœleſti operatione ſublimem, & tali loco præ cæteris verſari, vnde reliqua membra debuiſſent competenti regimine gubernari. Nam & ipſa figura capitis ſphæroides pulcherrima eſt, in qua ſibi immortalis atque rationalis anima dignam faceret manſionem. Certe corporalia videamus. Ignis iſte mortalis ſemper tendit ad ſummum, & ꝙ habet ſubtiliſſimam naturam, ad ſuperiora ſine dubitatione feſtinat. Sunt & alia huius credulitatis indicia. Nam cum medendi peritiſſimi teſtam capitis humani, grauiſſima percuſſione confractam, in ſoliditatem priſtinam reuocare contendunt, membranam qua teneritudo cerebri communitur, cum a ſanguinea fece detergere cupiunt, frequenter attingunt. quæ ſtatim vt tacta fuerit, in tantum ſtuporem homo peruenit, vt vel percuſſus alibi grauiter ſentire non poſſit. ſed mox iterum vt ſe manus a cerebri impreſſione ſuſpenderit, ad intellectum conſuetudinarium redit, vocem ſenſumque recipiens, quod de ſe ipſo iam agatur agnoſcit. Quod in alijs vtique membris non probatur accidere, quanuis immanium vulnerum foueis excauentur. Additur etiam, ꝙ & ſano corpori ad hanc rem pertinentia non minima ſigna proueniunt. Nam cum fuerit aliquis nimia indignatione flammatus, animumque ſuum æſtu cogitationis accenderit, non fluctu viſcerum, non pectoris commotione vexatur, ſed ſtatim capitis dolore

dolore percutitur. vt illic videatur anima fatigationis ſigna reliquiſſe, vbi magna viſa eſt virtute contendere. Ibi etiam fieri abſolute ſentimus animæ noſtræ quoſdam fluctus, quoſdam impetus grandiores, vt ante oculos noſtros veniãt, quæ abſentia nullus ignorat. Tendimus quidẽ vigorem animi in diuerſas partes multasq; regiones, et phantaſtica imaginatione ad capitis noſtri iudiciũ perducitur, quod per diuerſas Mundi partes cognoſcitur exquiſitũ. Denicq; oculos noſtros defigimus omnino cogitãtes, aurium ſenſus obſtruitur, guſtus ceſſat, nares ab odoratibus vacant, lingua non habet vocem. & multimodis per talia ſigna cognoſcitur, animam in ſuis quodãmodo cubiculis occupatã. Hæc ergo, vt putatur, in edito conſtituta, quaſi pro tribunali ſedens, appetitorum ſuorum noſcitur eſſe moderatrix, boni malicq; iudex, ambigua diſcernens, noxia reſpuens, cum tamen ei gratia diuinitatis infulſerit. Fuit quidem in primo homine beatitudo naturalis, liberi arbitrij potens & inuiolata ſententia, ſed infelici tranſgreſſione deceptus, diabolica fraude perdens, quod poſteris traditurus acceperat, ad nos tranſmittere non potuit, quod amiſit. Inde propagatus interitus, inde humani generis nutrita defectio, inde ignorantia rationi contraria, inde noxiæ curæ, inde pœnitenda conſilia, inde obſcurata cognitio, turpe deſiderium, iuſtitiæ neglectus. inde mille criminum lapſus, & plura nobis cum pecoribus communia, quę diuinitas fecerat eſſe diſcreta. Prenuntiat enim nobis (proh dolor) Solis diſceſſio ſerenitatis aduentũ, futuras tempeſtates ventorũ commotione dignoſcimus, venturam ſæculis vbertatem temporum ratione colligimus, lætitiam nobis interdum ignari animi præſagitione promittimus. Sed quid tale ignorare potuiſſet anima, ſi eius fuiſſet dignitas cuſtodita? Depreſſa eſt iuſte ad ignorantiam, quæ ſcire voluit contumaciter vetita. Modo enim ſignis aut coniecturis ſapit aliqua, quæ ſine labore ſcire potuit vniuerſa. Illud tamen, ſancta conuerſatione purgata, diuinitatis auxilio recipit, quod inſidijs decipientis amiſit. Illuminata videt a creatore, quæ fuſcata nõ poteſt a ſemetipſa cognoſcere. Narrata ſunt de anima, quanta probantur eſſe conceſſa. Sed cõuenit, vt de eius templo dicamus. quoniam illa imago Dei non patitur vt corpori deformi coniuncta eſſe videatur. Procerum animal, & in effigiem pulcherrimæ ſpeculationis erectum ad res ſupernas & rationabiles intuendas. cuius armoniaca diſpoſitio ingentia nobis ſacramenta declarat. Inprimis caput noſtrum ſex oſſibus compaginatum, in ſimilitudinem cœleſtis ſphæræ rotunda concauitate formatum eſt, vt ſenarium illum perfectiſſimum numerum ſedes noſtri cerebri, cuius organo ſapimus, contineret. Hinc & oculi, quaſi ſacrorum teſtamentorũ pulcherrima duo lumina, collocantur. ad quorum ſimilitudinem omnia nobis conbinata deſcendunt, vt aures, nares, labia, brachia, latera, crura, tibiæ, pedes. In hac enim myſtica dualitate compago totius corporis continetur. & ſicut illa teſtamẽta ad vnum reſpiciunt, vnũ ſapiunt. ita hęc officia in vnam ſe conuenientiam operationemq; coniungunt. Sed licet hæc parilitas pulcherrima ſe diſtributione conſociet, & alterutrum ſibi mutuetur ornatum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sunt & singularia in medio constituta, ne in vnam partem præiudicialiter vrgentia, alterã competenti decore nudarent, nasus, os, guttur, pectus, vmbilicus, & genitaliũ virga descendens, quæ laudabilia & honora monstrantur, quando in medio collocata consistunt. Capiti autem nostro, qui sensus capit vniuersos, recte ceruix quasi quædam columna supponitur. docens nos, religionem sanctam in vnam fidei consistere validissimam firmitatem. Lingua quoq; vocis nostræ decentissimũ plectrum, data est ad sermonum nostrorum conuenientiam temperandam, vt nos articulata verba ab animalium confusione distinguerent. Nec illud videatur incassum, q̃ vni gutturi duæ seruiunt digestiones. scilicet, vt omnis intellectus prudentis animæ, quasi cibus acceptus, & rationis calore decoctus, per gemina testamentorum itinera cõpetentibus tractatibus explicetur. Et quoniam neq; cornu, neq; dente, neq; fuga (sicut alia animalia) corporis humani forma se præualet vindicare, robustus illi thorax brachiaq; cõcessa sunt. vt illatam iniuriam manu defenderet, & obiectu corporis quasi quodam clypeo vindicaret. Genitalia vero nostra in magnum ministerium quis dubitet attributa? vnde, præstante Deo, hominis reparatio fœcunda procedit. vnde mortales nesciunt habere defectum. quando personis pereuntibus genus noscitur seruari posse continuum. decorum membrum, si non fuisset turpi libidine sordidatum. Quid enim illo pretiosius esset, si inde humanum genus sine culpa descẽderet? Sic omnia prẽconialia creata sunt, si peccatis polluentibus non redderentur obscœna. Hoc autem corpus animatũ, quin q̃ sensibus administratur ac regitur. qui licet sint communes cum beluis, a nobis tamen rationabili iudicio melius distinguuntur atque complentur. Primus eorum, visus est. qui aëre illuminato colores recipit corporales, & in eis suas proprietates agnoscit. Aspectus em̃ est (vt Veteres definire maluerũt) vis animę spiritalis, egrediens per oculi pupillam, res nõ adeo longinquas attingens, sed ad quas poterit peruenire dijudicans. illud videns, ad qđ destinatur vt videat. Nam si de interioribus suis oculi viderent, etiã se ipsos sine dubitatione conspicerent. Hoc etiam pater sensit Augustinus. Secundus, auditus est. qui concauis & cocleatis auribus sonos accipit, aëris verberationibus concrepantes, ratione dijudicans, quid sit auditum. Tertius, odoratus est. qui diuersos odores assumens vim redolentium corporum, quasi quodam inuisibili fumo naribus suscepto, competenti aspiratione perpendit. Quartus, est gustus. quo multarum rerum saporem palati dijudicatione cognoscimus. Quintus, est tactus. qui etiam cunctis membris cõmuniter noscitur attributus. Elegantior in manibus nobis est. quæ singulariter datæ sunt ad multas cognitiones nostras communiter explicandas. Altera enim per illas euenit firmiorq; memoria. Nam quod obliuisci possumus, istis scribentibus sine labore retinemus. Hæ sunt diuersarum artium opifices, & pene totius nostræ operationis effectus. Nam quid proderit, sensum aliqua facienda concipere, si hæc laboriosa manus non probaretur implere? Nec illud arbitror prætereundum, q̃ pedes nostri manusq; denaria digitorum quantitate

quantitate formantur. vt cursus vitæ nostræ atq; operatio sacramenta cęlestis decalogi contineret. ne præter legem domini aut cogitare aliquid, aut agere deberemus. Facies ipsa quemadmodum prudentiæ patefacit iudicia, in effigiem nostrã exeunt occultę cogitatiões. & ex hac parte cognoscitur, qualis intus animus voluntasq; versetur. Vultus siquidem noster, qui a voluntate nominatur, speculum quoddam est animæ suæ. & quod substantialiter nõ cernitur, per eius habitum euidentissime declaratur. Quanta possint de membris eius reliquis dici? cur triginta duobus dentibus gingiuarum nostrarum ordo clauatus sit? quare ceruix nostra septem nodis, spina viginti tribus spondylis colligat? costæ viginti quatuor radijs pro viscerũ defensione flectantur, ne teneritudo illa interaneorum importuna facilime lederetur iniuria? nerui q̃ congrua dispersione corpus omne contineãt? quomodo venæ nutribili sanguine competenter irrigent membra? quemadmodum ossa nos medullata corroborent? cur vnguibus nostris cõmune sit, iugiter crescere cum capillis? q̃ decore, q̃ vtiliter carnes nostras vestiat cutis, vt nec humor internus turpiter defluat, nec pulchritudo coloris subducta venustate dispereat? Sed cũ membra singula diuersa corpori prębere videantur officia, aliudq; nobis sublime, aliud mediocre, aliud sit in vltimo constitutum, in tantam complexionis gratiam conuenerunt, vt omnia sibi necessaria, omnia probentur accommoda. sicut apostolus ait, cum Ecclesiã dei studio caritatis adunaret, Non potest dicere oculus manui, non es mihi necessaria. aut iterum caput pedibus, non desidero operam vestrã. sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt. & quæ putamus ignorabiliora esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus. Deus enim ita temperauit corpus atq; distribuit, vt membra se mutuis adiutorijs indigerent. Sed hoc, propter nimiam prolixitatem in summam dictum, abunde sufficiat, nullum corporale animal in tantam mysteriorum significationem fuisse formatum. Debuit enim consilio summo fieri, quod videbatur rationabili animæ esse coniungendum. O summi opificis creatura mirabilis, quæ sic humani corporis liniamenta disposuit, vt si primi hominis non esset peccatis grauantibus onerata, magnis muneribus non fuisset exuta. Qualia enim meruit tunc habere libera, quæ nunc tot bona noscitur retinere damnata? Verum ista caro quauis diuersis vitijs appetatur, multisq; vulneribus lacerata subiaceat, ipsa tamen est, quæ cœleste psalterium canit, quæ glorioſos martyres facit, quæ conditorem suum visitata promeruit, quæ ipsam quoque vitalem crucem sancti Redemptoris accepit, merito iam spiritalis futura creditur. quando & hic mortalis tanto munere perfuncta gloriatur. Sic enim ista magna quidem natura, sed originali delicto peccatis quottidianis obnoxia, ieiunijs, eleemosynis, assiduisque orationibus diuina se suffragatione componit, sic emundatis sordibus peccatorum, lucidam præpararat mentem, vt suum suscipere mereatur auctorem. Fit Dei templum, quę se criminibus non concessit hospitiũ. Credo diuina miseratione prouisum, vt corpus sub-

Universidad de Deusto
Biblioteca

deret animæ,animam sibi, totūq; salutariter ad deum respiceret creatorẽ. Peractis his,quæ dicenda fuerunt,congruum videtur de animarum signis indicijsq; disserere. Quia licet earum substantia vna esse videatur,longe tamen disparibus qualitatibus segregatur. Ac primum dicamus,quemadmodum malorum hominū consuetudo moresq; declarentur. quatenus quos interius videre non possumus, quibusdam indicijs extrinsecus approbemus. Omnes igitur animę sine recta fide teterrimę sunt. vt philosophorum,qui non creatoris legem,sed humanum potius errorem sequuntur. & q̃uis doctores videantur esse mortaliū,& se disciplinarum cotibus nitantur abstergere, superstitionis tamen erugines non declinant. Qualis enim dementia est,illum colere,quo melior est? & credere,prestare posse,qui sibi nõ prævalet subuenire? Nihil enim cuiquã prodest vitasse noxias cupiditates, eneruatam non amasse luxuriam,deceptricem fugisse fallaciam, alienum se a terrenis vitijs effecisse. quia necesse est laboret incassum, qui remuneratorem bonorum omnium sibi reddit offensum. Cuius enim præceptis obediet,si latorẽ legis ignoret? Graditur sine via, respicit sine lumine, cogitat sine sapore, currit veloci gressu, nec reperit quo venire disposuit. Hi possunt ad presens florere,sed fructum non probantur inferre. quia gratia eorum non in radice viguit,sed in foliorum se tantum ostentatione iactauit. Nam & illi in eadem parte sunt,qui & si recte credunt, fœdis tamen sceleribus polluuntur. quoniam cum se grauibus peccatis connectunt, a creatore dissoluunt. Tunc immortalis anima, fit mortua tenebris suis, incipit amare qđ pareat. incipit odisse,quod viuit. virtutes odit,vitia semper affectat. & lamentabili obscuritate fuscata, rationem mundissimam non habet,quia in gurgitem se peruersitatis immersit. mox ab antiquo hoste capta, ad vitia præceps agit, & per corporis illecebras sumit de eius obnoxietate victorias. Est enim ægra, & peccati semper anxia. ipsa se condemnans, quam nullus accusat. vt merito mors vitalis,ac vita mortalis,talibus proueniſſe dicatur. Hanc si miserator ille respexerit, oculumq; mentis corporeis excessibus obcæcatum fuerit illuminare dignatus, ad liberatricem plenitudinem trahit. euadendi donat effectum, quæ pereundi primitus videbatur habuisse desiderium. Tunc felicior,cum fleuerit. tunc celsior, cum se prostrauerit. lachrymis reparat,quod gaudendo perdiderat. & quæ ad hostem voluptatibus inuitata peruenit,ad salutarem dominū prosperrime cõtristata festinat. Sed quanuis eas non sit fas hominibus intueri,tamen euidentibus indicijs suas qualitates aperiunt, vt & illos possimus aduertere,de quibus aliquid non probamus audisse. Malis nubilus vultus est in qualibet gratia corporali. mœsti etiam cum lętanter agunt. cum paulopost pœniteant,deserti impetu voluptatis suæ,subito in tristitiam redeunt. oculi interdum, supra quam necesse est, commouentur. iterumq; cogitantes infixi sunt, incerti, vagi, fluctuantes, ad omnia trepidi, de cunctorum voluntate suspensi, curis anxij, suspitionibus inquieti. aliena de se iudicia solicite perscrutantur, quia dementer propria perdiderunt. quærendo mundanam vitam, calamitatem infernæ mortis

mortis incurrunt. & dum lucem temporalem auide cupiunt, tenebras perpetuæ noctis acquirunt. Relationes suas inexplicatas sæpe derelinquunt. Saltu quodã ad aliud transferuntur. Cum nihil agant,semper eos æstimes occupatos. Formidolose viuunt,etiam cum nullius insecutione vexantur. Pœna est illis conscientia sua. & a se sustinent omnia,cũ ab alijs grauia nulla patiantur. Eorum & ipse odor acerbus est, nisi cum suauissimis inhalationibus superstites cõdiuntur. Necesse est enim, vt odore delectetur peregrino,qui offenditur proprio. Veniamus ad illas sanctę Trinitatis fideles animas, quæ prædicatam retinent apostolicam disciplinam, in glorioſissima voluntate constantes, re vera similitudinem supernæ seruare probantur imaginis. Sanctarum igitur animarum & in ista communi vita magna iam virtus est. Nam carnem illam expugnatricem humani generis per quietem debellant. victrices sui sunt, dum studentes constantiæ viuo corpori mortem delectantur infligere. Vę autem carni, quæ hic superata non fuerit. Nam quæ in hac conuersatione vincitur,illic sine dubio coronatur. Virdeniq; fixus,purus,innocuus,omnes laudat, se semper accusat. & cum placeat vniuersis,sibi soli displicet. Nimia enim magnitudo est,suam intelligere paruitatem. Nec prævalet hęc nosse,nisi cui iam cœperint diuina patescere. Hi tantum expeditius ad superna volant, quantum se onerosius in humana conuersatione castigant. Imperant corpori, quia famulantur auctori. & dum se exiguos cognoscunt,ad culmen magnæ perfectionis euadunt. Nullum lędere cupiunt,lęsi semper ignoscunt. Caritatem & illis impendunt,qui eos scelerato odio persequuntur. Tales animæ, Domino præstante, etiam noxijs spiritibus imperant. & illi, quos Mundus patitur infestos, a creatura minore superantur. Adhuc in corpore positæ fortiores sunt angelis malis. adhuc indutę carni iubent Potestatibus aëreis. et quorum tentationibus non cedunt, eis diuina virtute dominantur. Istæ enim immortales proprie sunt dicendæ, quas nulla pœnitudo discruciat, nullus mœror affligit. quæ sibi nequeunt reputare,quod probantur existere. Inopia ditescunt,carceribus lætę sunt. & inter hæc iure sæcula illis obediunt,quia semper bonos sequuntur. contra persecutores fortiore semper eriguntur audacia, quando finis lucis illis principium est bonorum. & in æterna beatitudine recipiunt, quod in temporali conuersatione gesserunt. Sic sanctorum animæ adhuc in isto sæculo commorantes, dum longa sint habitationis contrarietate distractæ,tamen bonis angelis videntur esse conciues,& iam ex magna parte consortes. Moses enim per maria terrenum iter aperuit, aquarum domicilia siccis pedibus transmeauit. & tam magni fluctus quasi latere vtroq; constructi, in speciem rupis peregrina soliditate riguerunt. Meruit Helias ne plueret. obtinuit etiam vt se desideratus imber effunderet. & vnus homo beatis supplicationibus egit, quod generalitas cum suspẽderetur impetrare non meruit. Istis enim, qui se cœlesti conuersatione mundificant, virtus supernæ miserationis conceditur, quam homo propter originale vitium habere non potest. Cum creati per mundum transeuntes,maiestati semper affixi

Universidad de Deusto
Biblioteca

fixi sunt. quibus tam assidue præstantur magnalia, vt pene iure desinant esse miracula. Heliseus discipuli sui oculos, cœlestem militiam non videntes, aperuit. exercitus hostiũ cæcitate percussit. Ademerunt nonnulli flammis incendia, vitalem calorem frigidis cadaueribus reddiderunt, leones feroces ad sepeliendum corpus conuenire fecerunt, & in uicem ratis homines legimus vexisse crocodillos. liquorem conuerterunt in duritiam silicum, latices iusserunt manare de siccitate saxorum. Illæsis vestibus prunas accipimus fuisse portatas. Ambulare claudum, Solem præceperunt stare celerrimum. Humano verbo facta est Naturæ diuersitas. & in tantam gratiam sunt recepti, vt & ipsis potuisset famulari, quod seruire Mundus mirabatur auctori. Quid iam de imperio vocis dicamus? quando & vestis eorum tacta effectum sospitatis attribuit. & apostolici vmbra corporis periculum mortis exclusit. Sic abundantia meritorum & per illud videbatur sanare, quod constat in se substantiam non habere. Talis anima absolute sentitur, etiam cũ eius existentia non videtur. Hilaris illi semper vultus est & quietus, macie validus, pallore decoratus, lachrymis assiduis lętus, promissa barba reuerendus, nullo cultu mundissimus. Sic per iustitiam mentis de rebus contrarijs redduntur homines pulchriores. oculi læti & honeste blandi, sermo veriloquus bonorum pectorum penetrabilis, cupiens amorem Dei omnibus suadere, quo plenus est. vox ipsa mediocris, nec debilis vicino silentio, nec robusta clamore dilatato. asperitate non frangitur. accedentibus gaudijs non mouetur. moribus vultuq; vnus est. templum sanctum. domicilium virtutum. cuius ora se nequeunt immutare, dum semper probantur studere constantiæ. Gradus quoque ipsius nec tardos respicit, nec veloces. nullum propter se ipsum videt. nulli propter alterũ parcit. Suasor recti, sine arrogantia docens cum humilitate liber, cum caritate districtus. vt tam graue sit illum deserere, cq; inuitum est ab ipsa quoq; vita discedere. Amator salutiferi secreti, vbi nulla libidine sauciatur, contentione nulla succenditur, superbia non inflatur, inuidiam non habet, fratrum nulli loquitur, quod pęniteat, nil audit absurdum. Multa turba vitiorũ sine certamine vincitur, quando solitudinis gratia suffragatur. Tunicam postremo suam, quanuis more cutis vna sit, suauissimis implet odoribus. fragrat quod diuitis Indiæ pigmenta transcendat. Agnoscitur in illis humanum corpus habere aromata sua, scilicet dum nulla crapulatione distentum, in odores non exudat acerrimos. Facile est aduertere, quem superna potentia dignatur inuisere. Nam & ipse quoque animus noster mox gaudet ad talem, & non admonitus intelligit, quem cœlesti inspiratione cognoscit. Verum hæc in sexu validiore non adeo miranda sunt. quis autem digne sufficiat virginum ac viduarum maximas explicare virtutes? quæ sic ad pręcepta Dei sancto amore rapiuntur, vt & magnæ patientiæ se vigore discrucient, & ad martyrij coronam, victa carnis infirmitate, perueniant. Locuti sumus multa de anima. diximus etiam de corpore nostro, quæ visa sunt. Tendamus nũc aciem mentis in futuras retributiones. Conuenit enim, vt postquam se creatura cognouit

cognouit, ad creatorem suũ pura mente festinet. Quæratis forsitan, post hoc sæculum animæ nostrę quid agant, qualesq; permaneant? Respondemus, vt diuersa lectione collegimus, Mors est animæ corporisq; facta resolutio, vitę huius absentia, carnis desideria vel necessitates prorsus ignorans. Nam cum fuerimus hac luce imperio creatoris exuti, simul corporis appetitiones & imbecillitates amittimus. Non enim vlterius labore frangimur, non cibo reficimur, non ieiunij diuturnitate quassamur. sed in animæ nostrę natura iugiter perseuerãtes, nihil boni maliq; faciemus, sed vsq; ad tempus iudicij, aut de præteritorum actuum prauitate mœremus, aut de operationis nostræ probitate lætamur. Tunc autem recipiemus factorum omnium plenissimum fructum, quando voce domini aut repudiati fuerimus, aut ad regnum perennitatis admissi. Hanc igitur mortem in ista vita pene quietus somnus imitatur. quando sæculi istius desideria cuncta ambitumq; deponit. & quicquid hic agitur tranquillus animus sapore mentis ignorat. Nam dum corpora sensus suos die resurrectionis in illa celeritate, qua sunt omnia creata, receperint, quæ erit calamitas miseris ęternũ cruciari, nunquamq; deficere? Ita enim perpetuæ pœnæ tradentur, vt infauste semper existere comprobentur. Dolor sine fine, pœna sine requie, afflictio sine spe, malum incommutabile. Sic enim varietas vitiosa punitur, vt eius damnatio nullatenus immutetur. Miserrimi omnium, & perdendo quod diligunt, & iugiter patiendo quod volunt. Aeuum sine dulci vita, mors sine remediabili fine, ciuitas sine lætitia, patria exosa, amara domicilia, cœtus tristium, turba lugentiũ. & quod supra omnes confusiones deterius est, illos ibi torqueri secum posse cognoscunt, quos decepti numina crediderũt. In ipso tamen supplicio pro meritorum qualitate diuersitas est. Nam & distans beatitudo bonos continet, & impios dispar pęna constringit. Aetas plane omnibus vna atq; perfecta futura est. Nam quemadmodum ibi erit minor, vbi non crescitur? aut quare senex, vbi nõ deficitur? Mutabilitates istę ad interitum tendunt. Vnum est quodcunq; perpetuum est. Ex hoc igitur quasi vasto flumine quidam videtur riuulus altercationis exire, si iugi pœnę concedatur ęternitas. dum consumptio vix substantiã permittat existere, quam nullo se permittit tempore reparare. Sed istud omnino superfluũ est in causarum perennium ratione cogitare. Nam & talis pœna esse potest, quę torqueat non imminuat. & talis substantia, quę sensum doloris augeat, nõ defectũ mortalitatis incurrat. Ipsa denicq; anima nostra quãtis hic cruciatibus afficitur, cum tamen nulla defectione soluatur? Montes quoq; nonnulli cq; nimio torrentur incendio, & tamen inter flammas suas stabiles perseuerãt? Salamandra incẽdio reficitur, & ignis calore reparatur. Vermiculi quidam aquis æstuantibus nutriuntur. Sic dat istis victum, qđ alijs minat interitũ. Quod si inter has mortales materias talia nos exempla corroborãt, quid de illa æternitate credendũ est, vbi mortalẽ non inuenit, quẽ pœna consumat? Erit ergo miseris conflagratio inextricabilis, & æterna combustio. Bonorum autem dona quis dubitet esse perpetua? cum se cognoscũt lętitiam percipere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipere, & vlterius triſtitiam non timere, mereri gaudium, quod norunt eſſe continuum. Illic animus ſua proſpera non paueſcit, ſed exultationem propriam ſemper retinet in ęternũ cogitata proſperitas. Aduertunt enim beatitudinem ſuam in ſumma eſſe ſecuritate, cum ſe intelligunt iam nõ poſſe peccare. Nulla ibi iam quatitur varietate noſtra ſecuritas. fixa mens non nutat, non fluctuat, non mouetur. & in tantæ pacis ſtabilitate defigitur, vt nihil aliud præter illam contemplationem vel quærere vel cogitare patiatur. Sic prouenit ſemper quod libeat, quando non erit quod pœniteat. Vacabimus ibi (ſi tamẽ concedatur diuino munere) non torpore deſidiæ reſoluti, ſed ad gratiam perfectionis intenti. Senſus noſter complebitur puritate mirifſima. Tranquillũ erit omne, quod volumus. Sine cogitatione ſapiemus, ſine errore ſentiemus. Malum iam nec ab alio capietur, nec extra voluntatem generabitur. Habebimus hanc eſuriem, quæ delectet. habebimus hanc aſſiduitatem, quam mens faſtidire non poſſit, iugiter amando creatorem, ſempercꝫ eius gloriam ſuauiter contuendo. Non ibi moleſta tædia prægrauabunt, non varietas imbecilla confundet. quando talia ſunt, quibus afficimur, vt nullũ in eis finem optare patiamur. Quies operoſa, opera quieta, animi indefecta vnitas. Tunc enim diuinę ſapientiæ agnitione complemur, nec rerum veraciſſimus intellectus, diſciplinis operoſis imbuitur, ſed inelaborato mentis lumine declaratur. Ibi numerus, quantus eſt, notus efficitur. Ibi linearum diſcretio abſolute conſpicitur. Ibi conuenientia muſicæ patet. Ibi aſtrorum motus viſuali cognitione certiſſimus eſt. Ibi veritas ſuperna, videndo nota eſt. Dei ſapientia contuebimur, qua maieſtate ſingula quæcꝫ diſponat. Ibi videbimus, q̃ irrite a peruerſis catholica lacerabat Eccleſia. Ibi eam conſpiciemus in veſtitu deaurato aſtare Reginã a dextris ſponſi & Regis ſui. Ibi cognoſcemus, quanta fuerit ſub Sole vanitas vanitatũ. Ibi re vera cernemus, cꝫ ſalubriter monebamur, Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. cui omnia comparata viliſſima ſunt. Qui nuncꝫ aliter fuit, nunquã aliter erit. Cum quo eſſe nemo, niſi feliciter poteſt. ſine quo eſſe nemo, niſi infeliciter valet. Sic dum talis agnitio ab anima rationali etiam purgata reuoluitur, inueniri ab ea non poteſt, quod amplius expetatur. Opinari quidem poſſumus, ſpiritalis homo quarum cauſarum delectatione ſagi-
netur. Sed quid ſit ille ſuauitatis modus, ſicut legitur, nec mente poteſt intelligi, nec ſermonibus explicari. Felices qui habent omnia quæ volunt, & nulla aduerſitate quatiuntur. Ibi enim caro animacꝫ ęterna pace compoſitę, nequeunt inter ſe ſentire contraria. Ibi erunt artus, qui ſpiritali conſenſu ornent, non concupiſcentia carnali degenerent. Ibi denicꝫ cœleſti ſobrietate fulgebunt, non autem mundanis cogitationibus ebrie polluentur. Domicilia plane eorum, vt putamus, in ſupernis erunt. & terras nõ appetent, quarum vſum neceſſarium non habebunt. Quocirca non erit permixta, ſicut in hoc mundo, habitatio. ſed ſequeſtrati ab impijs electi, magna locorum qualitate & regione diuidentur. Ciuitas cœleſtis, manſio ſecura. patria totum continens, quod delectet. populus ſine murmure, incolæ quieti. Homines

mines humanarum rerum indigentiam non habentes, vbi nullum auida moleſtat eſuries, nullum morbida ægritudo conſumit, nullus probatur liberam erubeſcere nuditatem, nec quenquam grauia frigora contriſtant, non æſtus anhelum corpus exurit, nullus reparatores appetit ſomnos, vbi nemo cognoſcitur eſſe laſſatus. Omnia blanda, omnia ſuauia, omnia tranquilla. quando & ipſe mundus noxiam deponens, temperiem habebit ſaluberrimam, perpetuis ſæculis vnitatem. Erit illic etiam dies continua, & ſerenitas æterna. Sol ibi quippe nulla nube fuſcatur. ſed omnia de auctoris gratia plus lucebunt. Ibi enim beatis talis ſplendor mentis eſt, & lumen intelligentię, vt ipſum, ſicut in maieſtate ſua eſt, mereantur conſpicere creatorem. Quocirca libris veterum rationabiliter commonemur, cꝫ pars illæ emundata, atque meliorata diuino munere veraciter ſpeculetur auctorem, quæ eius nihilominus portat imaginem. Inde denicꝫ videbimus, vnde credimus, & ex ea parte illud ſummum eximium ſingulare contemplabimur, vnde vtique meliores ſumus. Globus iſte Solis cum hic ſerenus infulſerit, quemadmodum noſtri animi ſenſa permulcet? Lumen quoque terrenum quãta nos implet gratia, cum videtur? Aſpecti flores gratiſſima nos iucunditate reficiunt. Terram viridem, mare cœruleum, aëris puritatem, ſtellas micantes eximijs delectatiõibus intuemur. Quod ſi magnam præſtant dulcedinem, cum ad obtutus noſtros venerint, res creatæ. quid illa maieſtas tunc viſa conferre creditur, cui nihil ſimile reperitur? Tunc perfecte cognoſcemus, quomodo ſalubriter credimus. Nec enim aliter animaduertere merebimur, niſi nunc quæ ſunt vera fateamur. hoc eſt, coæternam, incommutabilem, diſtinctam perſonis & inſeparabilem trinitatem, replentem omnia ſimul ſubſtantiali virture ſua, vnum triplex, trinumcꝫ ſimplabile. Paritas in omnipotentia, æqualitas in caritate, vnitas in natura. Hæc excellenter & ſingulariter ſimul iudicat iuſtitia ſua, ſimul parcit pietate ſua, ſimul cooperatur virtute ſua. poteſtas incomprehenſibilis, beatitudo mirabilis. ex qua beantur, quæcunꝫ beata ſunt. viuificantur, quæcunꝫ viuentia ſunt. continentur, quęcunꝫ ſubſiſtunt. Cuncta librans, ſimul cuncta diſcernens. Quę ideo in iudicando non labitur, quoniam in cognoſcendo non fallitur. cum non appareat, præſens bonis eſt. & cum nuscꝫ deſit, abſens malis eſt. immobilis, quia vbicꝫ tota eſt. inceſſabilis, quia voluntates ſuas ſemper operatur. de toto ſe audit, de toto ſe videt. non ex aliqua parte tancꝫ de membro reſpiciens, ſed omnia vndicꝫ, ita vt ſunt, perſcrutabili virtute cognoſcens. Dicitur etiam odorare, guſtare, ambulare. ſed hęc propter intelligentiã noſtram humana conſuetudine facere perhibetur. dum inenarrabili potentia maieſtatis ſuę lõge aliter cũcta perficiat. Virtus ſancta, vniuerſa creans atcꝫ diſponẽs, regnat in maieſtate propria et gloria ſempiterna, incõprehenſibilis, inæſtimabilis, & æterna potentia cœlos mirabili ſuſpenſione conſolidat, terras ſuper inane defigit, dat fontibus curſum, mari terminum ponit. ſerenus coruſcat, pius fulminat. ima ſummacꝫ ſapientiæ ſuæ lege moderatur, ſcilicet, quia in gubernatione ipſius conſiſtunt omnia, non in ſuo poſ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

se derelicta. Irascitur placidus, iudicat tranquillus, & sine mutabilitate eius prouenit, quod delinquentium reatus exceperit. Rerum humanarum valde miserator, conuersis statim parcens, peccantes expectando recorrigens, & cum pati nil possit contrarium, magna tolerantia sustentat aduersum. Quantulū est, quod hic de illa ineffabilitate sentimus? Ibi plane cognoscimus, & subiecta sint in cōspectu gloriæ eius, quæ miramur, cui præbet ministerium angelica magnitudo, carissimo famulant excelsi principatus obsequio, innumerabiles potestates fideliter & constanter obediunt, cuius semper indiget quæuis excellentia summitatis. Quid iam de eius singulari potentia coniciamus? quando nec illud modo cōprehendere sufficimus, quod ei parere posse minime dubitamus. Tūc liberati intelligimus, cui dementes resistere tentabamus. ad quam magnifica prouocati, quibus videbamur sordibus occupari. Illud vel in momento videre sufficeret, quod nos in æternum promittit veritas intueri. Illic conuincitur omnis prauitas quæstionum. Illic male credita veritatis ipsius voce superantur. Sine fine regnum, sine nocte lux, sine vitijs corpus, sine mortibus vita. & cum omnia dirigantur ad æternum, solum ibi morietur exitium. Magnum est his perfrui, sed multo melius, & inde non probatur exiri. Vincunt vota, qui vocantur ad præmia. tunc vere cognoscunt, & feliciter creati sunt, qui ad tam magna peruenerint. O incomprehensibilis maiestas & pietas. nam inter opera rerum, quibus mundi ambitus opificis laude completur. nihil egregius probatur existere, & substantiæ spiritales, quæ creatorem suum pura mente noscuntur cogitare. Reliqua enim facta sunt ad intelligentium delectationem. hæc autem ad suam beatitudinem, quæ veneratur auctorem. Tempus est, vt quæstionum varietate dimissa, dictorum copiosissimam densitatem in quibusdam manipulis colligamus. vt fideli calculo numerata horreis memoriæ compendiosa breuitate condatur. Primo igitur, vt retinetis auditores prudentissimi, proprie dici animam etymologiæ ipsius consonatione docuimus. sequestrantes ab ea vocabula, quæ nominum similitudine audientes confundere poterunt. Secundo, definitionem substantię huius, cum suis expositionibus, vt datum constat, absoluimus. Tertio, de substantiali eius qualitate decursum est. Quarto, monstrauimus quemadmodum anima formam habere non possit. Quinto, virtutes eius morales relatæ sunt, quæ contra vitia huius sæculi velut quædam arma opponuntur. Sexto, de virtutibus animæ naturalibus non pauca profusa sunt. Septimo, de origine eius, quæ sunt lecta, narrauimus. Octauo, sedem ipsius, iudiciumq; descripsimus. Nono, de corporis nostri dispositione tractatum est. Decimo, anima infidelis, cum suis signis, prout concessum videtur, ostensa est. Vndecimo, lucidam mentem & plenam diuinitatis, pro captu nostrę possibilitatis, attigimus. Duodecimo, de spe futuri sæculi nonnulla, domino largiente, memorata sunt. vt quam immortalem credimus, perennes retributiones nihilominus habere sentiamus. Clausimus itaque nostrum munusculum numero duodenario, qui cœlos signorum

rum diuersitate decorauit, qui annum menstruali venustate composuit, qui ventos principales terrenæ indigentiæ prouida dispositione concessit, qui diei noctisque spatia horarum congrua quantitate diuisit. Vt merito & ad animæ dilucidationem hæc supputatio adhiberetur, quæ tantarum rerum naturalium dispositionibus consecrantur. Restat nunc, sapientissimi viri, qui floretis ingenio, vt mole istius Mundi salutariter transilita, diuinæ misericordiæ nosmetipsos velociter offeramus, per quā plenissime illuminantur cogitantis obtutus. Intelligamus eum, diligamus ipsum. et tunc animas nostras vere cognoscimus, si de ipsius largitate sapiamus. Ipse enim magister potens atq; perfectus est, qui & vera dicat animæ nostræ, & quæ dixerit, eam faciat illuminata mente conspicere. In schola siquidem Christi cor indocile non potest inueniri. quoniam qui se ei tota mentis integritate tradiderit, nec ignorare potest, quod quærit. nec amittere, quod pia remuneratione susceperit. Fit ergo magna, pretiosa, diues, anima, cum se ex proprio pauperem esse cognoscit. potens, si humilitatem saluberrimam non declinet. felicissima denique, si seruet in carne, quæ in æthere superbi Angeli probantur amisisse. Ad te enim, sancte Domine, nemo se erigendo peruenit, sed potius humiliatus ascendit. Cum altissimus sis, proximior redderis supplicatione curuatis. Nostra tibi humilitas accepta est. Amas, qd' propter te non queris. desideras, quo non indiges. Ipsa est enim vitæ nostræ mater, germana caritatis, æstuantis animæ singulare præsidium, contraria debellatrixque superbiæ. & sicut illa per diabolum origo criminum, ita ista per te noscitur fons esse virtutum. Hanc tu domine Christe sic nobilitare voluisti, vt eam non solum præcipere, sed etiam suscipere dignareris. Subisti quippe in assumpta hominis natura iudicium, qui iudicaturus es Mundum. Cæsus es flagellis, qui exaltas & humilias Reges. Pertulisti in faciem odiosos consputus, quam insatiabiliter videre cupiunt Angeli. Felle potatus es, qui humanum genus sic habuisti dulce, vt Rerum dominus naturam serui dignareris assumere. Patienter coronam spineam suscepisti, qui comples orbem terrarum diuerso flore præmiorum. Conditionem subisti mortis, qui vitam creaturis tribuis vniuersis. Tantaq; fuit in sancta incarnatione humilitas, quanta est in diuinitate incomprehensibilis maiestas. Per te enim, admirande Domine, pœna facta est æterna requies, passio remediabilis, mors fidelium salutis introitus. Hæc enim perpetue dat viuere, quæ solebat extinguere. non iniuria, quoniam quæ vitam hominū suscepit, merito ius peremptionis amisit. Data in decore, manet in honore. Quondam res quæ pandebat Inferos, nunc producit ad cœlos. Vere omnipotens, qui & ipsas miserias fecisti potentes. Nullus Regum egentibus tuis par est. Nullæ purpuræ piscatorum tuorum retibus adæquantur. quando illæ in mundanas tempestates impellunt. hæ ad litus æternæ securitatis adducunt. Pauper de nobis, diues ex tuo. Factus es socius mortalitatis nostræ, vt nos participes redderes æternitatis tuæ. Superbiam humilitatis aculeum morte prosternis. Nosti etiam bona fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere per iniquos. conuertens in adiutorium, quod paratum est ad nocendum. potentius esse dijudicans læsiones ad vtilitatem, conuertereque causas malorum radicitus amputare. Nam quomodo beneficiorum tuorum cognoscerentur signa, si & aduersæ partis nō monstrarentur indicia? Tu ergo domine Iesu Christe, qui sic pro nobis flexus es, vt homo fieri dignareris, nō in nobis patiaris perire, quod decreuisti miseratus assumere. Meritum nostrum indulgentia tua est. dona quod offeram, custodi quod exigas. vt velis coronare, quod præstas. Vince in nobis inuidam potestatem. quæ sic decipit, vt delectet. sic delectat, vt perimat. Hostis dulcis, amicus amarus est. Nosti enim, cp feraliter lubricus anguis illabitur, squamis repentibus minutatim corpus esse solicitat. & ne eius intelligatur aduentus, fixum non habet impressa varicatione vestigium. Inuidit, proh dolor, tam magnis populis cum duo essent, & adhuc temporales persequitur, quos impio ambitu fecit esse mortales. Se intercipit, quo alios decipit. & nullo fine corrigi meretur, qui de omnium deceptione damnandus est. Quapropter non possit iniquus, ne conualescat interitus. dominatum in nobis non exerceat, qui nunquam præstitit. sed virtus tua possideat, quæ creauit. Doleat perisse quod fecit, dum nos inde nō patiatur perire, quod voluit. Domine, quia in nobis non est, quod remunereris, sed in te semper est, quod largiaris, eripe me a me, & conserua me in te. Impugna, quod feci. & vendica, quod fecisti. Tunc ero meus, cum fuero tuus. Via sine errore, veritas sine ambiguitate, vita sine fine. Dona noxia odisse, profutura diligere. In te ponā prospera, mihi applicem semper aduersa. cp nihil sim sine te, sapiam. qualis vero tecum possim esse, cognoscam. Intelligam quid sum, vt ad illud merear peruenire, quod non sum. Nam sicut præter te existere non cepimus, ita & sine te esse proficui non valemus. Omnia vergunt nihilominus in ruinam, quæ a maiestatis tuæ pietate fuerint segregata. Te autem amare saluari, formidari gaudere, inuenire creuisse, amisisse perire est. Tibi denique nobilius est seruire, cp Mundi regna capessere. merito, quando ex seruis filij, ex impijs iusti, de captiuis reddimur absoluti. Quapropter contra peccata nostra misericordiæ tuæ munimen insurgat, quæ nominis sui testimonio miseris datur. vt trina remunerati conditione sentiamus nobis propitiam trinitatem. Petimus, quia iubes. pulsamus, quia præcipis. & sine fine conferre mauis, qui semper commones, vt rogeris. O altitudo pietatis, o clementiæ incomprehensa profunditas. cum nemo possit aliquid accipere, si resistis, vim te precibus nostris pati posse testaris. merito, quando a iudice petimus, vt ad pœnale iudicium non vocemur, & per legislatoris gratiam speramus eripi, ne possimus a promulgata constitutione damnari. Tibi sancte Domine Rex regum confidenter dicimus, Dimitte peccata, & concede non debita. Omnis te creatura operis tui bonitate collaudat. Debemus tibi, quod existimus. obligamur etiam, quod quottidiano munere continemur. Gaudeamus & hinc quoque, glorioſissime Domine, cp tua beneficia non irrite postulamus. Tempera, bone artifex, organum cordis nostri,

nostri, vt armoniæ mentis possit aptari. nec sic roboretur, vt superbiat. nec sic languescat, vt deficiat. Tu nosti, quæ vere moderata sunt. Vasa tua sic reple prosperis, vt capacitas non præbeatur aduersis. Dominetur ratio, seruiat caro. quoniam a te solo potest effici, ne fragilitate corporis possit offendi. Verum hæc pro nostro modulo, non pro rerum ipsarum magnitudine dicta sufficiant. quando & amplius cp expetebamur, edixímus, & alma lumina veracium literarum breuiter talia caute cp docuerunt. Illi enim potuerunt de his inoffense dicere, qui purificati diuino munere, probabili se meruerunt conuersatione tractare.

FINIS

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX. CAPITVM PRIMI. LIBRI VARIARVM

Præfatio.
Anastasio, Imperatori, Theodericus Rex.
Theoni. V.S. Theodericus Rex.
Cassiodoro. V.I. atq; Patritio, Th. Rex.
Senatui Vrbis Romæ. Theoder. Rex.
Floriano. V.S. Theodericus Rex.
Agapito, Præfecto Vrbis, Theod. Rex.
Felici. V.C. Theodericus Rex.
Amabili, executori, Theodericus Rex.
Eustorgio, viro venerabili, Mediolanensi Episcopo, Theodericus Rex.
Boëtio. V.I. atq; patritio, Theoder. Rex.
Seruato ducí Retiarum, Theoder. Rex.
Eugeniti. V.I. magistro officiorum, Theodericus Rex.
Senatui Vrbis Romę, Theoder. Rex.
Fausto præpósito, Theodericus Rex.
Festo, viro illustri atq; Patricio, Th. Rex.
Iuliano, Comiti Patrimonij, Theo. Rex.
Vniuersis Gothis & Ro. Dertonę consistentibus, Theodericus Rex.
Domitiano et Vuilię, Theodericus Rex.
Saturnino & verbusio. V.V.S.S. Theodericus Rex.
Albino & Albieno. V.V.I.I. atque patricijs, Theodericus Rex.
Maximiano. V.I. & Andreę. V.S. Theodericus Rex.
Marcello. V.S. aduocato fisci. Theodericus Rex.
Celiano et Agapito. V.V.I.I. & patricijs Theodericus Rex.
Vniuersis Gothis, Theodericus Rex.
Sabiniano. V.S. Theodericus Rex.
Fausto, præpósito, Theodericus Rex.
Speciosо, Theodericus Rex.
Vniuersis Gothis & Ro. Theod. Rex.
Vniuersis Lucristanis, super Sontium cõstitutis, Theodericus Rex.
Senatui Vrbis Romæ, Theoder. Rex.
Populo Romano, Theodericus Rex.
Agapito. V.I. præf. vrb. Theoder. Rex.
Agapito. V.I. Præfecto vrbis, The. Rex.
Fausto Præpósito, Theodericus Rex.
Fausto Præpósito, Theodericus Rex.
Theoriolo. V.S. Theodericus Rex.
Crispiano, Theodericus Rex.
Coioni. V.S. Theodericus Rex.
Festo. V.I. patricio, Theodericus Rex.
Assio. V.I. Comiti, Theodericus Rex.
Agapito, V.I. præfecto vrbis, The. Rex.
Arthemidoro. V.I. Patricio, Theo. Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Boëtio. V.I. patricio, Theodericus Rex.
Gundibado Regi Burgundionũ, Th. R.

SECVNDI. LIBRI VARIARVM

Piissimo Anastasio Imperatori, Theodericus Rex.
Felici, V.I. Cos. ordinario, Th. Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Heccitio, viro honesto, Theoder. Rex.
Fausto, præpósito, Theodericus Rex.
Agapito. V.I. patricio, Theoder. Rex.
Surę. V.I. Comiti, Theodericus Rex.
Seuero, viro venerabili Episcopo, Th. R.
Fausto præpósito, Theodericus Rex.
Spetioso, viro deuoto comitiaco, Theodericus Rex.
Prouino. V.I. Patricio, Theoderic. Rex.
Comiti Siliquatariorum, & portus curas agenti, Theodericus Rex.
Fruinait, Saioni, Theodericus Rex.
Symmacho, Patricio, Theodericus Rex.
Venantio. V.I. Theodericus Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Honoratis Possessoribus, Defensoribus, & Curialibus Tridentinæ Ciuitatis, Theodericus Rex.
Gudilę, Episcopo, Theodericus Rex.
Vniuersis Gothis & Romanis, et his qui portubus vel clusuris presunt, Th. Rex.
Vniligis, Saioni, Theodericus Rex.
Ioanni apparitori, Theodericus Rex.
Festo. V.I. patricio, Theodericus Rex.
Ampelio, Dispotio, et Theodulo, VVV. SSS. Theodericus Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Edictum Theoderici Regis.
Fausto præpósito, Theodericus Rex.
Vniuersis Iudęis, Genuæ consistentibus, Theodericus Rex.
Stephano. V.S. Comiti Primi Ordinis, exprincipe officij nostri, Theod. Rex.
Adilę. V.S. Comiti, Theodericus Rex.
Fausto præpósito, Theodericus Rex.
Dromanarijs, Theodericus Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Decio. V.I. Patritio, Theodericus Rex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arthemidoro, Præf. vrbis, Theode. Rex.
Tancilæ. V. S. Theodericus Rex.
Edictum Theoderici Regis.
Fausto, Præpositio, Theodericus Rex.
Fausto, Præpositio, Theodericus Rex.
Aloisio, architecto, Theodericus Rex.
Boëtio, Patricio, Theodericus Rex.
Luduin, Regi Francorum, Theod. Rex.

TERTII LIBRI.

VARIARVM.

ALarico, Regi Visigotharum Theodericus Rex.
Gundibado, Regi Burgundionum Theodericus Rex.
Herulorum Regi, Guarnorum Regi, Thoringorũ Regi, Theodericus Rex.
Luduin, Regi Francorum, Theode. Rex.
Importuno. V. I. Patricio, Theode. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodericus Rex.
Ianuario, viro venerabili, Episcopo Salonitano, Theodericus Rex.
Venantio. V. S. Correctori Lucaniæ & Brutiorum, Theodericus Rex.
Possessoribus, Defensoribus, & Curialibus Aestunis consistentibus, Th. Rex.
Festo. V. I. Patricio, Theodericus Rex.
Argolico. V. I. Prefecto vrbis, Th. Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Sunhiuado. V. S. Theodericus Rex.
Aurigeni, viro venerabili, Theode. Rex.
Theodahado. V. S. Theodericus Rex.
Gemello. V. S. Theodericus Rex.
Vniuersis puincialibus Galliarũ, Th. R.
Gemello. V. S. Theodericus Rex.
Danieli, Theodericus Rex.
Grimodæ saioni, & Ferrocincto apparitori, Theodericus Rex.
Fausto. V. I. Theodericus Rex.
Arthemidoro. V. I. Theodericus Rex.
Colosseo. V. I. Comiti, Theoderic. Rex.
Vniuersis Barbaris & Romanis, per Pannoniam constitutis, Theodericus Rex.
Simeoni. V. I. Comiti, Theoderic. Rex.
Osuni. V. I. Comiti, Theodericus Rex.
Ioanni. V. S. Consulari Cãpaniæ, Th. R.
Cassiodoro. V. I. Patricio, Theoder. Rex.
Argolico. V. I. Prefecto vrbis, The. Rex.
Argolico. V. I. Prefecto vrbis, The. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodericus Rex.
Gemello. V. S. Theodericus Rex.
Argolico, V. I. Prefecto vrbis, The. Rex.
Massilienſibus, Theodericus Rex.
Romulo, Theodericus Rex.
Arigerno. V. I. Comiti, Theoderic. Rex.
Petro, Episcopo, Theodericus Rex.
Vuandil. Theodericus Rex.
Felici. V. I. Comiti, Theodericus Rex.
Vniuersis prouincialibus in Gallia constitutis, Theodericus Rex.
Gemello. V. S. Theodericus Rex.
Vniuersis prouincialibus, in Gallia constitutis, Theodericus Rex.
Vnigis, spatario, Theodericus Rex.
Vniuersis possessoribus Arelatensibus, Theodericus Rex.
Arigerno. V. I. Comiti, Theoderic. Rex.
Adeodato, Theodericus Rex.
Fausto, Præpositio, Theodericus Rex.
Vniuersis Gothis & Romanis, circa Verucam castellũ cõsistentibus, Th. Rex.
Honoratis Possessoribus, Defensorib. & Curialib. Catanẽsis Ciuitatis, Th. Rex.
Prouincialibus Noricis, Theoder. Rex.
Fausto, præpositio, Theodericus Rex.
Consulari, viro Illustri, Theoderic. Rex.
Aproniano, viro Illustri, Comiti Priuatarum, Theodericus Rex.

QVARTI LIBRI

VARIARVM

HErminafrido, Regi Thoringorum, Theodericus Rex.
Regi Herulorum, Theoder. Rex.
Senario V. I. Comiti, Priuatarũ Th. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodericus Rex.
Amabili, viro Deuoto, Comiti, Th. Rex
Symmacho, viro Patricio, Theode. Rex.
Senario V. I. Comiti Priuatarũ, Th. Rex
Honoratis Possessoribus, & Curialibus Foroiulienſibus, Theodericus Rex.
Osuni. V. I. Comiti, Theodericus Rex.
Ioanni. V. S. Consuli Cãpaniæ, Th. Rex.
Senario. V. I. Comiti priuatarũ, Th. Rex
Marabado. V. I. comiti, et Gemello V. S Theodericus Rex.
Senario. V. I. Comiti priuatar. The. Rex.
Gesilæ, Saioni, Theodericus Rex.
Benenato. V. S. Theodericus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theoderic. Rex.
Ibæ. V. S. Duci, Theodericus Rex.
Annæ. V. S. Comiti, Theodericus Rex.
Gemello. V. S, Theodericus Rex.
Geberich, V, S, Theodericus Rex.

Gemello V. S. Theodericus Rex.
Argolico. V. I. Præfecto vrbis, Th. Rex.
Arigerno. V. I. Comiti, Theoderic. Rex.
Helpidio diacono, Theodericus Rex.
Argolico. V. I. Præfecto vrbis, Th. Rex.
Massilienſibus, Theodericus Rex.
Teruthar, Saioni, Theodericus Rex.
Dudæ. V. S. Comiti, Theodericus Rex.
Argolico. V. I. Præfecto vrbis, Th. Rex.
Albino. V. I. Patritio, Theodericus Rex.
Aemiliano viro venerabili Epo, Th. R.
Dudæ Saioni, Theodericus Rex.
Vniuersis Iudæis, Genua constitutis, Theodericus Rex.
Dudæ Saioni, Theodericus Rex.
Auctoribus Albini, Theodericus Rex.
Fausto præpositro, Theodericus Rex.
Theodagundæ, illustri fœminę, Th. Rex.
Fausto, præpositio, Theodericus Rex.
Theodahado, viro illustri, Theode. Rex.
Auctoribus Probini, Theodericus Rex.
Ioanni, Archiatro, Theodericus Rex.
Argolico. P. V. Theodericus Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Antonio, viro venerabili, Polensi Episcopo, Theodericus Rex.
Comitibus, Defensoribus, & Curialibus Ticinensis Ciuitatis, Theoderic. Rex.
Marabado. V. I. Theodericus Rex.
Godiscalco, Saioni, Theodericus Rex.
Eusebio. V. I. Theodericus Rex.
Vniuersis Prouincialibus, & Capillatis, Defensoribus, & Curialibus, Suauia consistentibus, Theodericus Rex.
Fausto Præpositio, Theodericus Rex.
Symmacho, Patritio, Theodericus Rex.

QVINTI. LIBRI

VARIARVM

REgi Vnarnorũ, Theodericus Rex.
Hestis, Theodericus Rex.
Honorato. V. I. Quæstori, Th. R.
Senatui Vrbis Romæ, Theoder. Rex.
Mannilæ, Saioni, Theodericus Rex
Stabulario, Comitiaco, Theoderic, Rex
Ioanni. V. C. Arcario, Theoderic. Rex.
Anastasio Consulari, Theodericus Rex.
Possessoribus Feltrinis, Theoder. Rex.
Verano, Saioni, Theodericus Rex.
Gepidis, ad Gallias destinatis, The. Rex.
Theodahado. V. I. Theodericus Rex.
Eutropio & Acretio, Theodericus Rex.
Seueriano. V. I. Theodericus Rex.
Vniuersis Possessoribus, in Suauia constitutis, Theodericus Rex.
Abundantio Præpositio, Theoder. Rex.
Abundantio Præpositio. Theoder. Rex.
Vuilię. V. I. Comiti Patrimonii, Th. R.
Gudinando, Saioni, Theodericus Rex.
Auilfo, Saioni, Theodericus Rex.
Capuano. V. S. Theodericus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodericus Rex.
Abundantio Præpositio, Theoder. Rex.
Epiphanio. V. S. Consulari prouinciæ Dalmatiæ, Theodericus Rex.
Bacaudæ, V. S. Theodericus Rex.
Vniuersis Gothis, per Picenum & Samnium constitutis, Theodericus Rex.
Guduim, Saioni, Theodericus Rex.
Carino. V. I. Theodericus Rex.
Neudi. V. I., Theodericus Rex.
Gudui, viro sublimi, Theodericus Rex.
Decorato, viro deuoto, Theoder. Rex.
Brandilæ, Theodericus Rex.
Vuilitancho Duci, Theodericus Rex.
Abundantio Præpositio, Theoder. Rex.
Luuirit Comiti, & Ampelio, The. Rex.
Starcedio. V. S. Theodericus Rex.
Iudæis Mediolanensibus, Theoder. Rex.
Vniuersis Possessoribus. Theoder. Rex.
Ampelio, & Liueriæ, Theodericus Rex.
Cypriano, Comiti Sacrarum, The. Rex.
Senatui vrbis Romę, Theodericus Rex.
Maximo. V. I. Theodericus Rex.
Transmundo Regi Vandalorũ, Th. Rex
Transmũdo Regi Vandalorũ, Th. Rex.

SEXTI. LIBRI

VARIARVM

FOrmula Consulatus.
Formula Patritiatus.
Formula Præf. Præt.
Formula Præf. Vrbanæ.
Formula Quæsturæ.
Formula Magisteriæ Dignitatis.
Formula Comitiuę Sacrarũ Largitionũ.
Formula Comitiuę Priuatarum.
Formula Comitiuę Patrimonij.
Formula qua per Codicillos vacantes Proceres fiunt.
Formula Illustratus vacantis.
Formula Comitiuę Primi Ordinis.
Formula Magistri Scrinij, quę danda est Comitiaco, quando permilitat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Formula de referendis in Senatu.
Formula Vicarij vrbis Romæ.
Formula Notariorum.
Formula Referendariorum.
Formula Præfecti annonæ.
Formula Comitis Archiatrorum.
Formula Consularitatis.
Formula Rectoris prouinciæ.
Formula Comitiuæ Syracusanæ.
Formula Comitiuę Neapolitanæ.
Formula Honoratis Possessoribus et Curialibus ciuitatis Neapolitanæ.
Formula de Comitiua Principis militū.

SEPTIMI. LIBRI

VARIARVM

Formula Comitiuæ prouinciæ.
Formula Præsidatus.
Formula Comitiuæ Gothorum per singulas prouincias.
Formula Ducatus Retiarum.
Formula Curæ Palatij.
Formula Comitiuæ formarum vrbis.
Formula Prefecti Vigilum vrbis Rom.
Formula Præf. Vigilū vrbis Rauēnatis.
Formula Comitiuę portus vrbis Romæ.
Formula Tribuni voluptatum.
Formula Defensoris cuiuslibet ciuitatis.
Formula Curatoris ciuitatis.
Formula Comitiuæ Romanæ.
Formula Comitiuæ Rauennatis.
Formula ad Præfectum vrbis, de architecto faciendo.
Formula Comitiuæ insulæ Curritanæ & Celsinæ.
Formula de Præposito calcis.
Formula de armorum factoribus.
Formula ad Præp. de armorū factorib.
Formula Binorum & Ternorum, si per Iudicem agantur.
Formula Binorum & Ternorum, si per officium agantur.
Formula Commonitorij, illi et illi Scriniarijs.
Formula Vicarij portus.
Formula Principis Dalmatiarum.
Formula ad commendandos Comiti Principes.
Formula Comitiuæ diuersarū ciuitatum.
Formula Honoratis Possessoribus & Curialibus.
Formula Principis militum Comitiuę.
Formula de custodiendis portis ciuitatū.
Formula Tribunatus prouinciarum.
Formula Principatus vrbis Romę.
Formula qua moneta committitur.
Formula Legatorū gentium diuersarū.
Formula Euocatoria, quā princeps dirigit
Formula Euocatoria, quę petenti conceditur.
Formula Commeatalis.
Formula Spectabilitatis.
Formula Clarissimatus.
Formula Tuitionis.
Formula de matrimonio confirmando, & liberis legitime instituendis.
Formula ætatis veniæ.
Formula Edicti ad Quæstorem, vt ipse spōdere debeat, qui Saionem meretur.
Formula Probatoriæ Chartariorum.
Formula de Competitoribus.
Formula, qua census releuetur ei, qui vnā causam possidet prægrauatam.
Formula, qua consobrina legitima fiat vxor.
Formula ad Præpositum, vt sub decreto Curiali prædia vendat.

OCTAVI. LIBRI

VARIARVM

IVstiniano Imperatori, Athalar. Rex.
Senatui vrbis Ro. Athalaricus Rex.
Populo Romano, Athalaricus Rex.
Vniuersis Romanis, per Italiam & Dalmatias constitutis, Athalaricus Rex.
Vniuersis Gothis, per Italiam cōstitutis, Athalaricus Rex.
Liberio, Prepositō Galliarum, Ath. Rex.
Vniuersis prouincialibus per Galliam cōstitutis, Athalaricus Rex.
Victorino, viro venerabili Episcopo, Athalaricus Rex.
Tulum viro patricio, Athalaricus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Aratori. V.I. Athalaricus Rex.
Ambrosio viro Quæstori, Athalari. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Opilioni Comiti Sacrarum, Athal. Rex
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Felici. V.I. Quæstori, Athalaricus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.

Albieno. V.I. Præposito, Athalar. Rex.
Cypriano, viro patricio, Athalar. Rex.
Senatui Vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Bergantino, viro Comiti Patrimonij, Athalaricus Rex.
Clero Ecclesiæ Romanę, Athalaric. Rex.
Ioanni. V.S. Referendario. Athalar. Rex
Vniuersis Reatinis & Nursinis, Athalaricus Rex.
Dumerit Saioni, & Florentino viro deuoto Comitiaco, Athaalricus Rex.
Inigasto. V.I. Athalaricus Rex.
Honoratis Possessoribus & Curialibus parmensis Ciuitatis, Athalar. Rex.
Genesio viro sublimi, Athalaricus Rex.
Seuero viro sublimi, Athalaricus Rex.
Seuero viro sublimi, Athalaricus Rex.
Seuero viro sublimi, Athalaricus Rex.

NONI. LIBRI

VARIARVM

HIlderico Regi Vandalorum, Athalaricus Rex.
Edictum Athalarici Regis.
Bergantino viro Comiti patritio, Athalaricus Rex.
Abundantio, Prepositō, Athalaric. Rex.
Episcopis et Honoratis, Athalaric. Rex.
Primiscrinio, Athalaricus Rex.
Reperato, Præf. vrbis, Athalaricus Rex.
Osum. V.I. Comiti, Athalaricus Rex.
Vniuersis Gothis et Romanis, Ath. Rex.
Vniuersis prouincialibus Syracusanæ ciuitatis, Athalaricus Rex.
Gildiæ V.S. Comiti Syracusanæ ciuitatis, Athalaricus Rex.
Victori & Vitigisclo. VV. SS. Ath. Rex.
Viliæ. V.I. Comiti Patrimonii, Ath. Rex.
Gildiæ. V.S. Comiti Syracusanæ ciuitatis, Athalaricus Rex.
Ioanni Papæ, Athalaricus Rex.
Saluantio. V.I. Præf. vrbis. Athal. Rex.
Saluantio. V.I. Præf. vrbis, Athal. Rex.
Edictum Athalarici Regis.
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Ad vniuersos Iudices Prouinciarum, Athalaricus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Paulino. V.C. Athalaricus Rex.
Senatui Vrbis Romæ, Athalaricus Rex.
Senatori, Præposito, Athalaricus Rex.
Senatui Vrbis Romæ, Athalaricus Rex.

DECIMI. LIBRI

VARIARVM

IVstiniano Imperatori, Amalasuentha Regina.
Iustiniano Imperatori, Theodahadus Rex.
Senatui vrbis Ro. Amalasuentha Reg.
Senatui vrbis Romæ, Theodah. Rex.
Theodosio homini suo, Theodah. Rex.
Patritio. V.I. Quæstori, Theodah. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodah. Rex.
Iustiniano Augusto, Amalasuen. Reg.
Iustiniano Augusto, Theodahadus Rex.
Theodoræ Augustæ, Amalasuen. Reg.
Maximo Domestico. V.I. Theod. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodahad. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodahad. Rex.
Populo Romano, Theodahadus Rex.
Iustiniano Imperatori, Theodah. Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodahad. Rex.
Populo Romano, Theodahadus Rex.
Senatui vrbis Romæ, Theodahad. Rex.
Iustiniano Imperatori, Theodahad. Rex.
Theodoræ Augustæ, Gudelina Regina.
Theodoræ Augustæ, Gudelina Regina.
Iustiniano Imperatori, Theodahad. Rex.
Theodoræ Augustæ, Gudelina Regina.
Iustiniano Imperatori, Gudelina Regina.
Iustiniano Imperatori, Theodahad. Rex.
Iustiniano Imperatori, Theodahad. Rex.
Iustiniano Imperatori, Theodahad. Rex.
Honorio Præfecto, Theodahadus Rex.
Senatori populo, Theodahadus Rex.
Vinsiuado Comiti, Theodahadus Rex.
Honorio Præfecto, Theodahadus Rex.
Vniuersis Gothis, Vitigis Rex.
Iustiniano Imperatori, Vitigis Rex.
Magistro officiorum, Vitigis Rex.
Episcopis suis, Vitigis Rex.
Patritio, viro Questori, Vitigis Rex.

VNDECIMI. LIBRI

VARIARVM

PRæfatio.
Senatui vrbis Ro. Senator populo.
Ioanni Papæ, Senator populo.
Vniuersis Episcopis, Senator populo.
Ambrosio. V.I. agenti vices, Senator po.
Ambrosio. V.I. agenti vices, Senator po.
Ioanni Cancellario, Senator populo.
Vniuersis Iudicibus prouinciarum, Senator populo.
Edictum per prouincias, Senator populo.

Iudicibus prouinciarũ, Senator populo.
Beato V. C. Cancellario, Senator populo.
Edictum de pretijs custodiẽdis Rauenna.
Edictum pretiorum per Flaminiam.
Iustiniano Augusto, Senatus vrbis Ro.
Gaudioso, Cancellario.
Liguribus, Senator populo.
Liguribus, Senator populo.
Promotiones officij Prætoriani, quæ natale domini fiunt.
De Corniculario, qui egreditur.
De Corniculario, qui accedit.
De Primiscrinio, qui egreditur.
De Primiscrinio, qui accedit.
De Scriniario actorum.
De cura epistolarum.
De Scriniario curæ militaris.
De Primicerio Exceptorum.
De Sexto Scholario.
De Prærogatiuario.
De Commentariense.
De Regendario.
De Primicerio Deputatorum, & de Primicerio Augustalium.
De Primicerio Singulariorum, qui egreditur.
De Primicerio Singulariorũ, qui accedit.
De concedendis Delegatorijs.
Antiano suggerente dictum est.
Delegatoria.
Anatholico, Cancellario prouinciæ Samnij, Senator populo.
Lucino, nunc Cancellario Campaniæ, Senator populo.
Ioanni Canonicario Thusciæ, Sen. pop.
Vitaliano, nunc Cancellario Lucaniæ & Brutiorum, Senator populo.
Indulgentia.
Consulari prouincię Liguriæ, Sen. pop.
Pascasio, Prefecto annonæ, Senator pop.
Diuersis Cancellarijs prouinciarum, Senator populo.
Petro, nunc Erogatori obsoniorum, Senator populo.
Anastasio, Cancellario Lucaniæ & Brutiorum, Senator populo.
Edictum.
Anastasio, Cancellario Lucaniæ & Brutiorum, Senator populo.
Maximo. V. I. Cancellario Lucaniæ & Brutiorum, Senator populo.
Canonicaria.
Ioanni, Liquatario Rauennati, Senator populo.
Constantiniano, viro experientissimo, Senator populo.
Maximo, Vicario vrbis Romæ, Senator populo.
Thomati et Petro. VV. CC. Arcarijs, Senator populo.
Deus dedit, scribæ Rauennati, Senator populo.
Prouincialibus Istriæ, Senator populo.
Laurentio viro experientissimo, Sen. po.
Tribunis Maritimorum, Senator populo.
Ambrosio. V. I. agenti vices, Senator populo.
Paulo, viro strenuo, Senator populo.
Datio, Episcopo Mediolanensi, Senator populo.
Edictum.

DVODECIMI. LIBRI VARIARVM

Diuersis Cancellarijs prouinciarum singularum, Senator populo.
Vniuersis Iudicibus prouinciarum Senator populo.
Vniuersis Saionibus, qui sunt Cancellarijs deputati, Senator populo.
Canonicario Venetiarum, Senator pop.
Valeriano. V. S. Senator populo.
Vniuersis Prefecturę titulos administrantibus, Senator populo.
Canonicario Venetiarum, Senator pop.

DE Anima præterea liber vnus. Quem a duodecim Variarũ libris, velut appendicem, nec seiungi debuisse, nec omnino potuisse, & ex eius & ex libri vndecimi præfatione, promptum erat admoneri. vt omittam, q̃ erroribus trecentis sexaginta tribus lacer penecq; exanimis iacebat.

FINIS

13°: 4°: 3°

AVGVSTAE. VINDELIC.
EX. AEDIBVS
HENRICI. SILICEI
MENSE. MAIO
M. D. XXXIII

Universidad de Deusto
Biblioteca

Facie.31.verſu.4.Diomedeæ in ære grauius buccinant. 34.1.tantorum deſide-
riſs. 48.16.nec gloriam. 69.23.ſemper intenta. 72.24.quæ praua. 88.25.
iuſſione. 125.1.ſummam, quæ. 133.40.generis Amali ſingulare. 134.4.ſu-
ſceptum. 178.32.improuida. 180.39.Amalis. 183.12.enim diuinitate pro-
pitia. 192.4.Solent. 200.19.ſi quid. 229.25.vos. 232.23.duo. 236.23.ſit.
237.1.laudibus veſtris. 238.25.Anitius. 250.penetratur. 262.3.lucra ſint a
vobis. 284.20.mediocris 317.41.præparat. Pleraq; autem, in quæ nulli
quantumuis oculati inter imprimendum non impingunt, leuiora ſunt, q̃ vt admoneri
egeant, velut numeri, coitiones, aſpirationes, diphthongi, ſubductiones. & ſimilia.



Universidad de Deusto
Biblioteca

ביוד עתותי



ΤΥΧΗ ΕΥΣΤΟΧΟΣ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca